Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/commentaria0000aloi_j8u5

DISPUTATIONES THEOLOGICÆ

SEU

COMMENTARIA

IN SUMMAM THEOLOGICAM D. THOMÆ

DE SACRAMENTIS

(PRIMA PARS)

(III, QQ. LX-LXXXIII)

AUCTORE

ALOISIO-ADULPHO PAQUET

PROTONOTARIO APOSTOLICO

REGIÆ ACADEMIÆ CANADENSIS ET ACADEMIÆ ROMANÆ

S. THOMÆ SOCIO

ACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE ET PROFESSORE IN UNIVERSITATE

LAVALLENSI

EDITIO TERTIA

OPUS

PONTIFICII BREVIS LAUDE

ILLUSTRATUM

QUEBECI

Ex typis Actionis Socialis

1922

ALMA COLLEGE
236
LIBRARY
P199
Alma, California

2943

Nihil obstat :

J.-E. GRANDBOIS, pter,
Censor.

Quebeci
die 15a jun. 1922.

Imprimatur :

C.-N. GARIÉPY, P. A.,
Sup. Sem. Queb.

Quebeci
die 16a jun. 1922.

Imprimatur :

L.-N. Card. BÉGIN,
Arch. Quebec.

Quebeci
die 22a jun. 1922.

Auctor sibi reservat jus proprietatis.

DE SACRAMENTIS

(PRIMA PARS)

PROŒMIUM.

Sermonis initia sumantur a *Catech. Trid.* (P. II, de Sacram. n. 1) : « Cum omnis doctrinæ christianæ pars pastoris scientiam diligentiamque desiderat, tum Sacramentorum disciplina, quæ et Dei jussu necessaria et utilitate uberrima est, parochi facultatem et industriam postulat singularem, ut ejus accurata ac frequenti perceptione fideles tales evadant, quibus præstantissimæ ac sanctissimæ res digne et salutariter impertiri possint, et sacerdotes ab illa divini interdicti regula non discedant : *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos* (Matth. VII, 6) . »

I. **Indoles argumenti.**— Doctor *Angelicus*, de re sacramentaria dissertaturus, hisce verbis præfatur (III, Q. LX) : « Post considerationem eorum quæ pertinent ad mysteria Verbi incarnati, considerandum est de Ecclesiæ sacramentis, quæ ab ipso Verbo incarnato efficaciam habent.» Qua ex sententia satis comperitur præsentem, quam suscipimus, tractationem seu commentationem institui secundum nexum ordinis synthetici procedentis de causa principaliori ad causas secundarias et effectus.— Pertinet quidem res sacramentaria vario sub respectu ad varias disciplinas theologicas, nempe tum ad theologiam *dogmaticam* in quantum *credenda* speculative expenduntur, tum ad theologiam *moralem* in quantum *agenda* agendorumve principia proponuntur, tum quoque ad *jus canonicum* secundum quod exhibentur *leges* ecclesiasticæ quibus subest sacramentorum ministratio ; verum nostri, ut patet, instituti est sermonem habere præcipue dogmaticum.

II. **Sacramenti nomen.**— Non una eademque *sacramenti* significatio penes diversos diversarum ætatum scriptores obtinuit. *a*) Cum enim ex etymo vocis sacramentum a *sacro* dictum sit, nomen istud sensu *latissimo* olim adhibitum est ad designandam vel *rem* utcumque sacram, puta (usu juridico) juramentum militum se defendendæ patriæ obligantium, vel rem sacram *in occulto*[1] latitantem seu sacrum secretum, v. g. (usu biblico) consilia Dei et mysteria fidei ; græce enim *mysterium* latine per sacramentum redditur. Unde legimus (Sap. II, 22) : *Nescierunt sacramenta Dei ;* et (Eph. III, 9) : *Quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo ;* cf. Eph. I, 9 ; Coloss. I, 26-27 ; 1 Tim. III, 16.— *b*) Inde per analogiam quamdam attributionis significatio *minus lata* derivata est, quatenus quandoque tum in Scripturis tum in Patribus sacramenti vox usurpatur veluti *signum* aliquod rei sacræ vel arcanæ. Hoc sub sensu prædicatur de figuris seu symbolis, de sacrificiis, de cæremoniis ad cultum Dei pertinentibus ; sic dicitur (Apoc. I, 20) : *Sacramentum septem stellarum* etc ; et scribit *August.* (c. Faustum Manich. l. XIX, c. 11) : « In nullum nomen religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur.»— *c*) *Strictiorem* adhuc sacramenti significationem christianus determinavit usus, juxta quem vox illa exprimit *speciale signum* seu signum immediate ordinatum ad sanctificationem hominum : qua sub acceptione duplex distinguitur notio sacramenti, una *generica* conveniens sacramentis tum Veteris tum Novæ Legis, altera *specifica* seu sacramentorum N. L. propria. Id inferius declarabitur[2].

III. **Sacramentorum existentia** in genere.— Aliqua saltem dari sacramenta, postrema significatione accepta, res in manifestis est communiterque admissa ab iis qui nomine christiano gloriantur, nec a quibusdam denegari potuit nisi præfracte rejectis Scripturarum sententiis Ecclesiæque traditione et praxi contempta. Unde, ut præsto sit *subjectum* præsentis lucubrationis, necesse non est præviam de sacra-

[1] — « Quia secundum antiquos sancta vel sacrosancta dicebantur quæcumque violari non licebat, sicut etiam muri civitatis et personæ in dignitatibus constitutæ ; ideo illa secreta, sive divina, sive humana, quæ non licet violari quibuslibet publicando, dicuntur sacra vel sacramenta » (S. Thom., III, Q. LX, a. 1 ad 2).

[2] — Novatorum duces, Lutherus et Calvinus, qui primum a voce *sacramenti* abhorrere visi sunt, dein sententiam mutarunt, Zwinglio solum repugnante (*Bellarm.* de Sacram. in gen. l. I, c. 7).

mentorum existentia demonstrationem præstituere.— Verum hanc fundamentalem veritatem, quam mox sub ratione ***necessitatis*** signorum sacramentalium attingemus, pro opportunitate sibi succedentium quæstionum aut disputationum propriis cuique sacramento argumentis confirmabimus.

IV. **Errorum recensio.**— Juxta cl. *Bellarminum* (*op. cit.*, l. I, c. 1), hæreticorum tum veterum tum recentiorum placita de re sacramentaria ad quatuor classes summatim reduci possunt.— *a*) 1ª classis eorum est qui *omnia* sacramenta seu signa sensibilia salutis de medio tollere conati sunt, e quibus olim fuerunt *Archontici* (sæc. III), dein *Pauliciani* (sæc. VII), postea *Fraticelli* (sæc. XIII), demum *Swenckfeldiani :* Rationalistas modernos omittimus.— *b*) 2ª classis est eorum qui sacramenta omnia non quidem tollebant, sed virtute et *efficacia spoliabant ;* cujusmodi extiterunt (sæc. IV) *Messaliani* seu *Euchitae* justificationem solis precibus adscribentes, et (sæc. XVI) *Lutherani* ac *Calvinistae* id ipsum fidei tribuentes. Nec ab hac positione dissentit communior hodiernorum protestantium doctrina.— *c*) 3ª classis eos complectitur qui *aliqua* sacramenta rejiciunt ; sustulerunt enim Baptismum *Manichaei*, Confirmationem et Pœnitentiam *Novatiani*, Eucharistiam *Petrobrusiani* et *Bogomili*, Extremam-Unctionem *Albigenses* et *Flagellantes*, Matrimonium *Encratitae* aliique. *Protestantes* vero duo sacramenta generatim recipiunt, Baptismum et Cœnam ; duo similiter abjiciunt, Confirmationem et Extremam-Unctionem ; Matrimonium admittunt, sed non pro sacramento ; de Pœnitentia et Ordinatione inter se contendunt.— *d*) 4ª classis eorum est qui, certa sacramenta admittentes, *praepostere* tamen ea *intellexerunt* aut intelligunt. Ita circa Baptismum errarunt *Marcosii* et *Marcionitae*, circa Eucharistiam inter alios *Berengarius* et *Wicleffus*, circa Pœnitentiam *Audiani*, circa Ordines *Quintilliani* vel *Pepuziani ;* nec minor veritatis corruptio penes plerosque protestantes, circa pauciora sacramenta ab ipsis admissa, deprehenditur.

De *modernistarum* commentis vide Appendicem in fine.

V. **Procedendi modus.**— In re sacramentali pertrantanda, positiva argumenta ex utroque Scripturæ et traditionis fonte plura ac ampliora, quam in cæteris theologiæ partibus fieri assolet, proferemus, tum quia materia ipsa ex positivo Dei instituto dependens id magis exigit, tum quia necessitas impugnandi æquis armis adversarios frequentiori aucto-

ritatum sacrarum usui theologum adstringit : hæ igitur auctoritates speciali trutinæ[1] subdentur.— Nec tamen rationalis processus deerit ; monet enim *S. Thomas* (Quodl. IV, a. 18) : « Quædam disputatio ordinatur ad removendum dubitationem *an* ita sit ; et in tali disputatione theologica maxime utendum est auctoritatibus... Quædam vero disputatio est magistralis in scholis non ad removendum errorem, sed ad instruendum auditores ut inducantur ad *intellectum* veritatis quam intendit : et tunc oportet rationibus inniti investigantibus veritatis radicem et facientibus scire *quomodo* sit verum quod dicitur ; alioquin, si nudis auctoritatibus magister quæstionem determinet, certificabitur quidem auditor quod ita est, sed nihil scientiæ vel intellectus acquiret, sed vacuus abscedet.»

VI. **Tractationis divisio.**— Disquisitio theologica de sacramentis alia est *generalis*, alia *specialis* seu ad singula sacramenta spectans.— In præsenti volumine tum de Sacramentis in genere, tum de Baptismo, de Confirmatione et Eucharistia agemus sequenti disputationum ordine, nempe (Disp. I) de Sacramentis in genere, (Disp. II) de Baptismo, (Disp. III) de Confirmatione, (Disp. IV) de sacramento Eucharistiæ in genere, (Disp. V) de partibus essentialibus hujus sacramenti, (Disp. VI) de ejus effectibus, (Disp. VII) de subjecto sumente et ministro conficiente, (Disp. VIII) de sacrificio eucharistico.

[1] — Patres Latinos ac Græcos ex ed. *Migne* citabimus.

DISPUTATIO PRIMA

DE SACRAMENTIS IN GENERE

Argumentum hoc S. Thomas consueta mentis acie et comprehensione in sex quæstiones distribuit mirabili nexu digestas. Nimirum inquirendum proponit *quid* sint sacramenta (Q. I), *an* opportune data sint (Q. II), *quali virtute* gaudeant (Q. III), *quos effectus* pariant (Q. IV), *a quo* esse suum sortiantur (Q. V), *quot* demum numerari debeant (Q. VI).

QUÆSTIO PRIMA

DE ESSENTIA SACRAMENTORUM

Essentia alicujus rei describi potest aut secundum propriam ejus *definitionem* aut secundum elementorum constituentium *explicationem*.— Quapropter in primis proferetur *definitio* sacramenti in genere (art. 1) ; qua perspecta, ulterius quæstio movebitur de iis quæ rationem sacramenti ingrediuntur, num videl. sint *res* et *verba* quasi materia et forma (art. 2), numque ea oporteat esse *determinata* (art. 3), absque *mutatione* adjunctiva vel subtractiva (art. 4).

ARTICULUS I.

Quomodo definitur sacramentum.

(III, Q. LX, aa. 1-3).

Nonnulla *praemittere* juverit.— 1° Dubitatum est num sacramentum, utpote ex diversis ac disparatis constans, *proprie definiri* possit. Qua in re nobis probatur distinctio facta a *Bellarmino* (l. I, c. 10) : nimirum si sacramentum sumi velit *physice* seu prout est aggregatum quoddam ex rebus et verbis, ex ente reali et ente rationis vel relatione qua

significat, conceditur illud non posse proprie sub definitione *unam* essentiam exprimente cadere. At si accipiatur *moraliter* seu secundum unitatem theologicam sibi divinitus ex fine præstitutam, tunc optime definitur haud secus ac familia, exercitus, aliaque id genus[1].

2° Definitio, quæ sub hoc articulo præcipue intenditur, generica est, ideoque *communis* sacramentis tum Veteris tum Novæ Legis ; nam id, unde differentia specifica inter illa sacramenta proprie desumitur, inferius (Q. III) ex professo tractabitur.— Quamvis autem quidam negaverint sacramenta utriusque Testamenti *univoce* in eadem definitione convenire, verior sententia hanc univocationem tuetur : fatendum tamen theologos nequaquam in ea manifestanda concordare.— Mentem *D. Thomae* hac de re patefacere studebimus, nec inutile lectori videbitur quod vel ab initio discrimen proprium quo sacramenta N. L. a veteribus distinguuntur, innuamus.— Eo magis, quia falsæ vel insidiosæ sacramentorum definitiones ab *haereticis* productæ eorumque sectatorum cura circumlatæ, non parum valent ad mentes decipiendas veritatemque obscurandam.

Conclusio.— Recte sacramentum a D. Thoma definitur : « signum rei sacræ inquantum est sanctificans homines » (art. 2).— Huic definitioni consonat altera *Catech. Trid.* (P. II, de Sacr. n. 5) : « Sacramentum est invisibilis gratiæ visibile signum ad nostram justificationem institutum ». — Cum enunciata *D. Thomae* descriptio constet ex tribus, scil. ex *genere remoto*, ex *genere proximo* et ex *differentia specifica*, tria hæc singillatim seu tribus in partibus expendemus.

1ª *Pars :* Sacramentum est *in genere signi* (genus remotum).

1° *Signum*, docente *Aug.* (de Doct. chr. l. II, c. 1) « est res, præter speciem quam ingerit sensibus, aliquid ex se faciens in cogitationem venire ;» unde, quo consentaneum sit hominibus, *sensibile* esse debet.— Aliud est signum *naturale* seu natura sua alterius rei notitiam gignens, v. g. fumus respectu ignis ; aliud signum *arbitrarium* seu arbitrio alicujus constitutum : quod si quamdam cum re significata congruentiam præ se ferat, *symbolicum* dicitur ; sin secus, *pu-*

[1] — « Non est inconveniens ut quæ sunt in se distincta uniantur in relatione ad aliquid unum... Sicut pater et mater sunt unum in generatione, sic etiam verba et res sunt unum in causando et significando, et per consequens efficiunt unum sacramentum » (4 S. D. I, Q. I, a. 3 ad 1).

rum signum denominatur.— Est igitur sacramentum *de genere signi arbitrarii,* at *symbolici.*

2° *a*) Enimvero, vi institutionis divinæ, specie quadam et similitudine[1] id nobis declarat quod Deus in animis nostris sua virtute, quæ sensu percipi non potest, efficit : patet *hoc exemplo* baptismi, in quo corporis ablutio significat animæ purificationem.— *b*) *Scripturæ* etiam idem evincunt ; Ap. enim de circumcisione Abraham scribit (Rom. IV, 11) : *Signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei.* Et alio loco vim baptismi multipliciter significativam perspicue indicat, dicens (Rom. VI, 35) : *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem* (scil. veteris hominis), *ut... in novitate vitæ ambulemus... simul et resurrectionis erimus.*— *c*) « Neque vero (ait Catech. Trid. *l. cit.* n. 7) parum proderit, si fidelis populus sacramenta ad *signa* pertinere intellexerit ; ita enim fiet ut quæ illis significantur, continentur atque efficiuntur, sancta et augusta esse facilius sibi persuadeat, cognitaque eorum sanctitate ad divinam erga nos beneficentiam colendam ac venerandam magis excitetur.»— *d*) Concludimus sacramenta *simpliciter* propriequ esse ponenda in genere signi, *non in genere causæ ;* ea enim causalitas, quæ simul competit veteribus atque novis sacramentis, non est nisi moralis seu improprie dicta (ut patebit inferius), ratio autem signi utrisque proprie convenit.

2ª *Pars :* Sacramentum est signum *rei sacræ* (genus proximum).

1° Per hæc verba sacramentum, ad rem religiosam pertinens, discriminatur ab omnibus signis vel symbolis profanis quæ apud homines usuveniunt, et in temporalem vel civilem finem ordinantur.— Sacramentum autem spectari potest dupliciter, subjective et objective. *a*) *Subjective* quidem est signum in se sacrum ; quippe, ut consideranti cuique apparet, consistit in ritu aut cæremonia qua populus et ministri per consecrationem quamdam ad cultum Dei instituuntur (I-IIæ, Q. CI, a. 4). « Sacramenta proprie dicuntur illa quæ adhibebantur Dei cultoribus ad quamdam consecrationem, per quam scil. deputabantur quodammodo ad cultum Dei » (*ibid.* Q. CII, a. 5). *b*) *Objective* vero est signum rei sacræ ; nam et ipsa sacramenti vox, et finis divinæ institutionis, qua

[1] — Concinne scribit S. Bonaventura (Brevil. P. VI, cap. 1) quod sacramenta « ex similitudine naturali repræsentant, ex institutione significant, ex sanctificatione conferunt aliquam spiritualem gratiam.»

signa sacramentalia media sunt notificandæ et comparandæ sanctitatis, illud exigit atque demonstrat.

2° Cum tria in humanæ salutis opere considerari possint, *causa* seu passio Christi, *forma* seu gratia sanctificans, *finis* ultimus seu vita æterna, hæc omnia (etsi directius gratia), quatenus in unum ordine coalescunt, per sacramenta significantur. « Unde sacramentum (Novæ Legis) est et signum *rememorativum* ejus quod præcessit, scil. passionis Christi, et *demonstrativum* ejus quod in nobis efficitur per Christi passionem, scil. gratiæ, et *prognosticum*, i. e. prænuntiativum futuræ gloriæ » (heic, a. 3), juxta illud quod Ecclesia de *Eucharistia* ex *Angelico* canit : « O sacrum convivium in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur.» Cfr. de *Baptismo* textus supra allatus (Rom. VI, 3-5), ubi tria illa pariter significantur. Notandum tamen quod sacramentum V. L. non rememorativum, sed prognosticum passionis Christi fuerit.

3a *Pars :* Sacramentum est signum rei sacræ *in quantum* hæc res *est sanctificans homines* (ultima differentia).— Agitur ut patet, de sanctificatione formali.

1° Sacramenta, generatim sumpta, *aliqualiter* saltem ad *hominum sanctificationem* ordinari per se et conferre, omnes confiteri debent ; quandoquidem universaliter habentur veluti media salutis divinitus instituta. Unde, pro exigentia tanti finis et stabilitate religionis ad quam pertinent, *permanentiam*, statui ejusdem religionis consentaneam, vindicant. Ea quoque de causa, signa *practica* nuncupari solent, quatenus (ut recte notavit *Billuart*, Diss. I, a. 1) vim significandi habent, non præcise ad manifestationem rei significatæ, scil. sanctitatis, sed in ordine ad illam sive per talia signa sive per aliud efficiendam.— Quæ cum sint ita, plura a ratione sacramenti excludi debent : *a) Primo* sacrificium, *qua tale*, utpote per se ordinatum ad *cultum* Deo *exhibendum ;* licet, sub diversa ratione, idem esse possit sacrificium et sacramentum, v. g. immolatio agni paschalis et Eucharistia. *b) Secundo* quæcumque id solum ex se habent ut manifestent *aliquid sacrum* quin practice gratiam sanctificantem significent, ut creaturæ sensibiles repræsentantes perfectionem divinam (a. 2 ad 1), verba Scripturæ, cruces, sacræ imagines (4 S. D. I, Q. I, a. 1, quæstiunc. 1 ad 3). *c) Tertio* ea quæ in Veteri Lege eo proxime spectabant vel ut conferrent aliquod beneficium *temporale*, v. g. manna, serpens æneus (*ibid.*), vel ut præfigurarent per munditiam legalem futuram *Christi sanctitatem* qua in se sanctus est, non qua homines sanctificantur, uti

erant perplura symbola ritus Mosaici (heic, a. 2 ad 2). *d*) *Quarto* ea quæ in Nova Lege aut non significant perfectionem humanæ sanctitatis, sed solum *dispositionem* ad ipsam, ut aspersio aquæ benedictæ, consecratio altaris (*ibid.* ad 3), aut si forte signa gratiæ practica fuerint, *non* tamen sunt *permanenter* instituta, ut linguæ igneæ, insufflatio Christi in discipulos, etc.

2° Controversia est inter theologos de ratione qua *sanctificatio* notionem sacramentorum ingreditur. Quidam enim (e quibus aliquando fuit *S. Thomas*, 4 S. D. I, Q. I, a. 1, quæstiunc. 3 ad 5) tenent vetera novaque sacramenta non univoce, sed *analogice* tantum inter se convenire, eo quia sola sacramenta Novæ Legis veram et *simpliciter* dictam sanctificationem important, vetera vero non conferebant nisi sanctitatem *legalem* veræ sanctificationis præfigurativam.— Alii, ut *Bellarminus*, *de Lugo*, *de Augustinis*, quanquam præfato modo explicant sanctificationis genus pertinens ad sacramenta Veteris Legis, nihilominus docent eadem sacramenta posse convenire *univoce* cum sacramentis Novæ Legis, quatenus communis quidam et univocus conceptus sanctitatis seu consecrationis sacramentariæ a sacramentis utriusque Testamenti abstrahatur. — Alii demum verius arbitrantur definitionem sacramenti superius a nobis propugnatam ideo *univoce* convenire antiquis ac novis sacramentis, quia in utrisque reperitur significatio veræ ac internæ *sanctificationis* etiam *actu* collatæ. *a*) Hanc esse *D. Thomae* mentem, saltem in *Summa Theologica*, liquido colligitur ex art. 2-3 præs. quæstionis ; ubi S. Doctor non solum sacramentum definit « signum rei sacræ *in quantum est sanctificans* homines » (sic ponens sanctificationem simpliciter, reduplicative et in præsenti), sed pariter demonstrat se loqui de sanctificatione interna et actuali, quando dicit sacramenta ea esse « quæ significant *perfectionem sanctitatis* humanæ » (a. 2 ad 3) et subdit : « sacramentum in hoc quod significat rem sanctificantem, oportet quod significet *effectum* qui intelligitur in ipsa causa sanctificante, *prout est sanctificans* » (a. 3 ad 2). *b*) In sensum prædictum *Cajetanus* Auctorem interpretatur inquiens (Comm. in a. 2) vocem *sanctificantis* in definitione sacramenti accipi « in actu exercito ; hoc est, quod est signum rei sacræ, ut actualiter exercet sanctificationem hominis ; quia ad hoc adhibetur ut signum, ut sanctificetur homo per illius significatum ». Cajetano assentiuntur *Gonet*, *Drouyn*, *Billuart*, etc. *c*) Eaque sententia dicenda est *rationabilior ;* tum quia in receptione sacramentorum V. L. reapse conferebatur gratia sanctificans, etsi non

virtute ipsius sacramenti ut in Nova Lege ; tum quia secus omnes cæremoniæ Mosaicæ, quibus efficiebatur sanctitas legalis futuraque per Christum salus prænuntiabatur, fuissent sacramenta : quod tamen non conceditur[1].

3° Ex dictis apparet utriusque Testamenti sacramenta significare gratiam in ipso usu collatam, sed diverso mo(o.— Unde si quis velit definitionem genericam superius traditam accommodare sacramentis N. L. *in specie*, sic poterit eam modificare juxta exigentiam virtutis instrumentalis illorum sacramentorum, dicendo : « Signum rei sacræ, in quantum illud *vim insitam habet* sanctificandi eâ re homines ;» cui descriptioni apprime cohæret illa *Catech. Trid.* (*l. cit.* n. 10) : « Res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione[2] sanctitatis et justitiæ tum significandæ tum *efficiendae vim* habet.»

4° Subjecimus, definitiones *haereticorum* de sacramentis plus minusve a vero aberrare.— *a*) Quædam enim, ut *Socinianorum* et *Anabaptistarum*, pluribus aliis rebus quam sacramentis V. ac N. L. conveniunt ; quippe, juxta illos, sacramenta non essent nisi externæ notæ quibus fideles ab infidelibus distinguuntur, aut nuda signa quibus ad vitam spiritualem provocamur.— *b*) *Lutherus* vero et *Calvinus* eorumque sequaces sic sacramenta N. L. definiunt quasi nihil aliud sint quam pignora fidei, symbola gratiæ, divinarum promissionum sigilla ; ubi patet vim effectricem gratiæ sacramentis nostris adimi. Imo, cum fides illorum Protestantium, prouti a caritate bonisque operibus secluditur, nequaquam justificare valeat, descriptivæ illæ voces in eorum ore neque nostrorum nec quoque veterum sacramentorum notionem adæquatam exhibent.[3]

Solv. obj.— Obj. 1 (cont. 1am p. def.) — Videtur sacramentum dici a sacrando, sicut medicamentum a medicando. Atqui hoc potius pertinet ad rationem causæ quam signi. Ergo pariter sacramentum etc.

Resp. *D. M* :. . . proportionaliter, *C ;* univoce, *N.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

Quia medicina se habet ut causa *effectiva* sanitatis, inde est quod omnia denominata ab illa dicuntur per ordinem ad

[1] — Vid. ampliora apud Gonet et Billuart, qui etiam plerasque objectiones refutant.

[2] — Institutionem divinam, ad sacramentum *efficienter* constituendum requisitam, in definiendo sacramento omisimus, tum quia institutio non pertinet ad naturam rei, tum quia de ea Auctor disserit infra (Q. V).

[3] — De his abunde disputant tum *Bellarminus* (de Sacr. in gen. l. 1), tum *Drouyn* (de Re sacramentaria cont. haereticos, 1. I, Q. I, c. 2).

aliquod primum efficiens, ideoque medicamentum ponitur in genere causæ. Sed sanctitas, a qua denominatur sacramentum, non significatur per modum causæ efficientis, verum magis per modum causæ *formalis* vel *finalis*. Unde sacramentum, prout sanctitatem significat, collocatur in genere signi, quin necessario causalitatem saltem proprie dictam importet.

Obj. 2.— Rei definitio fieri debet per id quod est principalius in ea. Atqui sacramenta in hoc principantur reliquis cæremoniis quod generant gratiam. Ergo.

Resp. *D. M* :... per id quod principalius et proprie convenit *toti* definito, *C* ;... *uni parti* tantum, *N*.— *D. m* : sacramenta *N. L*.... *C* ; sacramenta V. L., *S. d*... quod generant gratiam *efficienter* et proprie, *N* ; *moraliter* et improprie, scil. excitando fidem, dum *proprie* significant gratiam ut est sanctificans, *C*.— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Ens morale, quale ponitur signum sacramentale, non potest determinari per differentiam realem, qualis est ratio causæ. Atqui genus sacramenti in N. L. determinatur per rationem causæ efficientis gratiam. Ergo.

Resp. *C. M*.— *D. m* :... quatenus ipsa causalitas constituat formaliter differentiam specificam sacramentorum N. L., *N* ; quatenus signum genericum contrahi intelligitur ad hoc ut significet gratiam vi sacramentaria productam, *C*.— *Neg. conseq.*

Sacramenta constant tum ente naturæ tum ente rationis[1] seu rebus signantibus et significatione, quasi elemento materiali et formali. Quare in N. L. ubi accedit ratio causæ vere efficientis secundum quam sacramenta vim habent producendi ex se gratiam, natura sacramenti, formaliter posita in genere signi, per hoc determinatur quod gratiam actu sanctificantem significet, non utcumque, sed prouti ab ipso sacramento instrumentaliter efficitur.

Obj. 4 (cont. 3am p. def.) — Juxta Eugenium IV (Decr. pro Armenis, 1439), sacramenta V. L. non causabant gratiam, sed « eam *solum* per passionem Christi *dandam* esse figurabant.» Ergo non significabant sanctificationem præsentem.

Resp. hæc verba minime nobis contrariari : — 1° Namque ostendunt sacramenta V. L. differre a sacramentis N. L., quia illa (secus ac nostra) non causabant, sed *solum* figura-

[1] — *Formaliter* quidem signum sacramentale est ens rationis ; *simpliciter* tamen dici potest *ens reale*, tum quia materiale, pro quo (utpote praecipuo in concretis accidentalibus) supponit sacramentum, est ens reale, tum quia in isto reali proxime fundatur relatio rationis seu significatio qua formaliter completur ratio sacramenti (cf. Joan. S. Thoma, Disp. XXII, a. 1).

bant gratiam ; — 2° gratiam hanc exhibent *dandam* per *Christum*, non quasi nulla gratia ante Christum collata fuerit, sed quia gratia tunc data merito futuræ Christi passionis dabatur (ita Billuart).

ARTICULUS II.

Utrum sacramentum componatur ex re sensibili et verbis veluti ex materia et forma.

(Art. 4 et 6)

1° Ex præhabita dissertatione compertum habemus sacramentum, generalius et veluti transcendentaliter spectatum, comprehendere aliquid reale quasi signum et ens rationis quod est significatio divinitus adnexa ; adeo ut tamen, pro reali illo physico, quo constat, elemento, reale simpliciter denominetur.— Modo ad ulteriorem definitionis præscriptæ explanationem expedit analysi cuidam subjicere sensibile seu *physicum* sacramenti elementum, in quo significatio sacramentalis fundatur.

2° In titulo per *rem* sensibilem intelligatur opus est non solum substantia materialis, ut aqua, oleum, etc., sed et actus sensibilis, ut ablutio, inunctio aliaque hujusmodi, in quibus haud impar viget significandi ratio (a. 6 ad 2).— *Verba* vero accipi debent sive *formaliter*, ut in absolutione sacramentali, sive *virtualiter* et æquivalenter, ut in muto signis exprimente consensum matrimonialem.

3° *a*) Sacramenta *omnia* constare rebus et verbis, communiter docuerunt veteres theologi, excepto *Durando* aliisve paucis, qui tamen in re non multum a cæteris discrepant (*Bellarm.* 1. I, c. 18).— *b*) Verum de *vi propria verborum* sacramentalium gravis est catholicorum cum *Protestantibus* altercatio. Tria sunt in quibus a Calvinistis præsertim dissentimus (*op. cit.* c. 19) : tenent enim isti in *solo Baptismo* verba quædam simultanea pronuntiari oportere ; præterea, ad essentiam sacramenti requiri verum *concionale*, quo scil. et Dei promissiones promantur et audientium fides excitetur ; item, verbum illud concionale non esse *consecratorium* seu sanctificativum[1] (nisi forte lato quodam sensu, quatenus rem ab usu profano ad religiosum transfert).

[1] — Hæc est (notat Bellarminus, *l. cit.*) ratio, cur illi vulgari, nos latina lingua utamur in sacramentis ; illi enim populum *docere* volunt, qui non intelligit linguam latinam ; nos ad *sanctificandum* elementum Deum, linguarum omnium scientissimum, invocamus.

4° Tres conclusiones statuemus respondentes triplici quæstioni : an sacramenta conflentur ex *rebus* et *verbis ;* an idcirco recte constare dicantur ex *materia* et *forma ;* quænam tandem sit *habitudo* formæ ad materiam seu verborum ad res adhibitas.

Conclusio 1ª.— Ad sacramenta omnia requiruntur res sensibiles ; quibus, saltem in Nova Lege, merito verba adjunguntur.— Utraque pars quoad sacramenta Novæ Legis certa *fide* asseritur præsertim post definitionem *Conc. Flor.* (Dec. pro Arm.) : « Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, vid. *rebus* tanquam materia, *verbis* tanquam forma et persona ministri » etc.

1° Sane *Scriptura* clare id edocet, puta quoad *Baptismum* et *Extremam-Unctionem* (Eph. V, 25-26) : *Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ ;* et (Jac. V, 14) : *Orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Quibus verbis duo sacramentorum elementa constituentia manifeste commemorantur.

2° E *traditionis* fonte aliqua proferantur.— Ait *Tertullianus* (de Bapt. c. 2) : « Homo in *aqua* demissus et inter pauca *verba* tinctus » consequitur æternitatem ; et (*ibid.* c. 4) : « Omnes *aquæ*... sacramentum sanctificationis consequuntur, *invocato* Deo.» *S. Cyrill. Hier.* (Catech. mystag. 3, n. 3) : « Sicut *panis eucharistiæ* post *invocationem S. Spiritus* non amplius est panis communis, sed corpus Christi, sic et hoc *sacrum unguentum* (chrisma) post *invocationem* non amplius simplex aut, si dicere mavis, commune est, sed est Christi et Sp. Sancti donarium.» Vulgata sunt quæ habet *S. Augustinus* (Tract. 80 in Ioan., n. 3) : « Detrahe verbum et quid est aqua nisi aqua ? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum[1]».

3° *Ratione* utraque pars concl. illustratur.

1ª *Pars* quoad *res* (art. 4).— Sapientia divina, cuncta suaviter disponens, unicuique rei providet secundum suum modum. Atqui est homini connaturale ut sensibilium signorum ope in cognitionem ac appetitionem intelligibilium deveniat. Ergo valde expedit ut per aliquas res sensibiles significatio sacramentorum, spiritualia bona designantium, impleatur. — *Conf.* arg. ex eo quod, sicuti superna *veritas* nobis in Scriptura sub litteræ cortice et similitudinum velamine exhibetur,

[1] — Cf. de Augustinis, *de Sacram. in gen.* th. XI.

ita nec minus apte cœlestis *gratia* per signa corporaliaa nos defertur.

2ª *Pars* quoad *verba* (art. 6).— Sacramenta adhibentur ad hominum sanctificationem veluti quædam signa. Jamvero triplici sub respectu signis hisce congruit ut verba rebus adjungantur.— *a*) *Primo* ex parte *causæ sanctificantis* seu Verbi incarnati : convenit enim ut habeatur quædam conformitas inter causam et medium seu instrumentum. Atqui causa salutis nostræ est Verbum carni sensibili unitum. Ergo optime in sacramentis verbum rei sensibili adsociatur.— *b*) *Secundo* ex parte *hominis sanctificandi :* quippe sacramentalis medicina debet indoli subjecti indigentis accommodari. Atqui subjectum seu homo componitur ex corpore et anima. Ergo congruum est ut sacramentum per rem seu actum visibilem corpus attingat, per verbum vero menti proportionetur.— *c*) *Tertio* ex parte ipsius *significationis sacramentalis :* nam necesse fuit ut significatio satis indeterminata rerum sensibilium per aliquid distinctius et expressius significans determinaretur. Jamvero verba, quibus diversissimi mentis conceptus exprimi possunt, principatum significandi inter homines obtinuerunt. Ergo etc : v. g. aqua *de se* significare potest aut ablutionem, aut refrigerium, sed, adjectâ baptismi formulâ, manifeste trahitur significatio ad emundationem spiritualem.

Dixi in concl. *saltem in Nova Lege* verba rebus recte conjungi. — Siquidem sacramenta Veteris Legis, utpote prænuntia Christi venturi, non ita expresse eum significabant sicut sacramenta nova a Christo effluentia ejusque similitudinem quadamtenus exhibentia. Unde verborum usus *non erat* in eis *essentialis ;* quanquam adhiberi poterant, et reapse in quibusdam cæremonialibus vel sacrificiis adhibebantur (art. 6 ad 3).

Conclusio 2ª.— Res et verba in sacramentis Novæ Legis se habent quasi materia et forma, ideoque partes sunt essentiales.— Id sancitum est in decreto *Conc.* jam citato, cui consentit *Conc. Trid.* inquiens de differentia inter Baptismum et Poenitentiam (Sess. XIV, c. 2) : « *Materia* et *forma*,quibus sacramenti *essentia* perficitur, longissime dissidet.»

1ª *Pars* decl.— 1° Licet vix ullus ante *Guillelmum Altisiodorensem*[1] feratur voces illas *materia* et *forma* in describendis sacramentis usurpasse, res tamen ipsa antiquior est, eoque sensu *implicite* locuti sunt quotquot e Patribus docuerunt verba rebus ad conficienda sacramenta accedere. Ille

[1] — Floruit ille theologus sub initio sæc. XIII.

autem loquendi modus a sæculo XIII mox in scholis ipsoque ecclesiastico sermone invaluit.

2° Merito sane ; nam denominationes illæ, *forma* et *materia*, per *analogiam* desumptæ sunt a systemate cosmologico quod vocant *hylemorphismum*. Porro, sicuti in hoc systemate materia per formam perficitur et determinatur ad constituendum unum esse naturale, ita in sacramentis elementa sensibilia ex verbis habent quod perficiantur et determinentur in ratione unius signi sacri. Ergo. *Min. conf.* ex *D. Th.* (a. 6 ad 2) : « Quamvis et verba et aliæ res sensibiles sint in diverso genere, quantum pertinet ad naturam rei, conveniunt tamen in *ratione significandi*, quæ perfectior est in verbis quam in aliis rebus. Et ideo ex verbis et rebus fit *quodammodo unum* in sacramentis, sicut forma et materia, in quantum scil. per verba perficitur significatio rerum.» Cf. *Catech. Trid.* (P. II, de Sacr. n. 14).

2ª *Pars* ex prima sponte fluit : siquidem materia et forma sunt partes *essentiales* cujuslibet compositi materialis ejusque naturam intrinsecus constituunt. Unde *S. Thomas* (III, Q. XC, a. 2) : « Quodlibet sacramentum distinguitur in materiam et formam sicut in partes *essentiæ* ».

Duo *subnotabo*.— 1° Quo pacto ratio formæ et materiæ singulis *in specie* sacramentis competat, præsertim Eucharistiæ, Poenitentiæ et Matrimonio (de quibus major difficultas est), opportunius loquendo de illis sacramentis determinabitur.— 2° Quoniam sacramenta N. L. conflantur ex materia et forma, necesse profecto est ad sacramenti cujusque validitatem ut *quædam simultas* seu coexistentia illorum elementorum constituentium habeatur. Verum hæc simultas intelligenda est non secundum absolutam compositorum naturalium exigentiam, sed *pro conditione* compositorum artificialium et moralium (qualia sunt sacramenta) et secundum communem existimationem.

Conclusio 3ª.— Ad essentiam sacramenti verbum requiritur non jam concionale et promissorium, sed consecratorium seu sanctificativum.— Per hanc thesim definitur (contra *Protestantes*) habitudo formæ sacramentalis ad materiam, quatenus scil. formæ seu verbo, etsi secundario et *accidentaliter* inesse queat vis concionalis, primario tamen et *essentialiter* competit vis consecratoria et sanctificativa.

1ª *Pars* negans ostend : — 1° Ex ipsa *sacramentorum forma*. Sumamus Baptismum et Eucharistiam (quæ Protestantes admittunt) ; forma Baptismi est : *Ego te baptizo in nomine Patris* etc ; forma vero Eucharistiæ : *Hoc est corpus*

meum etc. Ecquis in his verbis sententiam concionalem aut promissoriam magis quam sacramentalem formulam perspexerit ? — 2° Ex *fine sacramentorum*. Proxime enim et immediate alius est finis sacramenti, alius finis concionis, ex quo distinguitur officium concionandi ab officio baptizandi : quæ tamen duo in sententia adversariorum confunderentur, contra ac docet Ap. (1 Cor. I, 17) : *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare.*— 3° Ex *sacramenti subjecto*. Baptismus enim valide fructuoseque parvulis administratur. Atqui parvuli, rationis usum nondum adepti, haud sunt magis concionis audiendæ quam fidei actu profitendæ capaces. Ergo.

2ª *Pars* affirmans : — 1° asseritur ex eo quod in Scripturis verba sacramentalia non instructionis, sed invocationis et benedictionis speciem præ se ferunt. Sic verba Baptismi (Matth. XXVIII, 19) *In nomine Patris* etc., sonant Trinitatis invocationem super aquam ; item verba Eucharistiæ benedictionem seu consecrationem involvunt, juxta illud Ap. (1 Cor. X, 16 :) *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est ?* — 2° Declaratur : *a*) verbum enim sacramentale *consecratorium* dicitur, quatenus unione sua cum materia eamdem materiam dignificat atque aptam reddit ad hoc ut evehatur in opus sacramenti ; *b*) dicitur vero *sanctificativum*, in quantum forma et materia coeunt in unum principium efficax humanæ sanctificationis (uti loco proprio demonstrabitur)[1].

Solv. obj.— Obj. 1 (cont. 1ªm concl.) — Intelligibilia possunt esse signa. Atqui ad rationem sacramenti sufficit quod sit signum rei sacræ, in quantum per eam homo sanctificatur. Ergo.

Resp. *D. M* :... respectu substantiarum pure spiritualium, *C* ; respectu hominum connaturali modo intelligentium, *S. d : per se, N* ; quatenus *per aliqua sensibilia* innotescant, *C.*— *C. d. m* :... quod sit signum qualecumque, *N* ; quod sit signum *homini accommodatum, C.— Neg. conseq.*

Obj. 2.— Sacramenta pertinent ad Dei cultum vel regnum. Atqui res sensibiles eo non spectant (Joan. IV, 24 ; Rom. XIV, 17). Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... secundum quod considerantur *in sua natura, C* ; secundum quod *assumuntur* a Deo ad significandum spiritualia, *N.— Neg. conseq.*

[1] — Vid. ampliora ap. Bellarminum (l. I, c. 19-20) et Drouyn (l. I, Q. IV, c. 1), qui objectiones hæreticorum erudite refutant.

Obj. 3 (cont. 3am concl.) — Christus prædicandi officium cum Baptismi celebratione conjunxit, dicens (Matth. XXVIII, 19) : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos* etc. Ergo.

Resp. *D. antec :* . . . tanquam partem Baptismo essentialem, *N ;* tanquam adulti præparationem præmittendam Baptismo ab eoque distinctam, *C.— Neg. conseq.*

Obj. 4. Scripsit *August.* (Tract. 80 in Joan. n. 3) : « Unde tanta virtus aquæ ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed *quia creditur* ?». Ergo.

Resp. *D. antec :* . . . et Augustinus hic significat fidem *formalem* verbo excitatam, *N ;* fidem *objectivam*, eo nempe sensu quod verbum baptismate sanctificat, non quia sono percutit aures, sed quia continet invocationem Trinitatis ad depositum fidei pertinentis, *C.— Neg. conseq.*

ARTICULUS III.

Utrum in sacramentis requirantur res et verba determinata.

(Art. 5 et 7)

1° Determinatio alicujus rei (quantum ad propositum pertinet) multipliciter intelligi potest, nempe aut *in genere* tantum, puta si dicatur Christum constituisse ut *aliquod* signum sensibile idoneum adhiberetur, aut *in specie*, puta si ponatur vinum designatum præ aqua, imo in specie *infima*, quatenus esse debeat vinum de vite, aut tandem *in individuo*, si v. g. requireretur *hoc* vinum, *hæc* aqua, etc.— Vix admonere opus est quæstionem hic non moveri de determinatione *individua*, qua certe sacramentorum usus nimis coarctaretur, sed de determinatione communiori.

2° *a*) Refert *Bellarminus* (l. I, c. 20) *Lutherum* primitus sensisse quod in sacramentis minime certa verba requirantur, hunc tamen errorem suum postea retractasse, sed *J. Brentium* eidem errori logica consequentia adhæsisse, quoniam in systemate protestantico sacramenta ad fidem dumtaxat excitandam instituta sunt.— *b*) Inter *catholicos*, alii tenent omnium sacramentorum N. L. materiam et formam fuisse a Christo *in specie* determinatam ; alii vero existimant Christum in genere tantum elementa *quorumdam* sacramentorum, maxime Ordinis, designasse. Quid dicendum ?

Conclusio.— Res et verba in omnibus sacramentis Novæ Legis determinata divinitus censenda sunt, cum in genere tum quoque (probabilius) in specie.— Agitur, ut patet, de determinatione facta simpliciter a Deo.

1ª *Pars*, asserens determinationem utcumque sumptam, ab omnibus catholicis conceditur.

1° Revera, ejus est materiam et formam sacramentorum determinare cujus est sacramenta ipsa, iis signis significandi vim appropriatam præbendo, instituere. Atqui, ut infra videbimus (Q. V) et fidei certitudine constat, Deus est *sacramentorum auctor* seu institutor. Ergo.— Divinam illam materiæ et formæ sacramentorum determinationem partim *Scriptura* sacra, partim *traditio* ecclesiastica ostendit ; nec vacat ea nunc anticipare quæ in singulis sacramentis definiendis satis superque ex illis mediis declarabuntur.

2° Res ulterius persuadetur tum quoad materiam tum quoad formam.

a) Quoad *materiam* (art. 5).— Etenim in usu sacramentorum maxime considerari debet *sanctificatio* hominis, ad quam proxime et directe ordinantur, quæque posita est in Dei sanctificantis potestate. Atqui non pertinet ad aliquem determinare illud quod sub potestate alterius cadit, sed solum id quod a propria virtute dependet. Ergo hominis non est suo judicio assumere res sacramentarias quibus sanctificetur, sed hoc oportet divino jure determinari. *Conf. arg.* (ex resp. ad 1) : nam Deus, sicuti in Scripturis per similitudines mysteria revelat, ita in sacramentis per res sensibiles spiritualia significat. Porro ipso Sp. Sancti arbitrio determinatum est quibus similitudinibus in certis Scripturæ locis veritas patefieret. Ergo a pari etc.— Accedit *proportio cum lege positiva* divinitus data (ex resp. ad 3) : « Sicut in statu legis naturæ homines nulla lege exterius data, sed solo interiori instinctu movebantur ad Deum colendum, ita etiam ex *interiori instinctu* determinabatur eis quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur ; postmodum vero necesse fuit etiam exterius legem dari, tum propter obscurationem legis naturæ ex peccatis hominum, tum etiam ad expressiorem significationem gratiæ Christi, per quam humanum genus sanctificatur. Et ideo etiam necesse fuit res determinari » in sacramentis *externa Dei institutione.*

b) Quoad *formam* (art. 7).— In sacramentis verba se habent per modum formæ, res autem sensibiles per modum materiæ. Atqui in omnibus compositis ex materia et forma principium determinationis est ex parte formæ, cui materia subordinatur et accommodatur. Ergo principalius requiritur ad esse rei determinata forma quam determinata materia[1].

[1] — « Significatio, etsi in toto ritu essentiali, in materia scil. et forma, haberi debet, præcipue tamen ad formam pertinet ; quum materia sit pars per se non determinata, quæ per illam determinetur » (Litt. *Apostolicae Curæ* Leonis XIII).

Atqui mox dictum est in sacramentis exigi res sensibiles ab instituente Deo determinatas. Ergo multo magis etc.

2ª *Pars* est de dubio inter catholicos agitato, num *omnium* sacramentorum materia et forma determinationem *in specie* a Christo acceperint : qua in re, sententiæ affirmativæ ceu *probabiliori* acquiescimus.

1° Sane recte monet *Benedictus XIV* (De Syn. diœc., l. VIII, c. 10, n. 10) : « Non satis probatur quod Christus Dominus prædictam potestatem (scil. specificandi materiam et formam sacramentalem) fecerit Ecclesiæ ; imo oppositum videtur evinci ex *C. Trid.* Sess. XXI, cap. 2, ubi declarat a Christo relictam esse Ecclesiæ potestatem mutandi quæ sacramentorum *dispensationem* respiciunt, *salva illorum substantia ;* mutatio vero materiæ et formæ non ad ritum et dispensationem, sed ad substantiam pertinet ». Hanc interpretationem confirmat *Catech. Trid.* (P. II, de Sacr. n. 15), quatenus nomine naturæ et substantiæ sacramentorum intelligit partes rite determinatas ex quibus unumquodque sacramentum necessario constituitur.

2° Dubium haud videtur quin *S. Thomas* id ipsum docuerit.[1] Nam in primis hunc sensum subesse toti articulo quinto hujus quæst., elucet tum ex loquendi modo, v. g. « oportuit divinitus *determinari quibus rebus sensibilibus* sit in sacramentis utendum,» tum maxime ex eo quod in art. præc. jam egerat de determinatione *generica* rei sensibilis accommodatæ cuique sacramento : unde sequitur ut hic agat de determinatione *specifica.* Omnem dubietatem submovent sequentia verba quibus plane secernuntur in sacramentis quæ sunt de jure ecclesiastico ab iis quæ sunt de jure divino (Q. LXIV, a. 2, ad 1) : « Illa quæ aguntur in sacramentis, per homines instituta, non sunt de necessitate sacramenti, sed pertinent ad quamdam solemnitatem... *ea* vero *quae sunt de necessitate sacramenti ab ipso Christo instituta sunt.*[2] »—

[1] — Audi *Ferrariensem* (in C. G. IV, 60) : « Utrum Papa possit aliquid circa sacramenta statuere tanquam necessarium sacramento, ita quod absque illo non conferatur verum sacramentum, videtur *secundum doctrinam S. Thomae dicendum quod non*, loquendo de eo quod est tantum sacramentum ». Et citat egregius commentator locum mox proferendum quæst. sexagesimæ quartæ.

[2] — Oppositio hæc inter instituta ab hominibus seu ab Ecclesia et instituta a Christo satis ostendit juxta *D. Thomam* determinationem specificam essentiæ sacramentorum non esse tribuendam Christo *mediate* tantum : quod enim Christus facit solum mediante Ecclesiæ præscripto, simpliciter est de *jure ecclesiastico ;* nisi tamen Ecclesia agere censeatur sub *speciali* Dei directione quasi instrumentum sub causa principali, ita ut rem statutam mutare ex se nequeat. Tunc enim res proprie dicenda est de *jure divino*, neque hunc Dei magis quam Ecclesiæ interventum, asserto nostro cohærentem, abnuimus.

Hoc Angelici suffragium, cui consentiunt gravissimi scriptores, ut laudatus *Bened. XIV*, *S. Alph. de Lig.*, *Gazzaniga*, *Perrone*, *Knoll*, *de Augustinis* etc., etc., magnum certe auctoritatis pondus est in libra theologica.

3° Nec prætereundum argumentum *historicum*, haud quidem peremptorium, at saltem probabile, ex eo desumptum quod nullum in monumentis ecclesiasticis reperiatur vestigium Ecclesiæ propria facultate determinantis materiam aut formam sacramentorum. « Gratis omnino et arbitrario fingitur quod Ecclesia eâ (facultate) usa fuerit : dicant enim ubi, et quando, quo sæculo, in quo Concilio, a quo Pontifice facta sit ejusmodi mutatio » (Bened. XIV, *l. cit.*) — Quod quamdiu ignorabitur, præsumptio stabit pro determinatione facta ab ipso sacramentorum Auctore.

4° Addendum est argumentum *analogiae*. Constat enim ritus sacramentales V. L., quibus futura sacramenta nostra præfigurabantur, fuisse a Deo ipso præscriptos (Bellarm. l. I, c. 21) ; pariter conceditur elementa constitutiva Baptismi, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Extremæ-Unctionis (sin Confirmationis et Matrimonii) specificam originem a Christo duxisse. Quanam de causa unum aliudve sacramentum a communi lege exciperetur ? — Hæc divina determinatio eo probabilior videbitur quod Christus etiam in specie *infima* materiam et formam quorumdam principalium sacramentorum, puta Eucharistiæ, consignare voluerit.

5° Nobis quidem ab adversariis objicitur, formam *Confirmationis* graves variationes subivisse, materiam vero *Ordinis* diversam esse penes Græcos et Latinos, item contractum *matrimonialem* (qui sacramenti rationem habet) fuisse ab Ecclesia novis impedimentis immutatum : breviter respondebimus (de his namque uberius in singulis sacramentis pertractandis).

a) Quod ad *Confirmationem* pertinet, arbitror formam in specie determinatam haberi per hoc quod distincte significet effectum proprium sacramenti, tametsi numerus ac structio verborum varietur : hæc autem *sensus identitas* plane reperitur in forma græca et latina. Nec existimandum formam aliam cum sola invocatione Trinitatis, qualem nonnulli scriptores retulere, unquam in Ecclesia fuisse pro sufficiente habitam (cf. *Sasse*, Inst. theol. de Sacr., t. I, p. 280).

præsertim in determinandis quibusdam ad sacramentum Ordinis spectantibus. Apposite *S. Thomas* (4 S. D. III, Q. I, a. 2, sol 2). «Nulli licet mutare formam sacramenti quantum ad id quod est de essentia formæ absque *speciali consilio Sp. Sancti* ».

b) Circa *Ordinis*[1] materiam adverto illam, eamque solam, *theoretice* videri essentialem quæ semper et ubique in usu fuit tum apud Græcos tum apud Latinos, hanc autem esse impositionem manuum (prout suo loco disputabitur). Unde fundata sententia est, traditionem instrumentorum quam Latini tantum habent, etsi necessariam de præcepto, magis pertinere ad integritatem quam ad essentiam sacramenti.

c) Tandem, quod spectat ad *Matrimonium*, Ecclesia proprie loquendo non ipsam sacramenti naturam novis impedimentis mutavit, quippe natura hæc reponitur in consensu *legitimo* contrahentium secundum jus naturale-positivum, sed conditiones tantum legitimitatis illius consensus pro temporum opportunitate definivit[2].

Solv. object.— Obj. 1.— Magis est necessaria salus animæ quam corpori. Atqui in medicinis corpori sanando adhibitis potest una res per aliam suppleri. Ergo multo magis in medicinis spiritualibus seu sacramentis.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... quia res sensibiles habent naturaliter *sibi inditas* virtutes conferentes ad corporis sanitatem, *C* ; quasi sensibilibus etiam insit, citra *divinam institutionem*, intima vis significandi ac efficiendi sanctificationem animæ, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Non est conveniens ut salus hominis arctetur per legem divinam, et præcipue per legem Christi. Atqui necessitas certorum elementorum in sacramentis arctaret humanam salutem. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... supposito quod exigerentur elementa *rara* inventu difficilia, *C* ; requisitis rebus quæ *communiter habentur* aut parvo studio comparari possunt, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Non eædem voces apud diversos homines adhibentur. Atqui salus eadem apud omnes per sacramenta quæritur. Ergo.

Resp. *D. M* :... secundum *exteriorem sonum*, *C* ; secundum *sensum*, præsertim si agatur de vocibus quibus homines principalius et communius utuntur, *N.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

[1] — Intelligo Episcopatum, Presbyteratum et Diaconatum qui veluti substantiam hujus sacramenti constituunt. Quoad reliquos ordines cfr. quæ supra adnotavimus de Ecclesiæ interventu sub Deo *principaliter* agente.

[2] — Cf. Ferrariensem in C. G. IV, 60.

ARTICULUS IV.

Utrum liceat aliquatenus mutare verba in quibus consistit forma sacramentalis.

Sub voce *liceat* non solum *liceitas*, sed et *validitas* formæ sacramentalis præcipue intelligitur vestigandaque proponitur.— *Mutatio* autem considerari potest tum *subjective* seu secundum intentionem verba proferentis, tum *objective* seu secundum ipsam verborum significationem. Unde duo statuenda se præbent.

Conclusio 1ª.— Qui ex industria immutat verba sacramentalia non videtur perficere sacramentum, nisi aliunde constet de sufficientia ejus intentionis.

1ª *Pars* in ea ratione innititur quod ad sacramenti validitatem requiritur in ministro intentio saltem *faciendi quod facit vera Ecclesia*, ut infra ostendetur. Atqui ille qui, sciens et volens, mutat verba sacramentalia *non præsumitur* velle facere quod facit Ecclesia, propterea quod videtur velle agere contra Ecclesiam novumque ritum ab ea non receptum introducere. Ergo.

2ª *Pars* concedit intentionem mutantis consilio formam sacramentalem conciliari nonnunquam cum validitate sacramenti.— Hoc quidem evenire potest duplici modo : 1° si minister, puta ex superstitione vel vanitate, non substantialiter, sed *accidentaliter* tantum reapse intendit mutare verba sacramentalia ; 2° si velit quidem novum in Ecclesia ritum *essentialem* inducere, sed eo errore ductus quod hanc formam suam, non aliam, in vera Christi Ecclesia legitimam reputet. Tunc enim, dummodo de facto servetur sensus formæ substantialis, perficitur sacramentum.

Conclusio 2ª.— Objective loquendo, ea formæ mutatio veritatem sacramenti perimit quæ tollit debitum seu substantialem verborum sensum.— Ratio concl. est, quia verba operantur in sacramentis secundum sensum quem habent; debitus autem seu validus sensus est qui *substantialis* dici potest. Cum autem mutatio multipliciter accidere valeat, opportunum erit ex Auctore varios mutationis modos cursim recensere seu expendere.

1° *Idiomatis* mutatio certe accidentalis est, dummodo retineatur sensus debitus ; unde « *cujuscumque linguæ* verbis proferatur talis sensus, perficitur sacramentum » (a. 7 ad 1) :

quod verum esse docet *Cajet.* (in h. 1), etiam si mixtio idiomatum fiat in eadem numero forma.

2° *Synonymorum*, quæ vere talia sint sive ex impositione nominis sive ex accommodatione usus, adhibitio (etsi illicita) non irritat sacramentum ; puta si in baptismo conferendo dicas : « Ego te *abluo* » etc ; (cf. *Cajet.* ibid.)

3° *Corruptio* formæ ex errore vel lapsu linguæ duplex esse potest : aut tanta quæ omnino sensum locutionis auferat, prouti apud nos facilius evenit ex parte principii dictionis, puta si loco verborum « in nomine Patris » in baptismo dicatur « in nomine *Matris* », et tunc nullum est sacramentum ; aut talis quæ substantialem verborum sensum relinquat sive vi vocum sive usu audientium, quod præcipue contingit in corruptione syllabæ finalis, v. g. si quis baptizet « in nomine *Patrias* et *Filias* » etc., et tunc validum est sacramentum (a. 7 ad 3). In hunc sensum quadrat responsio *Zachariæ P.* ad S. Bonifacium (ap. *Sasse*, t. I, p. 132).

4° *Subtractio*, qua diminuatur aliquid de *substantia* formæ, tollit debitum sensum verborum, ideoque nullum efficit sacramentum ; sin autem accidentalis mutatio sit, puta omisso *enim* in forma Eucharistiæ, non impeditur debita significatio verborum nec proinde sacramenti confectio, quamvis *peccatum* ex negligentia vel contemptu haberi possit.

5° *Additio* non aliter judicanda est. Si quid enim apponi contingat quod sit corruptivum debiti sensus, utputa dicendo : « Ego te baptizo in nomine Patris *majoris*, et Filii *minoris* » etc. (qualiter olim baptizabant Ariani), tollitur sacramenti veritas. Quando vero talis additio sit, sive in principio, sive in medio, sive in fine formæ, quæ substantialem sensum haud inficiat, valet sacramentum ; utputa si dicatur : « Ego te baptizo in nomine etc ; et *B. Virgo te adjuvet* ». (Vid. plura ap. Auctorem et *de Augustinis*).

6° *Interruptio* verborum si tanta sit « quod intercipiatur intentio pronuntiantis, tollitur sensus sacramenti, et per consequens veritas ejus ; non autem tollitur, quando est parva interruptio, quæ intentionem proferentis et intellectum verborum non aufert » (a. 8 ad 3), v. g. si quis sternuat in pronuntiando formam.

7° *Transpositio* vel *repetitio* verborum item pensari debet secundum quod vel substantialiter vel accidentaliter tantum sensum afficiat (*ibid.*). Unde valet sequens forma : « In nomine Patris te baptizo, et Filii te baptizo, et Sp. Sancti te baptizo ».

QUÆSTIO SECUNDA

DE NECESSITATE SACRAMENTORUM

Sacramentorum naturam consequitur quæstio de eorum esse seu existentia secundum *necessitatis* vel utilitatis modum. Hæc autem necessitas spectari potest vel *absolute* (art. 1), vel *relative* et historice, scil. pro diversitate temporum quæ aut peccatum præcesserunt (art. 2), aut subsecuta sunt usque ad Christum (art. 3), aut post Christum fuere (art. 4).

ARTICULUS I.

Utrum sacramenta sint necessaria ad humanam salutem.

1° *Homo* hic sumitur, independenter a determinato tempore, et secundum absoluta naturæ suæ principia et secundum statum naturæ *lapsæ* in finem supernaturalem elevatæ (prouti argumenta D. Thomæ ostendunt).

2° Necessitas sacramentorum considerari potest et quoad *institutionem* et quoad *usum* : sub primo tantum adspectu nunc in quæstionem vocatur.— Præterea necessarium aliquid dici potest aut necessitate *absoluta*, sicuti necessarium est Deum esse, aut necessitate *hypothetica* seu ex suppositione finis. Rursus necessarium hypothetice vel hujusmodi est sine quo finis obtineri non potest, et est necessitas *simpliciter* ; vel sine quo finis non tam convenienter habetur, et est necessitas *secundum quid* seu convenientiæ.

Conclusio 1ª.— SACRAMENTA NON SUNT NECESSARIA ABSOLUTE ET SIMPLICITER.

Omnes id concedunt, præstoque est ratio : quippe sacramenta sunt media salutis libere a Deo instituta, quibus virtutem suam non alligavit (4 S. D. I, Q. I, a. 2, sol. 1).

Conclusio 2ª.— SACRAMENTA NECESSARIA SUNT NECESSITATE CONVENIENTIÆ AD HUMANAM SALUTEM.

Prob. 1° ex parte *societatis* religiosæ.— Necessarium est ad humanam salutem homines adunari in unum veræ religionis nomen ac cœtum. Atqui nullus religionis cœtus, imo nec ulla in genere hominum societas solet in unum corpus coagmentari quin societarii aliquo inter se visibilium signorum fœdere connectantur, quibus bona *propria societatis* commendentur et communicentur : nonne v. g. cernimus artificum cœtus congregari proposito, quasi symbolo, instru-

mento suæ artis expressivo bonorumque suorum significativo ? Idem ergo, *servata proportione*, merito judicatur de societate religiosa.

2° Ex parte *individuorum*, triplici ratione :

1ª *ratio* ex humana conditione quod *intellectum*.— Pertinet ad divinam Providentiam ut unicuique rei curam ipsi accommodatam impendat. Atqui sacramenta, quatenus sensibilia signa, naturæ intellectuali hominis apprime conveniunt : *a*) tum quia imbecillitas ejus ingenii indiget sensibilibus juvari ad spiritualia capessenda ; *b*) tum quia promissa a Deo bona, per hoc quod signis veluti pignoribus certificantur, firmius creduntur. Ergo.

2ª *ratio* ex hominis conditione quoad *affectum*.— Medicinale remedium homini adhiberi debuit secundum infirmi statum seu conditionem. Atqui homo peccando sese per affectum corporalibus rebus subdiderat, cœlestia deserens et terrena sectans. Ergo conveniens fuit ut ejus animus per signa sensibilia utiliter exhibita a sensibilibus noxiis retraheretur, talique sub necessitate positus seipsum humiliandi occasionem caperet.

3ª *ratio* ex hominis conditione quoad *actionem*.— Humana actio, præsertim post originalem lapsum, maxime circa corporalia versatur : ex quo fit ut homines summo studio spectacula etiam inhonesta requirant, ritibus superstitiosis non raro dent operam, neque abhorreant a mysteriis vel initiamentis diabolicis quæ et penes paganos obtinuisse et nunc penes Muratores et Spiritistas in usu esse probe novimus. Atqui gratia non destruit naturæ inclinationem, sed eam perficit ac dirigit. Ergo conveniens fuit ut homo non totaliter abstraheretur a corporalibus actibus, sed magis ab actionibus malis vel periculosis per salubria sacramentorum exercitia præservaretur.

Solv. obj.— Obj. 1.— Ait Ap. (1 Tim. IV, 8) : *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est.* Atqui usus sacramentorum pertinet ad corporalem exercitationem. Ergo.

Resp. *D. M :* Corporalis exercitatio, in quantum *corporalis... C ;* in quantum simul *spiritualis quodammodo* est, scil. per significationem et causalitatem, *N.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Sufficiens est Dei gratia ad salutem (2 Cor. XII, 9). Atqui, semel admissa sacramentorum necessitate, gratia sufficiens dici non potest. Ergo.

Resp. *D. M :*... absolute, *C ;* nec petit hominibus dispensari secundum modum eis convenientem, *N.*— *C. d. m :* abso-

lute, *N ;* sequitur ut secundum *modum* determinatum dispensanda sit, *C.— Neg. conseq.*

Obj. 3.— Posita causa adæquatâ, nihil aliud videtur ad effectum requiri. Atqui passio Christi causa est adæquata humanæ salutis. Ergo.

Resp. *D. M :...* in ratione causæ *principalis*, *C ;* in ratione causæ *secundariæ* qua virtus causæ principalis subjecto *applicetur*, *N.— C. d. m :...* secundum se, *C ;* quin congruat ut per sacramenta virtutem suam applicet, *N.— Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

Utrum etiam ante peccatum fuerint homini necessaria sacramenta.

Dubium movetur principaliter quidem de statu innocentiæ qui *fuit* ante peccatum, at quoque secundario de statu qui *fuisset* Adamo non peccante. — Qua in re triplex recensetur sententia : *a*) *quidam* enim senserunt sacramenta in illo statu reapse exstitisse ; *b*) *alii*, post *Toletum* et *Suarezium*, uti probabile habent quod, durante statu innocentiæ, sacramenta futura fuissent ; *c*) *alii* demum, scil. *Thomistæ*, communiter docent, spectata Dei sapientia, existentiam sacramentorum cum innocentiæ statu nullatenus cohærere.

Conclusio.— Sacramenta in statu innocentiæ nec de facto fuerunt, nec admitti, etiam in hypothesi illius permanentiæ, possunt.

1ª *Pars* (contra paucos) asseritur : — 1° quia de facto illo *Scriptura* et *traditio* prorsus silent. Porro in re supernaturali, a solo Dei nutu dependente, nihil arbitrario seu sine fundamento positivo affirmandum est.— 2° Neque in tam brevi temporis spatio, quo innocentia primæva duravit, protopatentes sacramentis indiguerunt.

2ª *Pars* suadetur sequenti processu : sacramenta considerari possunt et in quantum diriguntur contra peccatum et in quantum ordinantur ad animæ perfectionem. Atqui neutro sub respectu compossibilia sunt cum statu innocentiæ : ergo. *Prob. min.* per partes.— *a*) *Primo*, in quantum sunt spirituales medicinæ, sacramenta non proficiunt nisi ægrotis ; homo autem in statu innocentiæ sanus erat.— *b*) *Secundo*, quatenus ordinantur ad animæ perfectionem, nec necessaria erant nec congrua illi statui : rectitudo enim status innocentiæ id importabat, ut superiora inferioribus dominarentur quin ab eis ullo subjectionis modo dependerent ; quippe

sicuti mens suberat Deo, ita menti subdebantur inferiores vires et animæ corpus. Atqui ordinem hunc divinitus constitutum pervertisset sacramentorum seu elementorum corporalium usus ad acquirendam animæ perfectionem ; siquidem tunc homo usus fuisset rebus corporalibus non tam per modum *domini* eas in suî utilitatem vocantis, quam per modum *servi* suum ab eis earumque regulatione spirituale bonum mendicantis. Ergo.

3ª *Pars* additur (ex *Cajet.* in h. art.) ad dissipandum dubium circa progressum gratiæ et scientiæ supernaturalis.— Si enim status innocentiæ durasset, homines generati fuissent cum gratia[1]. Atqui gratiam comitantur virtutes et dona intellectus perfectiva. Ergo nec ad *gratiam* nec ad *scientiam* de supernaturalibus acquirendam filii Adæ indiguissent sacramentis. Atqui habitus in nobis augentur eo proportionali modo quo nascuntur. Ergo immediato Dei influxu suaque libera cooperatione homo tunc, sine sacramentorum ope, perfectionem supernaturalem progressivam fuisset consecutus.— Id certe, utpote nobilius, nobilissimo illi statui magis congruebat.

Solv. obj.— Obj. 1.— Sacramenta sunt instrumenta gratiæ. Atqui homo innocens indigebat gratia. Ergo.

Resp. *D. M :...* sine quibus gratia non datur, *N ;* quæ Deus tanquam causa principalis homini lapso et indigenti adhibet et quibus homo utens subjicitur, *C.— D. m .:* quam consequeretur per signa sensibilia quibus mancipatus foret, *N ;* per spiritualem Dei influxum a quo gratia *connaturaliter* producitur, *C.— Neg. conseq.*

Obj. 2.— Sacramenta sunt necessaria homini secundum conditionem humanæ naturæ. Atqui eadem est natura hominis ante et post peccatum. Ergo.

Resp. *D. M :...* et secundum quemlibet illius naturæ statum, *N ;* secundum statum naturæ infirmitati suæ relictæ, *C.— C. d. m :...* et idem est naturæ status, *N ;* status diversus est, *C.— Neg. conseq.*

1° Sacramenta congruunt naturæ humanæ secundum eos status in quibus *nativæ* suæ *infirmitati* permittitur, non vero secundum statum innocentiæ.— 2° Etenim licet conditio hominis anima corporeque constantis postulet ut phantasmatibus ad intelligendum aliqualiter utatur, cum tamen gratia et scientia *supernaturalis* sint a Deo, nequaquam a natura, in iis bonis acquirendis anima nostra, quo perfectior est, eo minus a sensibilibus dependet, ideoque in statu per-

[1] — Cf. *de Creatione*, Disp. VII, Q. V, a. 3.

fecto innocentiæ bona supernaturalia recepisset independenter a sensibilium exigentiis seu directione et *norma*.— Quare 3° conditio hominis innocentis minime requirebat sacramenta seu elementa corporalia, quorum ope et usu anima sanctificaretur[1].

Obj. 3.— Matrimonium est sacramentum. Atqui certe institutum est ante peccatum. Ergo.

Resp. *D. M* :... ex se, *N* ; secundum suam elevationem in Nova Lege, *C.*— *D. m* : secundum quod habet rationem sacramenti, *N* ; secundum quod est in officium naturæ et quatenus mystice jam tunc præsignabat futuram unionem Christi cum Ecclesia, *C.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS III.

Utrum post peccatum ante Christum sacramenta debuerint esse.

Aliqua *præmittemus*.— 1° Distinguendus est status *legis naturæ* a statu *legis Mosaïcæ*, quatenus in *primo* statu citra scripturam publice datam homini suppetebat lex humanorum actuum directrix, naturalis quidem instinctu naturæ, supernaturalis vero Dei inspiratione et veluti per naturæ modum ; in *secundo* autem statu accessit lex scripta seu mosaïca, qua et naturalia et supernaturalia determinabantur.

2° De existentia sacramentorum sub *lege scripta* nullum est, ut sentio, theologorum dissidium.— Quod vero pertinet ad statum *legis naturæ*, omnes etiam admittunt remedium quoddam divinitus institutum contra peccatum originale : num autem remedium illud veram sacramenti rationem habuerit, controversum est. *a*) Negarunt quidem *S. Bonaventura*, *Soto*, *Vasquez* et alii ; *b*) *Hugo a S. Victore* sacramentum concessit devotionis, non necessitatis ; *c*) communior tamen veriorque est *S. Thomæ* sententia, scil. medium aliquod sacramentale tunc extitisse quo saltem infantes a labe originaria mundari deberent.

3° Rem totam ad mentem *Angelici* enucleare conabimur tribus successivis conclusionibus.

Conclusio 1ª.— Tenendum est generatim post peccatum ante Christum fuisse aliqua sacramenta, quæ majorem determinationem ex lege scripta quam ante illam sortita sunt.

[1] — De hac obj. vid. Billuart, Diss. II, a. 2.

1ª *Pars* constat ex *Conc. Florent.* (Decr. pro Arm.), necnon ex *Trid.* (Sess. VII, can. 2), ubi asseritur sacramenta nostra differre a *sacramentis antiquae legis.*— Hanc rationem tradit *S. Thomas :* sacramenta requiruntur ad humanam salutem, in quantum sunt quædam sensibilia signa invisibilium rerum quibus homo sanctificatur. Atqui post peccatum ante Christum fuerunt signa quædam sensibilia fidei in Christum venturum ejusque gratiæ sanctificantis. Ergo tunc viguerunt sacramenta, licet a nostris diversa. *Min. expl.:* nam ex una parte nullus post peccatum sanctificari potest nisi per Christum, *quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius* (Rom. III, 25) ; ex altera parte, juxta superius tradita (art. 1), consentaneum erat humanæ naturæ ut homo signis visibilibus fidem suam de futuro Salvatoris adventu protestaretur. Ergo.

2ª *Pars* subjicitur (ex resp. ad 2).— Sacramenta temporibus accommodantur. Atqui, progredientibus sæculis, *peccatum* cœpit magis magisque humanam mentem obtenebrare ; expressior quoque, quum appropinquaret Incarnationis ætas, requirebatur *fidei significatio.* Ergo, juxta hanc duplicem proportionem, conveniens fuit ut cum præceptis in lege scripta datis ipsa sacramenta, peccati remissiva et fidei significativa, majorem a Deo determinationem susciperent.

Conclusio 2ª.— SUB LEGE NATURÆ FUIT REMEDIUM QUODDAM CONTRA PECCATUM ORIGINALE INSTITUTUM, CUI PROBABILIUS INERAT SACRAMENTI RATIO ; IMO VERISIMILITER NEC DEERANT ALIA SACRAMENTA.— Thesis constat tribus partibus.

1ª *Pars* intelligitur de *parvulis*, quibus nec fides propria nec circumcisio adhuc subveniebat : theologice *certa* est.

1° Sane *Patres* consentiunt (ut videre est ap. *de Augustinis*, th. II) ; audiamus *S. Gregorium M.* (in Job. IV, 3): « Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his, qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium circumcisionis.»— 2° Unanimis est, teste Suarezio (Disp. IV, S. 1, n. 5), *scholasticorum* seu *theologorum sensus ;* ait *S. Thomas* (4 S. D. I, Q. II, a. 6, sol. 1) : « Peccatum originale est peccatum naturæ, natura autem reparari non poterat nisi per Christum, et ideo nunquam poterat remitti peccatum originale alicujus nisi facta relatione et quadam continuatione illius qui curari debebat ad Christum, quod per fidem fiebat ; et ideo fides Mediatoris semper fuit efficax ad curandum ab originali : in illis quidem qui usum liberi arbitrii habebant, propria ; in aliis vero aliena, ut nec eis omnino deesset divinum remedium."

— 3° *Ratio* manifesta promanat ex voluntate Dei salvifica, qua nempe, Scripturarum Patrumque suffragio, sincere vult salvare omnes homines ; unde *Innocentius IV* (Decr. Greg. l. III, t. 42, c. 3) : « Absit ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin et ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem ».

2ª *Pars* habet, remedium supradictum fuisse (probabilius saltem) verum *sacramentum*.

1° In hanc sententiam conveniunt verba *S. Augustini* (c. Julian. l. V, c. 11, n. 45) : « Nec tamen credendum est, et ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis ; quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit.»— *Quidam Patres* (S. Greg., S. Bern.) dicunt parvulis suffecisse *solam* fidem parentum ; at non immerito creduntur intellexisse externam fidei professionem, exclusis iis quæ ad adultos justificandos requirerentur.— *S. Thomæ* mens indubia est, uti patet tum ex toto præs. articulo, tum ex pluribus disertis locis, v. g. (4 S. D. I, Q. II, a. 3, qu. 1 ad 1) : « Remedium, quod præcessit circumcisionem, computatur simpliciter inter sacramenta legis naturæ ». Unde si alicubi (*ibid.* a. 6, sol. 2) S. Doctor æstimare videtur exterius signum, fidei protestativum, ex parte parentum haud fuisse necessarium, accipiendus est de signo in specie determinato (nisi dicatur sententiam mutasse).

2° Ad rationem sacramenti requiritur ut sit signum sensibile rei sacræ, in quantum sanctificat homines, ex institutione divina. Jamvero tria ista reperiuntur in remedio parvulis sub lege naturæ expiandis adhibito : ergo. *Expl. min.*

a) Quoad 1ᵘᵐ, supponimus quod in confesso est apud omnes, parvulis subvenire potuisse *fidem parentum* vel *tutorum* qua illos influxui Christi Redemptoris subjicerent. Nimirum fides illa « non juvabat in quantum erat actus personæ, sed ex parte illa qua respiciebat objectum suum (Christum), quod erat medicina totius naturæ » (S. Th. *l. cit.* qu. 1 ad 2) ; idcirco « informitas fidei in parente non impediebat effectum salutis in filio, impediebat autem in ipso » (*ibid.*).— Porro tum natura hominis ex mente corporeque conflati, tum conditio externæ societatis, cui novi fideles aggregandi erant, veluti exigebat ut parentes seu tutores, in parvulorum locum, suam de Salvatore fidem *sensibili* quodam signo profiterentur, vinculumque visibile constituerent inter nova Christi membra eorumque Caput mysticum.—

In quo autem situm erat illud signum sensibile, liquido non apparet. « Probabile est, ait *S. Thom.* (III, Q. LXX, a. 4 ad 2), quod parentes fideles pro parvulis natis, et maxime in periculo existentibus, aliquas preces Deo funderent vel aliquam benedictionem eis adhiberent (quod erat quoddam signaculum fidei), sicut adulti pro seipsis preces et sacrificia offerebant ».

b) Quoad 2um, non deerat in signo adhibito *practica* quædam sanctificationis expressio, quoniam significabatur gratia actu sanctificans ex meritis Christi venturi una cum legali translatione in sinum religiosæ societatis.

c) Quoad 3um, dicimus quod, licet non idem in specie signum sacramentale obtineret apud omnes, tamen *institutio divina* sufficienter salvabatur, tum quia divinitus præscriptum omnibus arbitramur ut signa dumtaxat *idonea* adhiberent, tum quia singuli vel saltem præfecti ac præcipui viri interna quadam inspiratione ducerentur ad illa pro more suæ regionis eligenda, juxta illud *S. Thomæ* (III, Q. LX, a. 5 ad 3) : « Ex interiori instinctu determinabatur eis quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur[1] ».

3^a^ *Pars* nullo certo fundamento firmari potest ; attamen probabilitatem habet ex verbis *S. Thomæ*.— Quippe S. Doctor (4 S. D. I, Q. I, a. 2, sol. 3 et ad 2) pro statu legis naturæ agnoscit, præter fidei sacramentum ordinatum ad deletionem originalis peccati, signum aliquod pœnitentiæ ad delenda peccata actualia ; et (III, Q. LXV, a. 1 ad 7) scribit : « Oblationes et decimæ erant tam in lege naturæ quam in lege Moysis ordinatæ... etiam in figuram ; et ideo erant sacramenta ».

Conclusio 3^a^.— PLURA SUB LEGE MOYSIS FUERUNT SACRAMENTA, QUÆ COMMODE AD TRES CLASSES REDUCI POSSUNT.

1° Huc faciunt vulgata *Augustini* verba (c. Faustum, l. XIX, c. 13) : « Prima sacramenta, quæ observabantur et celebrabantur ex Lege, prænuntiativa erant Christi venturi... alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, *numero pauciora* ». Nec mirum, siquidem sacramenta V. L., utpote figuralia seu umbratica, inadæquata erant ideoque multiplicanda.

[1] — Opportune hic notat *de Augustinis* (th. II) : « Dicimus sacramentum quod fuit pro parvulis in lege naturæ ante circumcisionis institutionem perseverasse pro omnibus populis usque ad sufficientem promulgationem legis Christi. In gente Judaica similiter permansisse videtur usque ad legem evangelicam pro feminis quæ circumcisionem non poterant accipere, et probabiliter pro pueris qui circumcidi non poterant et in mortis periculo versabantur ». Cf. III, Q. LXX, a. 4 ad 3.

2° *Angelicus* synthetico complexu sic sacramenta illa ad tres classes reduxit ; loquatur ipse (I-IIæ, Q. CII, a. 5) : « Sacramenta proprie dicuntur illa quæ adhibebantur Dei cultoribus ad quamdam consecrationem, per quam scil. deputabantur quodammodo ad cultum Dei. Cultus autem Dei generali quidem modo pertinebat ad totum populum, sed speciali modo pertinebat ad sacerdotes et levitas qui erant ministri cultus divini. Et ideo in istis sacramentis V. L. quædam pertinebant communiter ad totum populum, quædam autem specialiter ad ministros. Et circa utrosque tria erant necessaria. Quorum primum est *institutio in statu colendi Deum ;* et hæc quidem institutio communiter quantum ad omnes fiebat per circumcisionem[1], sine qua nullus admittebatur ad aliquid legalium ; quantum vero ad sacerdotes, per sacerdotum consecrationem. Secundo requirebatur *usus eorum quæ pertinent ad divinum cultum ;* et sic quantum ad populum erat usus paschalis convivii, ad quem nullus incircumcisus admittebatur, ut patet Ex. XII, et quantum ad sacerdotes oblatio victimarum, et esus panum propositionis et aliorum quæ erant sacerdotum usibus deputata. Tertio requirebatur *remotio eorum per quæ aliqui impediebantur a cultu divino*, scil. immunditiarum ; et sic quantum ad populum erant institutæ quædam purificationes a quibusdam exterioribus immunditiis et etiam expiationes a peccatis ; quantum vero ad sacerdotes et levitas erat instituta ablutio manuum et pedum et rasio pilorum[2]».— Harum tamen cæremoniarum nonnullæ (ut monet *Gonet*) videntur a ratione sacramenti proprie dicti defecisse, quatenus solam justitiam *legalem* conferrent.

Solv. obj.— Obj. 1.— Passio Christi comparatur ad sacramenta, sicut causa ad effectum. Atqui effectus non præcedit causam. Ergo.

[1] — De circumcisione plura dicentur infra.

[2] — Legitur (*ibid.* ad 3) : « Quædam sacramenta N. L. habuerunt in V. L. sacramenta figuralia sibi correspondentia. Nam circumcisioni respondet *Baptismus*, qui est fidei sacramentum... Convivio vero agni paschalis respondet in N. L. sacramentum *Eucharistiae*. Omnibus autem purificationibus V. L. respondet in N. L. sacramentum *Poenitentiae*. Consecrationi autem pontificis et sacerdotum respondet sacramentum *Ordinis*.— Sacramento autem *Confirmationis*, quod est sacramentum plenitudinis gratiæ, non potest respondere in V. L. aliquod sacramentum, quia nondum advenerat tempus plenitudinis... Similiter autem et sacramento *Extremae-Unctionis*, quod est quædam immediata præparatio ad introitum gloriæ, cujus aditus nondum patebat in V L., pretio nondum soluto. *Matrimonium* autem fuit quidem in V. L. prout erat in officium naturæ, non autem prout est sacramentum conjunctionis Christi et Ecclesiæ, quæ nondum erat facta. Unde et in V. L. dabatur libellus repudii, quod est contra sacramenti rationem ».

Resp. *D. M :...* sicut causa vel efficiens vel *finalis*, *C ;* efficiens tantum, *N.*— *C. d. m :* causam efficientem, *C ;* finalem, *S. d:* in intentione agentis, *C ;* re et tempore, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Sacramenta congruere debent statui humani generis. Atqui status humani generis non fuit mutatus post peccatum usque ad Christum. Ergo nec sacramenta debuerunt immutari.

Resp. *C. M.*— *D. m :...* quoad *rationem fidei* justificantis per respectum ad Christum venturum, *C ;* quoad *conditionem moralem humani generis*, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Sacramenta vetera debuissent novis assimilari pro gradu propinquitatis ad Christum. Atqui contrarium apparet ex eo quod sacerdotium Christi prædicitur futurum secundum ordinem Melchisedech, non Aaron (Heb. VII). Ergo.

Resp. *D. M :...* saltem in re significata, *C ;* etiam in materia sacramenti, *N.*— *C. d. m :...* propter materiam sacramentalem seu *panem et vinum* oblatum, *C ;* quasi sacramenta legis naturæ expresserint *Christi passionem* sicut sacramenta Mosaica, *N.*— *Neg. conseq.*

« Sacramentum Melchisedech, quod fuit ante legem, magis assimilatur sacramento N. L. *in materia*, in quantum scil. *obtulit panem et vinum*, ut habetur Gen. XIV, sicut etiam sacrificium N. L. oblatione panis et vini perficitur. Sacramenta tamen legis Mosaicæ magis assimilantur *rei significatæ* per sacramentum, scil. *passioni Christi*, ut patet de agno paschali et aliis hujusmodi ; et hoc ideo ne propter continuitatem temporis, si permaneret eadem sacramentorum species, videretur sacramenti ejusdem esse continuatio" (art. 3 ad 3).

ARTICULUS IV.

Utrum post Christum debuerint esse aliqua sacramenta.

Titulus unum explicite enunciat, duo tamen tradenda continet, scil. *aliqua* sacramenta requiri post Christum, eaque *alia* a veteribus.

Conclusio.— Oportuit post Christum esse aliqua alia sacramenta.

1° Quod *aliqua* sacramenta nunc necessaria sint, probant rationes superius allatæ (art. 1) ad demonstrandam necessitatem sacramentorum in genere : licet enim nova lex longe

veterem perfectione antecedat, tamen, quamdiu *per speculum et in ænigmate* (1 Cor. XIII) cognoscimus, oportet nos, sensibus subjectos, per aliqua sensibilia signa in spiritualia devenire.

2° Requiruntur sacramenta *diversa* a veteribus.— *a*) Etenim sicut antiqui patres salvati sunt per fidem Christi venturi, ita et nos per *fidem Christi jam nati* et passi salvamur. Atqui sacramentorum nomine intelliguntur signa quædam protestantia fidem qua homo justificatur, non quomodocumque, sed secundum rei significandæ indolem : aliis quippe signis significantur futura, præterita et præsentia, ut jam adverterat *S. Aug.* (c. Faustum, l. XIX, c. 16). Ergo oportuit, præter antiqua sacramenta, futurorum præsignativa, alia diversaque haberi in N. L. quæ mysterium Christi nati passique exprimerent.— *b*) Accedit quod « sacramenta sunt *medicinæ* spirituales. Sed non competit eadem medicina parvulo et adulto. Cum ergo status legis comparetur puerili ætati, status autem temporis gratiæ ætati perfectæ, ut patet Gal. IV, videtur quod alia sacramenta fuerunt etiam tempore gratiæ instituenda » (4 S. D. II, Q. I, a. 4.)

Solv. obj. — Obj. 1.— Veniente veritate, evanescere figura debet. Atqui sacramenta signa sunt seu figuræ gratiæ et veritatis, quæ *per Jesum Christum facta est* (Joan.I, 17). Ergo.

Resp. *Trans. M.— D. m :...* i. e. quæ per Christum implevit figuras V. L., *C ;* quæ nude et perfecte manifestata est, qualis in cœlo splendet, *N.— Neg. conseq.*

Obj. 2.— Sacramenta in quibusdam elementis consistunt. Atqui servire Deo sub *mundi elementis* non convenit præsenti hominum conditioni, ut Ap. tradit (Gal. IV). Ergo.

Resp. *C. M.— D. m :...* servire Deo utendo elementis quæ gratiam nec contineant nec conferant, ideoque nihil aliud sint quam elementa mundi, *C ;* utendo elementis quæ gratiam sacramentalem contineant et conferant, qualia sunt sacramenta N. L., *N.— Neg. conseq.*

Obj. 3.— Apud Deum nequit esse mutatio. Atqui diversitas successiva sacramentorum mutationem divinæ voluntatis involvere videtur. Ergo.

Resp. *D. M :...* in Deo ipso, *C ;* in iis quæ, æternaliter prævisa, divinæ voluntatis actui secundum temporum congruentias subduntur, *N.— C. d. m :...* mutationem voluntatis *subjective* sumptæ, *N ; objective* spectatæ, *C.— Neg. conseq.*

QUÆSTIO TERTIA

DE VI SEU EFFICACIA SACRAMENTORUM

Explorata sacramentorum essentia atque necessitate, ducimur ad investigandam *eam virtutem* seu operandi vim qua divinitus instructa sunt ut homini validum salutis præsidium afferrent.— Cum autem alia sit quæstio de sacramentis N. Legis (art. 1-3), alia de sacramentis V. Legis (art. 4), primam inde argumenti divisionem sumemus. Quod vero ad sacramenta N. L. pertinet, inquirendum venit *quanam virtute* operentur (art. 1-2), et *a quo* virtutem hanc sortiantur (art. 3). Virtus autem ipsa spectari poterit vel *in genere* contra hæreticos (art. 1), vel *in specie* secundum quod inter catholicos res controvertitur (art. 2). Quatuor jam apparet instituendos esse articulos.

ARTICULUS I.

Utrum sacramenta sint causa gratiæ ; — seu de efficacia sacramentorum Novæ Legis contra haereticos.

(Q. LXII, a. 1)

In hujus disceptationis limine opportunum est prænotiones quasdam statuere.

Et 1° ut a *causae* conceptu recolendo exordiamur, *a*) causa efficiens (de qua tantum impræsentiarum agitur) definiri potest « ens quod sua actione aliquid a se substantialiter distinctum producit » (*Lorenzelli*, Phil. theor. inst., ed. 2, vol. I, p. 221).— Alia quidem est causa *prima* seu agens virtute irrecepta et imparticipata, alia causa *secunda* seu agens virtute aliunde derivata.— Rursus distinguenda est causa *principalis* et *instrumentalis ;* principalis ea est quæ virtute suæ formæ (irrecepta vel recepta) effectum sibi proportionatum producit, sicut ignis suo calore calefacit ; instrumentalis vero dicitur quæ sua virtute, mota vel applicata a causa superiori, operatur dispositive ad effectum principalis agentis, v. g. securis adhibita ad conficiendum lectum.

b) Omnes quidem conveniunt, causam *primam* gratiæ esse solum Deum, a quo cuncta sunt entia quin Ipse ab ullo sit. — Item satis liquet, gratiæ productionem nulli creaturæ competere posse tanquam causæ *principali :* siquidem ad causam principalem pertinet operari per virtutem suæ formæ cui assimilatur effectus ; gratia autem, utpote partici-

pata similitudo divinæ naturæ, Deo dumtaxat assimilari potest[1].— Verum quæstio modo agitanda contra adversarios est, utrum sacramenta dici possint ac debeant causæ saltem *instrumentales* gratiæ : catholici affirmant ; hæretici negant.

2° Enimvero *Protestantes* ex fundamentali suo principio de sola fide justificante obvium traxerunt consectarium, sacramenta nequaquam esse causas gratiæ, sed eis solum inesse vim discernendi christianos ab infidelibus, significandi gratiam per fidem acceptam, aut exhibitis sub specie sensibili divinis promissionibus, fidem excitandi et alendi. Hinc *Lutherus* (l. Captiv. Babyl., de *Sac. Bapt.*) : « Baptismus neminem justificat, nec ulli prodest, sed fides in verbum promissionis, cui additur baptismus ».[2]— Nonnunquam equidem (ut notavit *Bellarminus*, de Sac. in gen. l. II, c. 2) idem Lutherus aliique Novatores verbis catholicorum uti videntur ; at, cum dicunt sacramenta esse signa efficacia seu media gratiæ, vim istam ita fidei medianti subordinant ut illa reapse nihil aliud agant nisi fidem per se justificantem excitare vel nutrire.— Ab antecessorum suorum doctrina minime recedunt sectæ hodiernæ, prouti videre est apud Hodge (*op. cit.*, P. III, c. 20) de Lutheranis, Calvinistis aliisque sectariis.

3° E contrario *catholici* docent sacramenta N. L. ea virtute pollere, ut neque sint meræ fidelium tesseræ neque nuda tantum signa fidei excitativa, sed signa efficacia gratiæ seu causæ instrumentales quæ gratiam *ex opere operato* non ponentibus obicem infallibiliter conferunt : — explicatio detur.

a) Sermo est, ut patet, de sacramentis *Novae Legis*, quibus competit vis salutifera longe præstantior virtute antiquorum sacramentorum.— *b*) Nam, præter id quod Protestantes legitime in eis agnoscunt, ipsis tribuimus *causalitatem instrumentariam*, secundum quam recte dicuntur continere gratiam eamque conferre.— *c*) Qua de causa, solet etiam dici quod effectum gratiæ producunt *ex opere operato*, non autem ex *opere operantis* seu ex fide tantum, ut Protestantes volunt. Atque expressio illa, jamdudum in scholis vigens[3] usuque sacro veluti rata, hunc sensum præ se fert, nempe sacramentum, qua tale, conferre gratiam ex vi ipsius actionis sacramentalis a Deo ad hoc institutæ, non ex merito agentis vel suscipientis[4].— *d*) Quapropter (scite advertit *Bellar-*

[1] — Cf. *de Reparatione*, Disp. V, Q. I, a. 1.
[2] — Ap. C. Hodge, *Systematic theology*, ed. 1895, Vol. III, p. 504.
[3] — Vid. S. Thom., *Comm.* in Rom. c. IV, l. 2 ; 4 S. D. I, Q. I, a. 5, sol. 1.
[4] — Ampliora de formula *ex opere operato* reperies ap. Bellarminum, Sasse (th. VII), etc.

minus, l. II. c. 1, ad dissipandas Novatorum æquivocationes) « voluntas, fides et pœnitentia in suscipiente adulto necessario requiruntur ut *dispositiones* ex parte subjecti, non ut causæ activæ[1]: non enim fides et pœnitentia efficiunt gratiam sacramentalem neque dant efficaciam sacramentis, sed solum tollunt obstacula quæ impedirent ne sacramenta suam efficaciam exercere possent ; unde in pueris, ubi non requiritur dispositio, sine his rebus fit justificatio ».— *e*) Jam colligitur quid sibi velint reliqua verba *non ponentibus obicem*. Obex enim gratiæ est moralis indispositio quæ, etsi forte non obstet valori sacramenti, hujus tamen effectum sanctificantem impedit vel suspendit ; unde sublato obice per dispositionem debitam (v. g. per dolorem de peccatis in baptismo adulti), sacramentum, ut aiunt, reviviscit suaque interna vi gratiam sacramentalem confert.

Conclusio.— SACRAMENTA N. L. OMNIBUS NON PONENTIBUS OBICEM GRATIAM EX OPERE OPERATO INFALLIBILITER CONFERUNT.— Thesis est *de fide*, maxime post *Conc. Flor.* (Decr. pro Arm.) et *Conc. Trid.* (Sess. VII).[2]

1° Præsto sunt *Scripturae* oracula.

De Baptismo legitur (Joan. III, 5) : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Sp. Sancto, non potest introire in regnum Dei ;* et (Eph. V, 26) : *Mundans* (Ecclesiam) *lavacro aquae in verbo vitae* . De Confirmatione (Act. VIII, 18) : *Cum vidisset Simon quia per impositionem manus Apostolorum daretur Sp. Sanctus*. De Eucharistia (Joan. VI, 56) : *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus*. De Ordine (2 Tim. I, 6) : *Admoneo te, ut ressuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum*. Atqui in his et similibus locutionibus effectus gratiæ liquido tribuitur, tanquam causæ proximæ, actioni sacramentali, minime vero fidei. *a*) Quippe, nulla facta fidei mentione, collatio gratiæ *immediate* conjungitur cum signo sacramentario. *b*) Præterea particulæ *ex*, *per* et usus *ablativi*, manifesto sensu designant veram causalitatem, scil. instrumentalem. Ergo.

[1] — Dispositio, quatenus præparativa est subjecti ad susceptionem formæ, magis se tenet materialiter quam efficienter.

[2] — De *Sacr. in gen.* cc. 5-8 : « Si quis dixerit, hæc sacramenta propter *solam fidem* nutriendam instituta fuisse, A. S.» — « Si quis dixerit, sacramenta N. L. non *continere gratiam* quam significant, aut gratiam ipsam non *ponentibus obicem* non *conferre*, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel justitiæ, et notæ quædam christianæ professionis... A. S.» — « Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi sacramenta semper et *omnibus* quantum est ex parte Dei, etiam si rite ea suscipiant... A. S.» — « Si quis dixerit, per ipsa N. L. sacramenta *ex opere operato* non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, A. S.»

2° Succedunt *traditionis* suffragia quæ luce meridiana lucidius splendent.

a) Veteres enim clare indicant *ordinem causae ad effectum*, v. g. *Tertullianus* (De resurr. carn. c. 8) : « Caro abluitur, ut anima emaculetur ; caro ungitur, ut anima consecretur ; caro signatur, ut et anima spiritu illuminetur ; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima Deo saginetur ».— *b*) Alii *vim propriam* sacramenti efferunt, puta *S. Augustinus* scribens (c. Cresc. l. IV, c. 16, n. 19) « non eorum meritis, a quibus ministratur, nec eorum quibus ministratur, constare baptismum, sed propria sanctitate atque veritate ». — *c*) Eamdem vim a *Sp. Sancto operante in aqua* repetit *S. Cyril. Alex.* (in Joan. III, 5) : « Spiritus efficacitate sensibilis aqua ad divinam quamdam et ineffabilem vim transformatur, omnesque, in quibus fuerit, sanctificat ».— *d*) Unde tam insolitam virtutem *admirantur* antiqui cum *Tertulliano* (de Bapt. c. 2) : « Quid ergo ? nonne mirandum et lavacro dilui mortem ?»— *e*) Tandem varias *comparationes* adhibent importantes rationem causæ, puta similitudinem *generationis ex utero, fecunditatis aquarum* in formatione rerum ; audi eloquentem *Chrysostomum* (in Joan. hom. 26, al. 25, n. 1) : « Primum dicebatur : *Producant aquae reptile animae viventis* (Gen. I, 20) ; ex quo autem Jordanis fluenta ingressus est Dominus, non amplius reptilia animarum viventium, sed animas rationales Sp. Sanctum ferentes aqua producit ».

3° *Conf.* ex doctrina *S. Thomae* (art. 1) : « Causa instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum quo movetur a principali agente. Unde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti ; sicut lectus non assimilatur securi, sed arti quæ est in mente artificis. Et hoc modo sacramenta N. L. gratiam causant ; adhibentur enim ex divina ordinatione hominibus ad gratiam in eis causandam. Unde *Aug.* dicit (XIX c. Faust. 16) : « Hæc omnia (scil. sacramentalia) fiunt et transeunt ; virtus tamen (scil. Dei) quæ per ista operatur, jugiter manet ». Hoc autem proprie dicitur instrumentum, per quod aliquis operatur ; unde et Tit. III, 5 dicitur : *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis* ».

4° Rationes theologicas sic petit *Billuart* (Diss. III, a. 1) *ab inconvenientibus* : — Si sacramenta non causent gratiam ex seipsis seu *ex opere operato*, sed tantum excitent objective fidem, sequitur *a*) quod baptisma collatum infanti, aut adulto in lingua ei ignota, nullius sit efficaciæ ; *b*) quod baptismus Christi non sit majoris virtutis quam baptismus Joannis ;

c) quod baptizati a Joanne non debuerint baptismo Christi rebaptizari, contra Apost. Act. XIX ; *d*) quod baptismus non sit necessarius necessitate medii ad salutem, cum per aliud posset excitari fides ; *e*) quod aliquando sacramentum conferat gratiam adstantibus fide motis, et non ipsi suscipienti in quo forte fides non excitatur : hæc autem sunt absurda. Ergo.

Adnotanda.— 1° Ex dictis consequitur quod Concilia ad mentem S. Thomæ definierunt, scil. gratiam *contineri* in sacramentis N. L. non solum sicut in signo, at maxime sicut in *causa instrumentali*, quod est, non secundum aliquam formam propriam et permanentem, sed ad instar motus seu entis fluentis et incompleti (art. 3), ut ex dicendis in art. sequente melius intelligetur.— 2° Licet sacramenta nostra gratiam conferant *ex opere operato*, quia tamen prærequiruntur in suscipiente dispositiones quibus obstacula removeantur, rationabile est ut gratia illa collata *major minorve* sit pro vario dispositionum gradu (cf. III, Q. LXIX, a. 8 et *C. Trid.* Sess. VI, cap. 7).

Solv. obj.— Obj. 1 ex Scriptura.— Legitur (Marc. XVI, 16) : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui vero non crediderit, condemnabitur ;* unde sic arguunt : ei adscribenda est salus, quo deficiente futura est damnatio. Atqui deficiente fide futura est damnatio. Ergo. (Ita Lutherus).

Resp. *D. M :* Ei adscribenda est salus sive tanquam conditioni et *dispositioni* necessariæ sive tanquam *causae... C ;* tanquam causæ tantum, *N.*— *C. d. m :* quatenus fides est in adultis conditio *sine qua non* salutis, *C ;* quasi sit causa per quam baptizati justificantur et salvantur. *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2 ex Patribus.— *S. August.* ait (c. Faustum, l. XIX, c. 16) : « Quid enim sunt aliud quæque corporalia sacramenta, nisi quædam quasi verba visibilia » ? — Etiam *S. Bernardus* (Serm. in Cœna Dom. n. 2) : « Sicut investitur canonicus per librum, abbas per baculum, episcopus per baculum et annulum simul... sic et divisiones gratiarum diversis sunt traditæ sacramentis ».

Resp. ad 1um, Augustinum, cum disputaret de sacramentis *in genere* seu utriusque Testamenti, eo loco assignare unum sacramentorum effectum omnibus communem, secundum quem assimilantur verbis, quin reliquos negaverit quos alibi sæpe posuit.— Ad 2um resp. cum *Angelico* (4 S. D. I, Q. I, a. 4, quæstiunc. 1 ad 1) : « Bernardus, ut ex præcedentibus ibidem patet, non intendit ostendere similitudinem sacramentorum ad illa, *nisi quantum ad significationem :* quia annulus

est signum et baculus, et similiter sacramenta ; sed sacramenta ulterius sunt causæ ».

Obj. 3 ex ratione.— Quia ratio signi competit effectui magis quam causæ, quod est signum nequit esse causa. Atqui sacramenta sunt signa gratiæ. Ergo.

Resp. *D. M :...* nequit proprie esse causa principalis, *C ;* neque causa instrumentalis, *N.— C. m.— Neg. conseq.*

Equidem causa *principalis*, etiam sensibilis et manifesta, proprie dici non potest signum effectus, licet occulti ; quippe non ad hoc nata et instituta est ut secundum quamdam dependentiam significet vel repræsentet (contra ac effectus), sed ut efficiat. Verum causa *instrumentalis*, si sit manifesta, signum occulti effectus dici potest, in quantum, ut causa mota ab alio, aliquid etiam habet de ratione effectus. Quocirca sacramenta N. L. simul sunt causæ et signa.— Hinc, juxta theologicum effatum, *efficiunt quod figurant*, perfecteque nomen ac rationem *sacramenti* sortiuntur, utpote dupliciter ad aliquid sacrum ordinata[1].

ARTICULUS II.

Utrum in sacramentis sit aliqua virtus gratiae causativa ; — seu de modo quo sacramenta N. L. conferunt gratiam.

(Art. 1, 3, 4)

Re cum hæreticis absoluta, gradum promovemus ad controversiam jamdiu gravique dissensu inter theologos agitatam de *modo* causalitatis sacramentorum N. L.— Pro more nonnulla scitu utilia prænotabimus.

1° Cum acceperimus sacramenta nostra esse (aliqualiter saltem) causas instrumentales gratiæ cumque tota difficultas sita videatur in determinanda illorum instrumentorum ratione, præmittere juverit aliquid posse inter causam et effectum aliquatenus mediare sex modis[2]: *a*) scil. per modum *assistentis* vel accidentaliter conjuncti, sicuti in medico-musico musicæ arti plane accidit quod sanat ægrotum ; *b*) per modum *signi* tantum, ut patet de denario plumbeo vel chirographo quasi regiæ voluntatis testimonio, quo exhibito quis centum libras accipit ; *c*) per modum *conditionis* vel dispositionis extrinsecæ *sine qua non* sequitur effectus, puta quod

[1] — De hac controversia cum hæreticis vid. plura apud Bellarminum, l. II, c. 1-11 ; — cf. quoque S. Thom. 4 S. D. I, Q. I, a. 4 ; de Ver. Q. XXVII, a. 4, ubi multæ objectiones solvuntur.

[2] — Em. Satolli, *In Sum. theol. prael., de Gratia*, pp. 167-68.

servus a domino jubeatur dare alicui nummum aureum quoties galli cantum audierit ; *d*) per modum *rationis invitantis* ad aliquid faciendum, prout meritum sollicitat a præmiante mercedem ; *e*) per modum *viae* ad terminum, sicuti alveus medium est quo flumen assequitur oceanum ; *f*) tandem per modum *realiter efficientis* sub influxu causæ superioris quæ effectum principaliter intendit, uti est penicillum in manu pictoris.

2° Si ad hæc diversa media respiciamus, comperiemus pleraque a ratione causæ directe proximeque effectricis esse aliena.— Sane 1um medium non est nisi causa *per accidens*, quin in effectum directe et per se intentum influat.— 2um pariter nihil reapse operatur ad effectum quem totum producit causa cui signum exhibetur, ut diserte tradit *D. Thomas* (art. 1).— 3um utique, juxta statam dispositionem, conjungi infallibiliter potest cum effectu, at nec ipsum causa est effectus.— 4um aliquid de causalitate habet, quod ideo vocant causam *moralem*, distinctam a causa *physica*. Causa enim moralis ea est, non quæ ipsa reali et physica actione effectum producit, sed quæ causam physicam ad illum producendum intentionaliter movet, v. g. consilio, pretio, merito. Ratio hæc causandi (ut scite advertit cl. *Lorenzelli*[1]), cum intentione influat, proxime pertinet ad causalitatem *finalem*, nec nisi mediate et diminute reducitur ad causam efficientem, quatenus appetibile, apprehensum et acceptatum ab agente, *ratio* ei est effective operandi.— 5um, scil. via, passive et materialiter se habet ad effectum, non autem efficienter.— 6um vero, ipsumque tantum, realiter proximeque *effectivum* est ; siquidem instrumentum, ut clare colligitur ex Auctore (art. 1 et alibi), proprie est tale, quatenus virtute causæ superioris aliquid per actionem propriam efficit in ordine ad effectum principalis agentis.

3° *a*) Etenim « instrumentum habet duas actiones : unam *instrumentalem*, secundum quam operatur non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis ; aliam autem habet actionem *propriam*, quæ competit ei secundum propriam formam, sicut securi competit scindere ratione suæ acuitatis, facere autem lectum, in quantum est instrumentum artis. Non autem perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam, scindendo enim facit lectum » (art. 1 ad 2). Quare ad rationem instrumenti utrumque requiritur, operari secundum formam seu virtutem propriam et per virtutem derivatam a principali agente : quæ duo non realem discretionem exigunt, sed solum *naturae ordinem*,

[1] — *Phil. theor. instit.* (ed. 2), t. I, p. 222.

quatenus actio propria instrumenti, dispositive influens seu utcumque prævians[1], prius terminari intelligitur ad subjectum operationis quam actio principalis agentis et hanc actionem præsentat seu defert ad effectum[2].— *b*) *Quid* vero sit virtus instrumentalis, qua instrumentum formaliter constituitur, innotescere potest ex verbis *D. Thomae* (de Ver., Q. XXVII, a. 4) : « Hæc est ratio instrumenti, inquantum est instrumentum, ut moveat motum ; unde, sicut se habet forma completa ad per se agentem, ita se habet *motus* quo movetur a principali agente ad instrumentum ». Nimirum virtus instrumentalis aliud reapse non est quam ipse *motus virtuosus*[3] instrumenti quo vis agentis principalis defluit in subjectum ad effectum producendum ; unde habet esse *fluens* seu transiens de uno in aliud, *incompletum* seu in via ad ens completum ad quod reducitur, necnon *intentionale* (ut aiunt) quatenus quodammodo assimilatur intentionibus animæ[4].

4° Jam de *opinionibus* pauca dicamus.— *a*) Nonnulli olim, ut *Scotus*, *Durandus*, *Pet. Alliacensis*, senserunt sacramenta per se nihil prorsus operari ad gratiam, sed esse signa seu conditiones *sine qua non*, quibus positis assistens Deus, juxta initam pactionem, per se solus gratiam elargitur. Verum, ut notat *S. Thom.* (4 S. D. IV, Q. I, a. 4, sol. 1), « illa ordinatio quam dicunt, sive pactio, nihil dat eis (sacramentis) de ratione causæ, sed solum de ratione signi », ideoque præfata positio ægre componi potest cum Conciliis definientibus sacramenta *conferre* gratiam *ex opere operato*.— *b*) *Guillel. Altisiodorensis* causalitatem quamdam saltem *materialem* in sacramentis N. L. admisit, docens sacramenta esse velut vasa medicinalia quæ gratiæ donum ad homines deferunt. At opinio hæc proprie concedi nequit, nisi corrigatur benigna interpretatione *S. Thomae* (III, Q. LXII, a. 3 ad 1) : « Gratia,

[1] — Cajet., *Comm.* in I, Q. XLV, a. 5.
[2] — Id. *Comm.* in III, Q. XIII, a. 2.
[3] — Cf. id. *Comm.* in art. 4, praes. quæst.
[4] — Audiatur *Angelicus* (4 S. D. I, Q. I, a. 4, sol. 2) : « Agens principale agit secundum exigentiam suæ formæ ; et ideo virtus activa in ipso est aliqua forma vel qualitas habens completum esse in natura. Instrumentum autem agit ut motum ab alio ; et ideo competit sibi virtus proportionata motui : motus autem non est ens completum, sed est via in ens, quasi medium quid inter potentiam puram et actum purum, ut dicitur in 3 *Phys.* Et ideo virtus instrumenti in quantum hujusmodi, secundum quod agit ad effectum ultra id quod competit sibi secundum suam naturam, non est ens completum habens esse fixum in natura, sed quoddam ens *incompletum*, sicut est virtus immutandi visum in aëre, in quantum est instrumentum motum ab exteriori visibili ; et hujusmodi entia consueverunt *intentiones* nominari, et habent aliquid simile cum ente quod est in anima, quod est ens diminutum, ut dicitur in 6 *Metaph.*»

inquit, non dicitur esse in sacramento sicut in subjecto, neque sicut in vase, prout vas est locus quidam, sed prout *vas dicitur instrumentum* alicujus operis faciendi ».— *c*) Alii, ut *Vasquez*, *de Lugo*, *Franzelin*, *de Augustinis* (quibus, dubitative tantum, præivit S. Bonaventura), opinionem tuentur *causalitatis moralis*, quatenus scil. in sacramentis nostris ex Christi institutione inest specialis dignitas et excellentia quæ Deum objective veluti movet ad gratiam infallibiliter conferendam.— *d*) Hanc tamen causalitatem eo modo intellectam *Lud. Billot* (de Eccl. sacr., 1896) pro insufficiente habet, propterea quod non salvat efficientiam sacramentorum, nec idcirco causalitati physicæ assentitur ; verum tenet (invocato etiam *Angelici* nomine) sacramenta ideo vere dici causas efficientes instrumentales gratiæ, quia actione quadam intentionali, signorum propria, non solum notificant gratiam, sed et imprimunt subjecto dispositionem, quasi moralem titulum vel jus ad illam recipiendam.[1] Fatear causalitatem istam parum differre a præcedente posseque æquiparari merito danti jus ad præmium, quod est de genere causarum moralium finaliter magis quam effective influentium.— *e*) Postrema sententia eorum est qui, post *D. Thomam*, propugnant causalitatem physicam, eo nempe sensu quod sacramenta sunt instrumenta physice effectiva gratiæ : ita sentiunt *Thomistae*[2] cum *Suarezio*, *Bellarmino*, etc., quibus nuper accessit *Bucceroni*.

5° Præmonemus neminem negare, quod quidem perspicuum est, sacramenta divinitus instituta esse *moralia* saltem gratiæ instrumenta, quatenus merita Christi Deo exhibent et eum statutis signis veluti provocant ad gratiam producendam.— At inquirendum manet, num sint etiam sub agente Deo instrumenta *physice* effectiva gratiæ.

Conclusio.— Tenendum videtur quod sacramenta Novæ Legis physice gratiam producunt, per virtutem instrumentalem sibi divinitus communicatam.

1ª *Pars* suadetur :

1° Ex *Scripturis*.— Criterium generale est,[3] verba S. Scripturæ in obvio magisque proprio sensu esse accipienda, nisi obstet ratio manifesta. Jamvero locutiones illæ biblicæ, renasci *ex aqua*, *lavacro* aquæ, *per lavacrum* aquæ in verbo

[1] — Eam clarissimi Billot opinionem optime excutit et refutat P. Pègues (*Revue thomiste*, janv.-fév. 1904).

[2] — Inter recentiores, cf. Reverendissimum Alex.-M. Lépicier (Tract. *de Sacram. in communi*, Q. III, a. 4).

[3] — Ubaldi, *Introd. ad Sac. Script.*, vol. III, p. 188 (ed. 2).

vitæ, *per impositionem* manuum dari Sp. Sanctum, etc., sensu obvio magisque proprio designant causalitatem physicam, nec ulla sufficiens ratio suadet ut ad sensum remotiorem causalitatis moralis confugiamus. Ergo.— Eo magis quia, si in ista sententia : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Sp. Sanct* , causa principalis seu Sp. Sanctus intelligitur agens physice, quare non etiam causa instrumentalis seu aqua ?

2° Ex *Patribus.*— Nam, teste *Bellarmino* (de Sacr. l. II, c. 11), « Patres passim docent sacramenta non agere nisi prius a Deo virtutem seu benedictionem seu sanctificationem accipiant ; et referunt effectum sacramenti ad omnipotentiam Dei ; et conferunt cum veris causis efficientibus » (cf. art. præc.). Ait *Tertull.* (de Bapt. c. IV) de aquis baptismi quod « vim sanctificandi *combibunt.*» Notum est *August.* dictum (in Joan. tr. 80) : « Unde tanta virtus aquæ ut corpus tangat et cor abluat ?» Accedit *Beda* (in Luc. III, 21) pronuntians Dominum baptizatum ut aquæ « vim regenerativæ sanctificationis conciperent ».— His cohæret quod *S. Thomas* dicit contra sententiam tribuentium sacramentis solam vim moralem signorum (art. 1) : « Secundum hoc sacramenta N. L. nihil plus essent quam signa gratiæ, cum tamen ex *multis sanctorum auctoritatibus* habeatur quod sacramenta N. L. non solum significant, sed causant gratiam ».

3° Ex *D. Thoma.*— Nonnulli equidem causalitatis moralis patroni *Angelicum* pro se stare contendunt, at inaniter (ut demonstrat cl. *Bucceroni*[1] tum auctoritate theologorum tum verbis ipsis D. Thomæ).— Et sane S. Doctor ubique virtutem instrumentalem sacramentorum iis describit characteribus qui soli causalitati physicæ convenire queant, puta quod sit « fluens et incompleta in *esse naturae* » (III, Q. LXII, a. 3), quod in Eucharistia sit « *virtus creata ad conversionem* hujus sacramenti *faciendam* » (Q. LXXVIII, a. 4), quod assimilanda sit virtuti *carnis Christi in miraculis* patrandis (Quodl. XII, a. 14) : « Cum, inquit, sacramentum adhibetur cum invocatione divina, *efficit* hunc effectum. Et hoc est conveniens : quia Verbum, per quod omnia sacramenta virtutem habent, habuit carnem et fuit Verbum Dei ; et sicut caro Christi habuit virtutem instrumentalem ad faciendum miracula propter conjunctionem ad Verbum, ita sacramenta per conjunctionem ad Christum crucifixum et passum[2]».— Non diffitemur *S. Thomam* aliquando docuisse (v. g. 4 S.

[1] — *Comm. de Sacram. causalitate*, pp. 109-136.

[2] — Cf. I-IIæ, Q. CIII, a. 2.— Perperam igitur cl. P. Billot carpit *Cajetanum*, quasi iste primus mortalium invexerit causalitatem instrumentalem physice productivam gratiæ.

D. I, Q. I, a. 4), sacramenta instrumenta esse non tam gratiæ quam *dispositionis* ad gratiam, scil. characteris vel ornatus cujusdam gratiam exigentis. At imprimis opinio hæc per se minime contradicit causalitati physicæ[1]; qua causalitate, contra cl. *Billot* et ex manifesta *D. Thomae* sententia, tenemus characterem formaliter sumptum seu sub physica formalitate potentiæ supernaturalis imprimi oportere. Insuper recte observat *Cajetanus* (in III, Q. LXII, a. 1) quod Auctor in *Summa* « longe altius sensit, expresse ponens *gratiam* gratum facientem a Deo principaliter et a sacramento instrumentaliter effici »: non enim magis repugnat gratiam ipsam quam physicam dispositionem ad illam (qualis est character) physice produci ab instrumento sacramentali.

4° *Rationibus* concl. firmatur.— *a*) *Dignitas* enim *sacramentorum N. L.* vindicare sibi videtur efficaciorem modum causandi instrumentaliter, scil. physicum ; unde *S. Thomas* (de Ver. Q. XXVII), ut ea discriminet a sacramentis V. L., virtuti signorum significantium gratiam, sacramentis utriusque Legis communi, addit vim causalem seu gratiæ effectricem sacramentis N. L. propriam. Secus, quomodo satis distingui ab invicem possent? — *b*) Item, plerique adversarii admittunt sacramenta esse veras ac reales causas efficientes. At causa vere, realiter et *simpliciter* efficiens, ea est quæ immediate exequitur actionem productivam effectus, non vero ea quæ morali quovis modo causam physicam ad illum producendum inducit : hæc enim nonnisi remote, diminute et *secundum quid* efficiens dici potest (si proprie loqui velimus).— *c*) Præterea, in sententia adversariorum, sacramenta nostra stricto sensu non essent instrumenta *Dei* producentis gratiam, sed tantum *Christi* Domini merita sua per signa illa Deo exhibentis : id autem communi suasioni et ecclesiastico loquendi usui repugnat.

5° Tandem sententia nostra *conformior* est *sensui Ecclesiae*, scil. *a*) tum *Conciliis* definientibus sacramenta quædam *imprimere* characterem (Trid. Sess. VII, c. 9), cuncta vero *continere* et *conferre* gratiam *ex opere operato* (art. præc.), per modum causæ *instrumentalis* (Trid. Sess. VI, cap. 7) ; *b*) tum *liturgiae* sacræ, v. g. ubi orat Ecclesia ad consecrandum oleum : « Clementiam tuam suppliciter deposcimus, ut

[1] — Notentur verba S. Doctoris (*ibid.* ad 2) : « Reducuntur (sc. sacramenta) ad genus *efficientis causae*, non principalis, sed instrumentalis. Deus autem solus est causa gratiæ, quasi principale agens, sed sacramenta quasi instrumentaliter et dispositive ». Quis negaverit his verbis tribui efficientiam *proprie* dictam seu physicam, cum agenti principali, tum quoque agenti instrumentali, unicuique tamen proportionatam ?

huic unguento, spiritualem gratiam largiendo, *plenitudinem sanctificationis infundas*... ut hujus creaturæ pinguedinem sanctificare tua benedictione digneris et Sancti Sp. ei *admiscere virtutem* »; hæc enim naturaliter indicant physicam vim sacramentis illabi. Quapropter tutius est vim illam admittere, unde arceatur periculum cadendi in « occasionalismum theologicum » (verbum est cl. *Satolli*).

2ª *Pars* theseos distinctim proponitur non tam ad aliquid probandum quam ad explicandum *modum* causalitatis physicæ.

1° Itaque, semel ac agnoscatur in sacramentis ratio causæ vere ac realiter instrumentalis, necesse est ut simul in eis ponatur, ad inducendum sacramentalem effectum, *virtus instrumentalis* proportionata naturæ instrumenti. Jamvero instrumentum (ut supra dictum est) non operatur nisi in quantum est motum a principali agente, quod per se operatur. Ergo, dum virtuti principalis agentis convenit esse permanens et completum in natura, virtus gratiæ causativa, prout participatur in sacramentis, non habet nisi esse transiens et incompletum per modum *motus actuosi* ; qui quidem motus, licet sit una res, duabus tamen constat rationibus pro duplici actione, Dei scil. et instrumenti.

2° Quærenti num virtus illa sacramentorum corporea sit vel incorporea, respondemus cum *D. Thoma* (de Ver. Q. XXVII, a. 4 ad 5) « quod virtus illa neque potest dici corporea neque incorporea, proprie loquendo : corporeum enim et incorporeum sunt differentiæ entis completi ; sed proprie dicitur *virtus ad incorporeum*, sicut motus magis dicitur ad ens quam ens ».— Cæterum, si velit *spiritualis* appellari (neque Auctor hanc vocem abnuit), attendatur oportet ad verba S. Doctoris (III, Q. LXII, a. 4 ad 1) : « Virtus spiritualis non potest esse in re corporea per modum virtutis permanentis et completæ (quia tale accidens proportionatur subjecto). Nihil tamen prohibet in corpore esse virtutem spiritualem *instrumentaliter*, in quantum scil. corpus potest moveri ab aliqua substantia spirituali ad aliquem effectum spiritualem inducendum, sicut et in ipsa voce sensibili est quædam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit a conceptione mentis[1]». Ratio est quia, cum instrumentum elevetur supra suam naturam ad ordinem et effectum superioris agentis, convenit ei virtus instrumenta-

[1] — In rem est illud (de Ver. Q. X, a. 6 ad 7) : « In receptione qua intellectus possibilis species rerum accipit a phantasmatibus, se habent *phantasmata* ut *agens instrumentale* et secundarium ; intellectus vero agens ut agens principale et primum ».

ria modo singulari quem exigit evectio illa et intentio ad talem effectum.— Non autem (uti patet ex unione animæ et corporis) implicat aliquid spirituale inesse utcumque rei materiali ; neque Ei, cui totum ens secundum potentiam obedientialem obsequitur, quique in Eucharistia accidens citra subjectum conservat, impossibile est virtuti spirituali transeunti præstare pro subjecto ens corporeum.

3° Sub agente Deo sacramenta, vi instrumentali instructa, pertingere possunt usque ad animam in eaque gratiam producere ; scil. « per propriam operationem[1], quam exercent circa corpus quod tangunt, efficiunt operationem instrumentalem ex virtute divina circa animam, sicut aqua baptismi abluendo corpus secundum propriam virtutem abluit animam, in quantum est instrumentum virtutis divinæ : nam *ex anima et corpore unum fit* » (III, Q. LXII, a. 1 ad 2) : unde cum corpus tum quoque anima actionem sacramentalem terminat.— Neque deest sacramentis conditio requisita in omni instrumento, videl. quod *dispositive* agat ad effectum principalis agentis : siquidem nomine dispositionis non intelligitur necessario aliquid inchoative ingrediens essentiam effectus, at generalius accipitur « omne præveniens » (Cajet.). Jamvero per actionem sacramentalem non solum *completur significatio* spiritualis effectus, sed et imperium divinæ virtutis physice *defertur*, *dirigitur*, *suscipienti applicatur*, modo et tempore determinato, ita ut dependenter ab illa actione et quasi per eam *modificata* Dei virtus gratiam efficiat[2].

Si quid obscuri in tam gravi argumento adhuc supersit, valeant verba *Catech. Trid.* (P. II, de Sacr. n. 26) : « Quo pacto tanta res et tam admirabilis per sacramentum efficiatur, ut, quemadmodum S. Augustini sententia celebratum est, aqua corpus abluat et cor tangat, id quidem humana ratione atque intelligentia comprehendi non potest. Constitutum enim esse debet nullam rem sensibilem suapte natura ea vi præditam esse ut penetrare ad animam queat. At fidei lu-

[1] — Nam « habent duplicem actionem : unam quæ excedit formam propriam, sed est ex virtute formæ principalis agentis, scil. Dei, quæ est justificare ; et aliam quam exercent secundum formam propriam, sicut abluere vel ungere ; et hæc actio attingit *corporaliter* ipsum quidem hominem qui justificatur, secundum corpus per se et secundum animam per accidens, quæ hujusmodi corporalem actionem sentit ; *spiritualiter* vero attingit ipsam animam, in quantum ab ea percipitur ut quoddam signum spiritualis mundationis » (de Ver. Q. XXVII, a. 4 ad 2).

[2] — « Actio naturalis materialis instrumenti adjuvat ad effectum sacramenti, inquantum per eam sacramentum suscipienti *applicatur* et in quantum sacramenti significatio per actionem prædictam completur » (de Ver. *l. cit.* ad 17).

mine cognoscimus omnipotentis Dei *virtutem in sacramentis inesse*, qua id *efficiant*, quod sua vi res ipsæ naturales præstare non possunt ».

Solv. obj.— Obj. 1.— Agens nobilius est patiente. Atqui elementis sensibilibus sacramenti nobilior est anima cui gratia insidet. Ergo.

Resp. *D. M* :... in quantum est agens, *C* ; simpliciter, *N*. — *C. d. m* : simpliciter, *C* ; secundum quod elementa illa vim instrumentalem habent producendi gratiam, ad quam anima est in potentia, *N*.— *Neg. conseq.*

Agens non semper est nobilius patiente, *simpliciter* loquendo, uti patet de igne calefaciente corpus humanum, sed inquantum est agens seu in actu.— Unde nil vetat quominus elementa sensibilia, etsi secundum se minus præstantia quam anima, in eam tamen instrumentaliter seu ex Dei virtute influant (4 S. D. I, Q. I, a. 4 ad 3).

Obj. 2.— Sacramenta ordinantur ad gratiæ consecutionem. Atqui gratia, cum sit accidens, non potest transire de subjecto in subjectum. Ergo.

Resp. *C. M*.— *D. m* :... non potest *una numero* manens transire de subjecto in subjectum, *C* ; non potest a causa principali per instrumentum, cui *virtute* insit, novo subjecto communicari seu in eo *produci*, *N*.— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Omne quod est, pertinet ad aliquod genus entis. Atqui dare non est, in quo genere entis virtus sacramentaria reponenda sit. Ergo.

Resp. *D. M* : aut *proprie*, aut *reductive*, *C* ; proprie tantum, *N*.— *C. d. m* :... si spectentur genera entium proprie, *C* ; nec virtus illa reduci potest ad genus et speciem virtutis perfectæ, sicuti motus alterationis ad qualitatem, *N*.— *Neg. conseq.*

Obj. 4.— Idem non potest esse in diversis sibi succedentibus. Atqui ad sacramenta concurrunt diversa sibi succedentia seu res et verba, dum unius sacramenti non potest esse nisi una virtus. Ergo.

Resp. *D. M* :... quatenus sunt diversa et distantia, *C* ; quatenus *ordine* et *virtute* unum quiddam existunt, *N*.— *C. d. m* :... diversa sibi succedentia, qua talia sunt, *N* ; prout ex illis, scil. ex rebus et verbis sensu completis, unum sacramentum perficitur, *C*.— *Neg. conseq.*

Obj. 5.— Instrumentum physice agens non datur ad creationem. Atqui gratia creatur in anima. Ergo.

Resp. *D. M :*... ad creationem proprie dictam, *C ;* improprie sumptam, *N.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

Licet gratia ob suî sublimitatem creari *improprie* dicatur, *proprie* tamen non oritur per creationem, sed educitur de potentia obedientiali animæ, *a qua*, tanquam a subjecto, in suo fieri et in suo esse dependet (de Ver. Q. XXVII, a. 3 ad 9).

Obj. 6.— Sacramenta ficte suscepta, recedente fictione, reviviscunt seu gratiam producunt. Atqui sacramenta illa amplius physice non existunt. Ergo non physice, sed moraliter tantum agunt.

Resp. *D. M :*... saltem ea quæ imprimunt characterem, *C ;* omnia certo, *N.*— *D. m :* nonnulla amplius non existunt, quibus *per accidens* concedi potest causalitas moralis sine physica, *C ;* nec alia perseverant in effectu, scil. in charactere, quo virtualiter disponente gratiam physice conferre valeant, *N.*— *Neg. conseq.* (4 S. D. IV, Q. III, a. 2, sol. 3).

ARTICULUS III.

Utrum sacramenta N. L. habeant virtutem ex passione Christi.

Alibi (scil. in tract. *de Gratia*) demonstratum supponitur, Deum solum esse primam et *principalem* causam gratiæ ; unde virtus sanctificativa, quæ sacramentis nostris inest, ab eo tantum velut a primario fonte repetenda est. Verum nunc movetur quæstio de origine illius virtutis *proxima*, num videl. per Christum passum sacramentis illabatur.— Rursus præsupponitur (ex tract. *de Incarnatione*) Christi humanitatem electam fuisse quasi Divinitatis instrumentum in restaurando humano genere ; quibus præmissis, ad veritatem intentam pergo.

Conclusio.— Sacramenta N. L. proxime virtutem habent ex humanitate et passione Christi.

1ª *Pars* ostend.— Duplex est instrumentum : unum quidem *separatum*, ut baculus ; aliud autem *conjunctum*, ut manus : unde per instrumentum conjunctum movetur instrumentum separatum, sicut baculus per manum. Atqui ad principalem causam effectricem gratiæ, scil. ad Deum, comparatur humanitas Christi sicut instrumentum conjunctum, sacramentum autem sicut instrumentum separatum. Ergo concludendum est quod virtus salutifera a divinitate Christi per ejus humanitatem in sacramenta N. L. derivatur.

2ª *Pars* addit : ex *passione* Christi.

1° Sane huc pertinent verba Ap. (Rom. VI, 3) : *An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus?* — Hujus veritatis *signum* a *S. Thoma* (h. loc.) traditur, quia « de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt aqua et sanguis, quorum unum pertinet ad Baptismum, aliud ad Eucharistiam, quæ sunt potissima sacramenta ». Idem fere præobservaverat *S. Augustinus* (Tract. 120 in Joan., n. 2) : « Vigilanti verbo, inquit, Evangelista usus est, ut non diceret : *Latus ejus* percussit, aut vulneravit, aut quid aliud, sed *aperuit :* ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, unde sacramenta Ecclesiæ manarunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur ».

2° Sic ratiocinabimur.— Gratia sacramentalis (ut inferius perspicuum fiet) ad duo præcipue ordinari videtur : nempe ad tollendos *defectus praeteritorum peccatorum* quæ transeunt actu, at manent reatu ; necnon ad perficiendam animam in his quæ pertinent ad cultum Dei secundum *religionem vitae christianae.* Porro Christus liberavit nos a peccatis nostris præcipue per suam passionem, tum merendo et largiendo effective gratiam, tum satisfaciendo ; similiter per passionem, quam in cruce pendens sustinuit, ritum christianæ religionis initiavit, seipsum offerens *oblationem et hostiam Deo* (Eph. V, 2). Ergo manifestum est sacramenta Ecclesiæ specialiter vim suam trahere ex passione Christi, cujus virtus per illa media ad nos devolvitur.

Solv. obj.— Obj. 1.— Virtus sacramentorum ponitur ad animas gratia vivificandas. Atqui « animas suscitat Deus per Christum *Filium Dei,* corpora... per eumdem Christum *filium hominis* » (Aug. tract. 19 in Joan., n. 15). Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m :*... per Filium Dei ut agens principale et per ejus humanitatem ut agens instrumentale, dum prætereo filius hominis *exemplaritate* quadam in corpora suscitanda influit, *C ;* quasi caro Christi mysteriaque in eâ perpetrata non operentur instrumentaliter ad vitam animæ, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Vis sacramentorum ex fide dependet (Aug. tract. 80 in Joan.). Atqui fides non solum passionem Christi, sed alia quæque mysteria respicit. Ergo.

Resp. *D. M :*... ex mysteriis fidei, *C ;* ex fide formali, *S. d :* tanquam a causa efficiente, *N :*... dispositiva et materiali, *C.*— *D. m.* fides absolute sumpta, *C ;* fides qua disponimur ad remissionem peccatorum per virtutem Christi, *S. d :* aliqualiter ad omnia extenditur, *C ;* nec simul ad mysterium Christi

patientis et *redimentis specialiter* pertinet, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Sacramenta ordinantur ad hominum justificationem. Atqui justificatio attribuitur resurrectioni (Rom. IV, 25). Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... ratione termini *ad quem* seu novitatis vitæ per gratiam, *C* ; quasi idem passioni secundum prioritatem quamdam non conveniat ratione termini *a quo* seu quantum ad dimissionem culpæ, *N.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS IV.

Utrum sacramenta V. L. gratiam causarent.

Dentur pro more quædam *praenotamina*.— Et 1° juxta *Bellarm.* (de Sacr. l. II, c. 12) convenit inter omnes sex ut minimum esse differentias inter sacramenta legis novæ et veteris : 1ª est quod modo sint alii ritus ; 2ª quod nunc habeantur pauciora sacramenta ; 3ª quod faciliora sint ; 4ª quod sint etiam nobiliora saltem ratione Christi auctoris ; 5ª quod antiqua fuerint figuræ nostrorum ; 6ª quod illa data essent ad tempus, nostra vero usque ad mundi finem duratura sint. — Sed quæstio inter hæreticos et catholicos agitur de differentia in effectu principali, qui est justificare.

2° Etenim *Novatores* (ap. Bellarm. *l. cit.*) nullum fere sub hoc respectu agnoscunt discrimen inter sacramenta vetera et christiana, sed utraque eodem modo justificare pronuntiant, scil. alendo fidem. Unde *Lutherus* (l. de Capt. Babyl., c. de Bapt.) : « Error est sacramenta N. L. differre a sacramentis V. L. penes efficaciam significationis, utraque æqualiter significabant ».

3° Apud *catholicos* duo plane constare videntur : — 1ᵘᵐ est, veram *quamdam* efficaciæ differentiam inter sacramenta utriusque Legis vigere ; quippe definitum est (*Conc. Flor.*, Dec. p. Arm.) : « Novæ Legis... sacramenta... multum a sacramentis differunt antiquæ Legis. Illa enim *non causabant* gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant ; hæc vero nostra et continent gratiam et... conferunt ». Cf. *C. Trid.* (Sess. VII, can. 2).— 2ᵘᵐ est, sacramenta vetera (præter circumcisionem) adultis profuisse eosque quodammodo justificasse, juxta illud (Rom. II, 13) : *Factores legis justificabuntur*, sed ex opere operantis tantum.

4° At dubium in scholis ortum est de *circumcisione*, sicut et de sacramento legis naturæ contra peccatum originale instituto.— *a*) *Quidam* enim dixerunt (ap. S. Th. a. 6 ad 3) quod per circumcisionem *non conferebatur gratia*, auferebа-

tur tamen peccatum : sed hoc esse nequit, quandoquidem nemo a peccato justificatur nisi per gratiam.— *b) Alii* docuerunt per circumcisionem collatam fuisse gratiam quantum ad *effectus remotivos* culpæ, non quantum ad effectus positivos gratiæ : quod etiam falsum esse apparet, tum quia dabatur pueris circumcisis facultas perveniendi ad gloriam (quod certe positivum erat), tum quia secundum ordinem causæ formalis priores sunt effectus positivi quam privativi. — *c) Alii* idcirco admiserunt *aliquem effectum positivum* gratiæ circumcisionis, scil. facere dignum vita æterna, quin tamen ei tribuerent vim reprimendi malam concupiscentiam : at e contra fatendum est minimam gratiam posse cuilibet concupiscentiæ resistere.— *d) Nonnulli*, ut *Scotus*, *Gabriel*, etc., feruntur tribuisse circumcisioni virtutem collativam gratiæ *ex opere operato*, atque negasse discrimen essentiale inter illam et sacramenta nostra.— *e) Plerique* tandem, post *D. Thomam*, docent circumcisionem vi sua non justificasse, sed solum quatenus erat fidei protestatio seu signum passionis Christi futuræ cujus fides justificabat ; quanquam in re explicanda quædam opinionum diversitas prodeat.

Conclusio.— SACRAMENTA V. L. NON HABEBANT, NEQUE EX SE, NEQUE EX PASSIONE CHRISTI, INTERNAM VIRTUTEM QUA VALERENT GRATIAM JUSTIFICANTEM CONFERRE ; SED SOLUM SIGNIFICABANT FIDEM QUA DISPONENTE HOMINES JUSTIFICABANTUR.

1ª *Pars*, post *Conc. Flor.* definitionem, dici potest *de fide* etiam quoad circumcisionem et sacramentum legis naturæ (quidquid alii sentiant) ; siquidem nomine antiquæ Legis, quæ in decreto novæ Legi opponitur, satis clare comprehenditur totum tempus elapsum a casu Adæ ad Christum (*Sasse*, th. XIII).

1° *Scripturae* aperte favent.— Dicit enim Ap. (Gal. IV, 9) : *Quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa*,[1] *quibus denuo servire vultis ?* Quorum elementorum voce intelligit circumcisionem (de qua præcipue in ea epistola agitur) una cum aliis cæremoniis legalibus ; nec illa infirma et egena declararet, si justificarent ex se seu eo modo quo sacramenta nostra justificant.— Idem sonat alter locus (Heb. VII, 18) : *Reprobatio fit praecedentis mandati propter infir-*

[1] — « V. L. cæremoniae non poterant in se continere *realiter virtutem profluentem* a Christo incarnato et passo, sicut continent sacramenta N. L... Apostolus vocat ea *infirma* et *egena* elementa : *infirma* quidem, quia non possunt a peccato mundare ; sed haec infirmitas provenit ex eo quod sunt *egena*, i. e. eo quod non continent in se gratiam » (I-IIæ, Q. CIII, a. 2).

mitatem ejus et inutilitatem ; ibi enim sermo est de mandatis cæremonialibus, quorum præcipuum erat de circumcisione (vid. plura ap. *Bellarmium*, c. 17, qui Novatorum effugia præcludit).

2° Ex *Patribus* testimonium præbent, inter alios, *S. Justinus* (Dial. cum Tryph. n. 23) : « Circumcisionem in signum, non ad justitiam accepit (Abraham), ut Scripturæ et res ipsæ nos cogunt confiteri ». *S. Ambrosius* (Ep. 74 ad Irenæum, n. 4) : « Signum circumcisio corporalis, veritas autem circumcisio spiritualis est ; illa membrum amputat, ista peccatum ». Et *S. August.* (in Ps. 73, n. 2) : « Alia sunt sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem ; sacramenta N. T. dant salutem, sacramenta V. T. promiserunt Salvatorem ».

3° *Ratione* hoc ipsum evincitur.

a) Non enim *per seipsa*, i. e. propria virtute, sacramenta V. L. conferebant gratiam ; secus minime necessaria fuisset passio Christi, secundum illud (Gal. II, 21) : *Si per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est.*

b) Neque *ex Christi passione* virtutem justificativam habuerunt.— Etenim « virtus passionis Christi copulatur nobis per fidem et sacramenta, differenter tamen : nam continuatio quæ est per fidem, fit per *actum animae ;* continuatio autem quæ est per sacramenta, fit per *usum exteriorum rerum.* Nihil autem prohibet id quod est posterius tempore, antequam sit, movere, secundum quod præcedit in actu animæ ; sicut finis, qui est posterior tempore, movet agentem, secundum quod est apprehensus et desideratus ab ipso ; sed *illud quod nondum est in rerum natura, non movet secundum usum exteriorum rerum ;* unde causa efficiens non potest esse posterior in esse ordine durationis, sicut causa finalis. Sic ergo manifestum est quod a passione Christi, quæ est causa humanæ justificationis, convenienter derivatur virtus justificativa ad sacramenta N. L., non autem ad sacramenta V. L» (S. Thom. a. 6)[1].

2ª *Pars* ut pateat, 1° sic argumentabimur : — Per fidem passionis Christi justificabantur antiqui patres, sicut et nos ; quippe universorum hominum salus ab illa dependet. Atqui sacramenta V. L. erant quædam illius fidei protestationes, in quantum significabant passionem Salvatoris et ejus effectus. Ergo non sacramenta ipsa, sed fides suscipientium ea justificabat.— Rem declarat *Auctor* (Q. LXX, a. 4) : « In circumcisione conferebatur gratia non ex virtute circumci-

[1] — Argumentum hoc S. Doctoris præsupponit, ut patet, *physicam* causalitatem sacramentis N. L. competere.

sionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cujus signum erat circumcisio ; ita scil. quod homo qui accipiebat circumcisionem profitebatur se suscipere talem fidem, vel *adultus* pro se, vel alius pro *parvulis*. Unde et Ap. dicit (Rom. IV, 11) quod Abraham *signum accepit circumcisionis, signaculum justitiae fidei*, quia scil. justitia erat ex *fide significata*, non ex *circumcisione significante* ».

2° Quod spectat ad *modum* quo fieret illa justificatio, *a*) in primis dicendum est *infantes* mundatos fuisse a peccato originali gratiamque accepisse mediante fide (etiam *informi*)[1] parentum filios offerentium ad circumcisionem, quæ se habebat velut merum signum et conditio *sine qua non* justificationis. « Fides aliena, ait *S. Thom.* (4 S. *l. cit.* ad 2), non juvabat in quantum erat actus personæ, sed ex parte illa qua respiciebat objectum suum (Christum), quod erat medicina totius naturæ ; in quo habebat quamdam similitudinem cum sacramentis nostris, in quantum justificabat *ex objecto, quasi* ex opere operato, non autem ex opere operante ».— *b*) Quantum ad *adultos* circumcisionem aliave sacramenta suscipientes, res est minus definita. *Nonnulli*, ut *Soto* et *Estius*, opinati sunt circumcisionem potuisse in adulto facere de attrito contritum, quasi sola fides instar sacramenti ageret ; verum hoc contradicere videtur *Angelico* repetenti (I-IIæ, Q. CIII, a. 2) remissionem peccatorum « ex *fide* et *devotione* » implentium cæremonias legales. *Probabilius* itaque est, sacramenta V. L. justificasse adultos *ex opere operantis*[2], quin tamen æquipararentur omnino cæteris bonis operibus : quippe per hoc constituebantur in genere sacramenti quod erant signa practica gratiæ, seu ex sua *institutione* et *aptitudine* habebant ut *specialiter* excitarent fidem in futuram Christi passionem, cujus intuitu, ad eorum præsentiam, Deus largiebatur gratiam[3].

QUÆSTIO QUARTA

DE EFFECTU SACRAMENTORUM

Duplex distinguitur sacramentorum nostrorum effectus, unus quidem primarius omnibusque communis qui est *gra-*

[1] — 4 S. D. I, Q. II, a. 6 ad 3.

[2] — Notatum volumus (ne æquivocatio fiat) justificationem attribui *fidei*, non quod haec per se sola justificare valeat, sed quia tanquam dispositio, una cum reliquis virtutum motibus, gratiam sanctificantem a Deo infusam importat (cf. *de Reparatione*, Disp. V, Q. I, a. 3).

[3] — Cf. Gonet, *de Bapt.*, Disp. V, a. 2.

tia (art. 1), alter secundarius et quibusdam tantum conveniens qui est *character* (art. 2-7).— Character autem sacramentalis miro articulorum complexu ita a *D. Thoma* expenditur ut innotescat tum quoad *esse* (art. 2), tum quoad *naturam* (art. 3), tum quoad *circumstantias* sive principii (art. 4), sive subjecti (art. 5), sive durationis (art. 6), sive numeri (art. 7).

ARTICULUS I.

Utrum gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum et donorum : — de sacramentis vivorum et mortuorum.

(Q. LXII, a. 2).

1° *Gratia* communiter sumpta dispescitur in *habitualem* et *actualem* secundum quod habeatur per modum formæ seu doni permanentis, vel per modum actus seu auxilii transeuntis. Forma autem gratiæ habitualis primo perficit essentiam animæ, in quantum participat aliquam similitudinem divini esse ; et sicut ab essentia animæ fluunt ejus potentiæ, ita a gratia illa derivantur perfectiones quædam seu habitus potentias ad actus proprios habilitantes ; qui quidem habitus vocantur *virtutes* et *dona Sp. Sancti* (cf. *de Reparatione*).

2° *a*) Cum in manifesto sit omnia sacramenta gratiam conferre, dubitatio solvenda offertur, in quo posita sit *indoles propria* illius gratiæ. *b*) Præterea, aut gratia nondum existens producitur quæ dicitur *prima ;* aut jam existens augetur quæ dicitur *secunda :* unde accepta est divisio sacramentorum in sacramenta *mortuorum* et *vivorum*.— Pro duplici hoc argumento duæ conclusiones erunt proferendæ.

3° Quantum ad 1um, tres præsertim recitantur *opiniones*. Quidam enim veteres, ut *Paludanus*, docuerunt gratiam sacramentalem addere gratiæ sanctificanti alium habitum realiter ab ea distinctum et cuique sacramento proprium ; alii, cum *Billuart*, gratiam sacramentalem reponunt in *modo* quodam seu perfectione intrinseca modaliter discreta a gratia sanctificante et importante jus ad auxilium actuale ; alii demum, cum *Cajetano* et *Gonet*, nomine gratiæ sacramentalis intelligunt ipsam gratiam sanctificantem prout varia connotat auxilia actualia singulis sacramentis consentanea.— Quantum ad 2um, quod est de sacramentis vivorum et mortuorum, unum tantum inter theologos controvertitur, nempe utrum sacramenta vivorum quandoque *primam* gratiam conferant ; negant nonnulli ut *Vasquez*, *de Lugo ;* plerique tamen post *D. Thomam* affirmant.

Conclusio 1ª.— GRATIA SACRAMENTALIS ADDIT SUPER GRATIAM COMMUNITER DICTAM ET SUPER VIRTUTES ET DONA DIVINUM QUODDAM AUXILIUM ; CUJUS AUXILII NATURA PAUCIS DETERMINATUR.

1ª *Pars* ut *certa* habenda est.— Nam 1° si gratia sacramentalis nihil reapse adderet gratiæ sanctificanti virtutibusque ac donis, *frustra* justis seu dona et virtutes habentibus sacramenta *diversa* conferrentur : quod alienum est a sensu christiano.— 2° Sacramenta ordinantur ad quosdam *speciales* effectus, puta Baptismus ad spiritualem regenerationem qua homo, mortuus vitiis, fit membrum Christi, Confirmatio ad robur præstandum, et ita porro. Atqui speciales illi effectus specialia postulant auxilia. Ergo.— 3° Igitur, *sicut virtutes* et *dona* addunt super gratiam communiter dictam quamdam perfectionem determinate ordinatam ad actus proprios potentiarum, ita gratia sacramentalis vim quamdam propriam, peccati sanatricem[1] animæque perfectivam, præstare et ipsa jure merito æstimatur.

2ª *Pars* decl.— Et 1° in gratia sacramentorum distinguendum est id quod est *commune* omnibus et id quod est singulis *proprium*, juxta illud *S. Thom.* (de Ver. *l. cit*) : « Cum propriis effectibus habent effectum communem, qui est gratia gratum faciens, quæ etiam per sacramentum et non habenti datur et habenti augetur[2] ». Unde *C. Trid.* (Sess. VII, procem.) : « Per quæ (sacramenta) omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur ».— 2° Quod spectat ad elementum *proprium* et formale gratiæ sacramentalis, id non videtur esse *habitus* distinctus a gratia sanctificante ; habitus enim iste superfluit. Nec (saltem probabilius) requirit necessario modalitatem *re* distinctam ; sed satis est ut ponatur in auxilio actuali ad quod gratia sanctificans, recepta vel aucta secundum *virtuositatem* quamdam sacramento propriam, jus seu ordinem pro diversis effecti-

[1] — « Sicut diversae virtutes et diversa dona Sp. Sancti ad diversos actus ordinantur, ita diversi sacramentorum effectus sunt ut *diversae medicinae peccati* et participationes virtutis dominicae passionis, quae a gratia gratum faciente dependent sicut virtutes et dona. Sed virtutes et dona nomen speciale habent, propter hoc quod actus ad quos ordinantur sunt manifesti : unde secundum nomen a gratia distinguuntur. *Defectus* autem *peccati*, contra quos sacramenta instituuntur, latentes sunt : unde sacramentorum effectus nomen proprium non habent, sed nomine gratiae nominantur ; dicuntur enim gratiae sacramentales, et penes has sacramenta distinguuntur sicut penes proprios effectus » (de Ver. Q. XXVII, a. 5 ad 12).— Fac advertas comparationem istam inter virtutes ac dona et gratiam sacramentalem eo tendere ut concludatur gratiam sacramentalem esse quiddam *speciale*, non ut definiatur propria ejus natura.

[2] — Cf. III, Q. LXXII, a. 7 ad 3.

bus vel necessitatibus dicat ; « hoc (recte monet *Cajetanus* in h. art.) sufficit ad salvandum et dignitatem sacramentorum in causando et gratias sacramentales et effectus earum, nec multiplicantur tot habitus in anima » neque (ulterius dicam) tot habituum modi.

Conclusio 2ª.— NON SOLUM SACRAMENTA MORTUORUM POSSUNT PER ACCIDENS CONFERRE GRATIAM SECUNDAM, SED (PROBABILIUS) ET SACRAMENTA VIVORUM PRIMAM GRATIAM CONFERRE VALENT.— Agitur, ut patet, de eo quod fit *per accidens ;* nam *per se* sacramenta mortuorum, scil. Baptismus et Pœnitentia, ordinantur ad conferendam primam gratiam qua anima de morte peccati suscitatur, sacramenta vivorum vero ad communicandam gratiam secundam.

1ª *Pars* ab omnibus conceditur ; siquidem, posito quod quis contritus ideoque justificatus accedat ad Baptismum[1] et Pœnitentiam, optime dispositus est ad recipiendam (non primam quam habet) sed secundam gratiam, quæ specie non differt a prima, ideoque producibilis est a sacramentis mortuorum.

2ª *Pars* probabilior, imo *fere certa* affirmanda est : — 1° ob *auctoritatem*, maxime *S. Thomae* et *S. Alphonsi ;* eam enim expresse docet *Angelicus* de Confirmatione (III, Q. LXXII, a. 7 ad 2), de Eucharista (III, Q. LXXIX, a. 3), de Extrema-Unctione (Suppl. Q. XXX, a. 1).— 2° Ex *ratione*. Etenim, juxta *C. Trid.* (Sess. VII, can. 6-7), sacramenta Novæ Legis semper et omnibus *non ponentibus obicem* gratiam conferunt. Atqui accedens v. g. ad Eucharistiam cum peccato cujus conscientiam non habet, et vere attritus, nullum obicem ponit : ergo.

Solv. obj. (contr. 1ªm concl.).— OBJ. 1.— Per gratiam sanctificantem, virtutes et dona, sufficienter anima perficitur. Atqui gratia sacramentalis ordinatur ad animæ perfectionem. Ergo.

[1] — Hoc non raro contingere etiam in pueris sub primo rationis usu baptizandis, rationabiliter creditur ex *D. Thoma* docente (I-IIæ, Q. LXXXIX, a. 6) : « Cum usum rationis habere (puer) incœperit... primum quod tunc homini cogitandum occurrit, est deliberare de seipso. Et si quidem seipsum ordinaverit ad debitum finem, per gratiam consequetur remissionem originalis peccati ». Quam quidem sui ordinationem in finem sic exponit *Cajetanus* (in h. loc.) : « Si sibi appetendum censuerit bonum honestum *in confuso*, ut ætas illa consuevit, bene deliberavit de seipso, finem suum in vera beatitudine collocans, quamvis imperfecte et *inchoative* »

Resp. *D. M :...* quantum ad *generalem* ordinationem actuum animæ, *C* ; quantum ad quasdam *speciales* indigentias vitæ christianæ, *N.— C. d. m.— Neg. conseq.*

Obj. 2.— Gratia virtutum et donorum efficaciter medetur peccatis et defectibus animæ. Atqui contra hos defectus dirigitur gratia sacramentorum. Ergo.

Resp. *D. M :...* quantum ad *praesens* et *futurum*, *C ;* quantum ad *praeterita peccata* quæ transeunt actu, sed reatu ac vulnere multiplici remanent, *N.— C. d. m.— Neg. conseq.*

Secundum se quidem gratia sanctificans communire valet contra pericula peccati ; unde in statu innocentiæ homo per eam fuisset sufficienter impeditus a peccando. Ex quo autem lapsus originalis passionum omnium frena disrupit, sanandis animæ sauciatæ vulneribus *medicina* sacramentalis est adhibenda.

Obj. 3.— Omnis additio in formis mutat speciem. Atqui inconveniens est quod gratia sacramentalis non sit quiddam univocum cum gratia virtutum et donorum. Ergo.

Resp. *D. M :...* sub eodem genere, *C ;* quasi idcirco species constituatur sub diverso genere, *N.— C. d. m :...* quod non sit quoddam univocum saltem *generice*, *C ;* etiam *specifice*, *N.— Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

Utrum sacramentum imprimat aliquem characterem in anima.

1° Character *graece* idem est ac figura, signaculum, nota distinctiva ; eaque vox, primo de sensibilibus dicta, per translationem quamdam spiritualibus designandis congrue adhibita est.— Jam, usu ecclesiastico, per illud nomen intelligitur « spirituale quoddam signaculum, indelebiliter animæ impressum, quo homo ad ea quæ sunt divini cultus christiane exercenda deputatur ».

2° *Wicleffus* characterem sacramentalem, ceu gratis assertum, negavit ; cui assenserunt *haeretici saec. XVI*, in primis *Calvinus* necnon *Kemnitius* contendens de charactere mirum in revelatione haberi silentium primumque ejus auctorem seu excogitatorem fuisse Innocentium III ; — quod putidum est mendacium, ut mox visuri sumus.

Conclusio. — Per quædam sacramenta N. L. imprimitur animæ signum aliquod spirituale seu character.—Id

de fide esse constat[1] tum ex decr. *Innoc. III* et *Gregor. IX*, tum ex *CC. Florent.* (Decr. pro Arm.) et *Trid.* (Sess. VII, can. 9).

1° *Scriptura* veritatem illam *insinuat.* « Nam cum Ap. ait[2] : *Unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris ;* voce illa *signavit* non obscure characterem descripsit, cujus proprium est aliquid signare et notare » (Catech. Trid. P. II, de Sacr. n. 29).— Subdit *Bellarminus* (l. II, c. 20), figuratum fuisse characterem in *circumcisione*, figura baptismi, quæ non solum præcidebat carnem, quo significabatur justificatio a peccato, sed relinquebat in corpore quoddam veluti cauterium quo discernebantur Judæi a non Judæis.— Cæterum libenter fatemur argumento biblico vim inesse dumtaxat probabilem, Patrum interpretatione et testimonio firmandam : hæc autem interpretatio vel testificatio haud desideratur.

2° Etenim *a*) jam a *prioribus* Ecclesiæ *saeculis* quædam veluti semina doctrinæ de charactere reperiuntur, puta quando Baptismus exhibetur ut « sigillum impressum » (Herm.), ut « sigillum infragile » (Const. Apost.), ut « signaculum datum a Christo fidelibus » (S. Hyppol.) , ut « signaculum fidei » (Tertull.). — *b*) Veritas eadem *saec. IV* disertius exprimitur. Sic *S. Ambrosius* (de Sp. S. l. I, c. 6, n. 79): « Sicut, inquit, in Christo morimur, ut renascamur, ita etiam spiritu *signamur*, ut splendorem atque imaginem ejus et gratiam tenere possimus : quod est utique *spirituale signaculum.* Nam etsi specie signemur in corpore, veritate tamen *in corde* signamur, ut Spiritus exprimat in nobis imaginis cœlestis effigiem ». Quibus verbis satis aperte distinguitur character a gratia ceu medium vel dispositio a perfectione ultima. Alii Patres non minus expliciti sunt, *comparantes* characterem cum variis signis, v. g. cum nota militum (S. Joan. Chrys.), cum signo ovium (S. Greg. Naz.), cum impressione in cera (S. Ephrem) etc.— *c*) Sed præcipuus characteris propugnator exstitit *saec. V S. Augustinus* qui in controversia cum Donatistis, ut traditionem catholicam de non iterandis sacramentis baptismi, confirmationis et ordinis defenderet, ad characterem provocat cujus ea vis est ut hæreat independenter a gratia. « Si, inquit (cont. epist. Parmeniani l. II, c. 13, n. 29), militiæ characterem in corpore suo non militans pavidus exhorruerit, et ad clementiam imperatoris confugerit ac, prece fusa et impetrata jam venia, militare cœperit, numquid, homine liberato atque correcto,

[1] — Apud de Augustinis, th. XXIII.
[2] — 2 Cor. I, 21 ; — cf. Eph. I, 13.

character ille repetitur ac non potius agnitus approbatur? An forte *minus haerent* sacramenta christiana quam corporalis hæc nota?[1]» — *d*) Hinc *saec. XIII* scribit *S. Thomas* (4 S. D. IV, Q. I, a. 1) : « Characterem in sacramentis quibusdam imprimi, *omnes moderni* confitentur ; sed in modo ponendi ipsum in anima partim differunt et partim conveniunt ».

3° Tria *rationis* argumenta proferri possunt.— *a*) Etenim sacramenta N. L. ordinantur non solum ad remedium contra peccata (quod præstat gratia), sed etiam ad perficiendum animam in his quæ pertinent ad cultum Dei secundum ritum vitæ christianæ : unde per aliqua sacramenta homo *deputatur ad spiritualia divini cultus officia* passive vel active implenda. Atqui quicumque ad aliquid certum deputatur, expedit ut per aliquid accommodatum seu conveniens muneri suo addicatur et adaptetur. Ergo congruum est ut, præter acceptam in sacramentis gratiam, fideles aliquo spirituali charactere insigniantur.— *b*) Sane ordo supernaturalis, nedum inferior sit, naturalem ordinem perfectione excedit. Atqui ordo naturalis plura præbet illius rei exempla : sic. v. g. milites, ad militiam adscripti, aut *signo*[2] aut *habitu militari* investiri debent ad legitime belligerandum. Ergo.— *c*) Accedit, ex perpetua Ecclesiæ praxi quædam N. L. sacramenta repeti posse, alia vero non item. Atqui hujus *non iterationis* quorumdam sacramentorum ratio communis et adæquata assignari non potest, nisi quod sacramenta illa perseverent in aliquo effectu qui nec detrimentum nec incrementum pati queat, sed animæ, quasi sigillum, sit infixus. Ergo.

Solv.obj.— Obj. 1.— Character significare videtur quoddam signum distinctivum. Atqui distinctio membrorum Christi ab aliis fit per prædestinationem in Deo latentem (2 Tim. II, 19). Ergo.

Resp. *D. M* :... per respectum ad præmium *futurae gloriae, N* ; per respectum ad *actus* seu functiones *convenientes praesenti Ecclesiae, C.— C. d. m.— Neg. conseq.*

Obj. 2.— Signum debet speciem quamdam sensibus ingerere, unde aliud notificare valeat. Atqui nihil est in anima quod aliquam speciem sensibus ingerat. Ergo.

[1] — De confirmatione *biblica* et *patristica* hujus theseos cf. de Augustinis th. XXIII ; Sasse, th. XVII ; ubi plura contra Protestantes erudite discutiuntur.

[2] — Referunt auctores, milites Imperii Romani sic notari solitos ut per candens ferrum stigmata quædam indelebilia reciperent atque plumbeam mperatoris effigiem collo suspensam haberent.

Resp. *D. M :* Signum *stricte* dictum... *C ; late* sumptum pro omni eo quod configurat alicui vel ab alio distinguit, *N.* — *D. m :* si sumatur res spiritualis secundum se, *C ;*... per respectum ad causam sensibilem a qua instrumentaliter producatur, *N.*— *Neg. conseq.*

Character, etsi *primario* ad genus potestatis pertineat (ut mox dicetur), *secundario* tamen signum est.— Et cum in se sit spirituale quiddam, idcirco *formaliter* nequit esse signum nisi *late* sumptum.— Sin autem spectari velit *causaliter* seu in quantum per sensibile sacramentum imprimitur, tunc etiam *stricte* rationem signi sibi vindicat ; scimus enim aliquem esse charactere baptismali ornatum per hoc ipsum quod est aqua sensibili ablutus.

Obj. 3.— Sicut per sacramenta N. L. distinguitur fidelis ab infideli, ita et per sacramenta V. L. Atqui vetera sacramenta non imprimebant characterem in anima. Ergo.

Resp. *D. M :*... juxta confusam quamdam proportionem, *C ;* perinde ac si *univoca* similitudo speciei ultimæ habeatur, *N.*— *D. m :*... quatenus sacramenta, *N ;* quia non habebant *in se*, uti sacramenta nostra, *spiritualem virtutem* ad spiritualem effectum operandum, *C.*— *Neg. conseq.*[1]

ARTICULUS III.

Utrum character sit spiritualis potestas.

1° Statuta characteris sacramentalis existentia, sequitur ut ad ejus *naturam* determinandam veniamus. Nec sine fidei utilitate (ut quidam præpostere senserunt) : quippe, licet ea res sit in scholis citra dogmaticam definitionem agitata, interest tamen æque ac juvat iis, quæ Concilia circa characterem sanxerunt, intime perscrutandis rationis philosophiæque lucem affundere ; ex quo fidei nobilitas clarius splendeat homoque christianus plenius dignitatem suam agnoscat.

2° Itaque multa multi de charactere opinati sunt.[2] — *Durandus* eum esse asseruit solam *relationem rationis* cointellectam cum externa deputatione ad munera cultus divini ; — alii, quorum sensum refert *S. Th.* (4 S. D. IV, Q. I, a. 1),

[1] — Plures objectiones solutæ reperiuntur apud polemistas, utputa ap. Drouyn, l. I *de Sacr.*, Q. V, c. 2.

[2] — Vix indicare opus est absurdissimam *Rosminii* opinionem quæ continetur hac damnata ab Eccl. prop. (28) : « In christiana doctrina, Verbum, character et facies Dei, imprimitur in animo eorum qui cum fide suscipiunt baptismum Christi.— Verbum, i. e. character, in animo impressum, in doctrina christiana, est Esse reale (infinitum) per se manifestum, quod deinde novimus esse secundam personam SS. Trinitatis ».

posuerunt characterem formaliter constitui per *relationem realem* fundatam immediate in anima : quam sententiam ut probabilem saltem habuit *Scotus ;* — *Suarez* aliique tenent characterem pertinere ad primam speciem qualitatis seu esse *habitum ;* — tandem *S. Thomas* cum suis aperte docet eum ad secundam qualitatis speciem, quæ *potentia* dicitur, esse reducendum.

Conclusio.— CHARACTER PONENDUS EST, SUB QUALITATIS GENERE, IN SECUNDA SPECIE QUÆ EST POTENTIA, NON QUIDEM SIMPLICITER, SED REDUCTIVE.

1ª *Pars* prob. tum *indirecte* seu exclusis reliquis positionibus, tum *directe* seu ex rei natura.

1° *Prob. indirecte.*— Inter accidentia ad quæ dubitatur num pertineat character, habetur relatio (logica vel realis), passio, necnon qualitas (cujus est quadruplex species, habitus, potentia, passibilis qualitas, figura). Atqui nullum ex his, præter potentiam, convenit characteri constituendo : ergo.

a) Non *relatio logica* : — id enim contradicit decretis Conciliorum in quibus character dicitur *imprimi* aut Patrum sententiis qui illum exhibent uti *sigillum* animæ inhærens ; — nec hæretici, a Conciliis *damnati*, negabant ex susceptione sacramentorum oriri characterem sensu Durandi intellectum, scil. per meram denominationem extrinsecam ; — quod si deputatio facta a rege ad aliquod ministerium nihil reale imprimit in ministro, inferendum non est nihil quoque realiter poni in anima per characterem sacramentalem : si quidem discrimen est quod rex humanus ministrum idoneum supponit, Deus vero facit (*Billuart* in h. 1.).

b) Non *relatio realis* : — nam character ex omnium consensu (ait *Bellarm.* l. II, c. 19) *producitur* per actionem sacramentalem ; relationes autem non producuntur, sed consurgunt ad productionem fundamenti proximi.— Præterea « relatio hujus signi, quod est character, non potest fundari immediate super *essentiam animæ*, quia sic conveniret omni naturæ naturaliter. Et ideo oportet aliquid poni in anima, super quod fundetur talis relatio » (*S. Th.* a. 2 ad 3). Num hoc erit *fides* vel *gratia* ? At sine his character esse potest. Num *actio sacramentalis* virtute perseverans ? Bene quidem, dummodo virtus hæc pro ipso charactere accipiatur.

c) Non *passio ;* — hæc enim definitur « motus consideratus inquantum recipitur in patiente » (Lorenzelli, 1 P. Log., lect. 3) ; unde cito transit, sicut motus et actio. Atqui character indelebilis est, ut infra dicetur. Ergo.

d) Non *figura* et *passibilis qualitas :* — nam cum hæc duo sint de genere sensibili, character, utpote signum spirituale, nonnisi metaphorice dici potest figura quædam, vel qualitas aliqua passibilis, v. g. lumen. « Non autem ponitur aliquid in genere vel specie, nisi per id quod de eo proprie prædicatur » (*S. Th.* a. 2 ad 1). Unde character nequit esse nec in quarta nec in tertia specie qualitatis.

e) Non *habitus* tandem : — quippe nullus habitus est qui se habere possit ad bene et male agendum, sed vel potentiam inclinat ad bonum, si sit habitus virtutis, vel eam ad malum inducit, si sit malus. Atqui character ad utrumque se habet : utuntur enim eo quidam bene, alii vero male ; sed per habitum gratiæ et virtutis determinatur ad rectum usum, nempe (nisi quid obstet) « per quamdam congruitatis dignitatem... simul cum charactere, quo datur homini ut *possit* exercere spirituales actiones fidelium vel passiones seu receptiones, datur gratia qua hæc *bene* possit » (4 S. D. IV, Q. I, a. 1 ad 5). Ergo, quia non est in prima, remanet ut in secunda specie qualitatis, quæ est potentia, character ponatur.

2° *Prob. directe* ac expl.— *a*) Novimus ex art. præc. sacramenta N. L. characterem imprimere, in quantum per ea deputantur homines ad Dei cultum christiano ritu exhibendum ; porro divinus cultus consistit vel in *recipiendo* aliqua divina, vel in *tradendo* ea aliis. Atqui ad utrumque horum prærequiritur aliqua potentia sub idoneitatis vel capacitatis ratione : nam ad tradendum aliquid aliis requiritur quædam idoneitas seu potentia *activa ;* ad accipiendum autem requiritur capacitas seu potentia *passiva.* Ergo character importat quamdam *potentiam spiritualem* ad ea quæ sunt divini cultus ordinatam.— *b*) Potentia hæc, divinitus animæ impressa, procul dubio est in se forma quædam physica seu ontologica, nec (probabilius) moralem tantum, verum etiam *physicam vim* exserit sub agente Deo, quippe id melius salvat dignitatem potestatis illius supernaturalis a Christo derivatæ. Unde sacerdos consecrans vel absolvens influxu physico (licet instrumentali) concurrit ad transsubstantiationem et absolutionem.— *c*) Jam inferre licet primum ac *formale officium* characteris in eo esse ut aptum hominem reddat ad cultum divinum, juxta illud *S. Th.* (a. 2 ad 4) : « Secundum se consideratus habet rationem principii ». Et hoc patet *inductione :* nam per characterem Baptismi, homo fit capax suscipiendi alia sacramenta ; per characterem Confirmationis disponitur ad profitendum et defendendum fidem quasi *ex officio ;* per characterem Ordinis, idoneus redditur ad ministranda sacramenta aliis. *Consequenter* vero character rationem habet *signi*

configurativi Christo a quo participatur, *distinctivi*[1] eorum qui charactere ornati sunt ab aliis, et *connotativi* gratiæ quæ simul confertur[2] (nisi sit obex).

2ª *Pars* concl. ostend.— Character est vis quædam instrumentalis, sicuti instrumentalis est virtus quæ continetur in sacramentis. Atqui virtus sacramentaria non per se et directe ponitur in genere, sed *reductive* tantum. Ergo et character per reductionem tantum pertinet ad secundam speciem qualitatis. *Major* persuadetur ex eo quod habere characterem sacramentalem hominibus competit, in quantum sunt Dei *servi* et *ministri* seu in quantum cultui sacro suæque ac aliorum sanctificationi curam impendunt sub Deo principaliter movente; unde, licet character sub ratione *potentiae* habeat esse firmum in anima ex eoque distinguatur a virtute sacramentorum transeunte, tamen cum eadem virtute convenit sub ratione potentiæ *instrumentalis* seu dependentis in suo exercitio a causa principali cui ministerialiter deservit. *Min.* constat, quia potestas instrumentalis *ex genere suo* quiddam est imperfectum et incompletum ; sola autem entia completa *per se* ponuntur in aliquo prædicamento.[3].

ARTICULUS IV.

Utrum character sacramentalis sit character Christi.

1° Grata jucundaque admodum res est, exquirere habitudinem characteris sacramentalis, quem inde a baptismo signatum in anima ferimus, ad divinum exemplar cujus est impressio ac participatio. Quemadmodum enim milites, sub eximio rege pugnantes, effigie sui ducis quasi tessera nobilissima gloriantur, ita viro christiano percarus esse debet sublimis ille character quo veluti nota divinitus sigillata fideles ab infidelibus, confirmati a non confirmatis, sacerdotes a laicis discriminantur.

2° Titulus (scite admonet *Cajet.*) de Christo loquitur ut est *Verbum incarnatum* seu ut distinguitur a Patre et Sp.

[1] — Huc faciunt verba *S. Basilii* (Hom. in S. Bapt. n. 5) : « Agnoscet te nemo, nosterne sis an hostium, nisi mysticis signis necessitudinem affinitatemque ostenderis... Quomodo vindicabit te angelus? quomodo eripiet ex hostibus, nisi agnoverit signaculum? Quomodo dicturus es tu : Dei sum, si notas ac insignia non exhibeas?»

[2] — Penes theologos præsertim antiquiores character vocari solet et *res* sacramenti et *sacramentum* : res quidem, quatenus est effectus externi ritus sacramentarii ; sacramentum vero, quatenus ipse una cum ritu illo a quo imprimitur signum est principalis effectus, scil. gratiæ.

[3] — Vid. plura de hoc argumento ap. Joan. a S. Thoma in h. 1.

Sancto ac ipsa Trinitate.— Sensus autem quæstionis est, num character sacramentalis sit ad auctoritatem Christi tamquam ad *principium* et *exemplar* referendus et Christo-principi homines illo exornatos configuret, eo modo quo insigne militare milites configurat seu consignat imperatori, puta Cæsari.

3° *Praenotandum* est homines, prouti ad fruitionem gloriæ finaliter destinantur, proportionato quodam hujus deputationis signaculo vestiri, scil. *signaculo gratiae* quæ medium est consequendi illius finis ; unde dicitur (Apoc. VII, 3) : *Nolite nocere terrae et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.*— At nunc de alio signaculo vel charactere sermo est, de quo ait *S. Thomas* (4 S. D. IV, Q. I , a. 2, qu. 2 ad 3) : « Configuratio ista attenditur ad Deum secundum participationem divinæ potestatis, quæ non est neque per gratiam virtutum, neque per naturam ».

Conclusio.— CHARACTER SACRAMENTALIS SPECIALITER EST CHARACTER CHRISTI, MAXIME CHRISTI SACERDOTIS.

1° Receptum in scholis est effatum, quod character sit distinctio seu configuratio quædam « a charactere æterno » impressa animæ rationali. Atqui character æternus est ipse Christus, Patri suo perfecte configuratus, secundum illud (Heb. I, 3) : *Qui cum sit splendor gloriae et figura* (græce *character*) *substantiae ejus.* Ergo character sacramentalis reducendus est primario in Christum *Deum.*— Dico *primario ;* nam proxime et magis proprie reducitur in Christum *sacerdotem.*

2° Sane *a*) hæc est proprie characteris sacramentalis indoles ut eo quis deputetur ad recipiendum vel tradendum aliis ea quæ pertinent ad cultum Dei ; unde ejus dici debet, cujus est auctoritas illius cultus constituendi. Atqui totus *ritus christianae religionis* a *sacerdotio Christi* tanquam a fonte derivatur ; siquidem Christus sacerdos est sacramentorum institutor. Ergo.— *b*) *Conf :* nam omnis secundaria et participata potestas dicenda est ejus penes quem residet potestas plena et principalis, v. g. potestas gubernatoris provincialis est regis a quo accepta est. Atqui character sacramentalis non est nisi *potestas instrumentaria* et *participata ;* Christus autem *plena* gaudet eminentique sacerdotii potestate (cf. *de Incarn.* Disp. V, Q. I). Ergo.— *c*) Hinc, ut inductio probat, *Christi* « *sacerdotio configurantur fideles* secundum sacramentales characteres, qui nihil aliud sunt quam quædam

participationes sacerdotii[1] Christi ab ipso Christo derivatæ » (*S. Th.* h. art.) : nam per characterem Baptismi homo fit membrum christiani corporis et christianorum sacramentorum particeps ; per characterem Confirmationis veluti induit armaturam sui Capitis, ad ejus fidem seu religionem publice profitendam ; per characterem Ordinis, quo sacerdotium Christi directius animam irradiat, active participatur ipsa sacerdotalis potestas.— *d*) Characteri sacramentali, qui est character Christi-principis, e regione opponitur *character bestiae* de quo multoties in Apocalypsi ; hac enim appellatione notantur homines dediti professioni cultus illiciti et satanici (resp. ad 3).[2]

Solv. obj.— Obj. 1.— Spiritui S. tribuitur consignatio fidelium (Eph. IV, 30). Atqui consignatio importatur in nomine characteris. Ergo.

Resp. *D. M* :... consignatio ad gloriam per donum gratiæ cujus gratuitas in Dei amorem ideoque in Sp. Sanctum reducitur, *C ;* consignatio ad munera cultus christiani per debitam potestatem, *N.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Character est signum gratiæ quæ per sacramentum confertur. Atqui gratia infunditur animæ a tota Trinitate. Ergo.

Resp. *D. M* :... secundum *propriam* rationem characteris et in quantum est *res* seu effectus sacramenti, *N ; secundario* et in quantum est unum quiddam cum sacramento visibili quo gratia practice significatur, *C.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Ad hoc aliquis characterem accipit, ut eo a cæteris distinguatur. Atqui distinctio sanctorum ab aliis fit per charitatem Spiritui S. attributam. Ergo.

Resp. *D. M* :... ut distinguatur quomodocumque, *N ;* per respectum ad finem quem respicit character, *C.*— *D. m* :... per respectum ad vitam æternam, *C ;* quin detur alia nota distinctiva in ordine ad cultum præsentis Ecclesiæ, *N.*— *Neg. conseq.*

[1] — « Nota hic, inquit *Cajet.* in h. l., quam formalis sit doctrina Auctoris, dum de cultu christianæ religionis tractans in Christum caput, non secundum quamcumque illius conditionem, sed secundum *sacerdotium* reducit characterem christiani cultus : sacerdotis enim est principatus cujusque religionis tam veræ quam falsæ ».

[2] — Idcirco (ait cl. *Billot* in h. l.) characterem bestiæ recte accipies pro illis notis atque insignibus, quibus in societatibus occultis deputantur homines ad servitia diabolica.

ARTICULUS V.

Utrum character sit in potentiis animae sicut in subjecto.

Consideratio de subjecto alicujus accidentis, ejusdem conceptum seu notionem essentialem complet atque explicat. — Characteri sacramentali non omnes idem subjectum assignarunt : quidam enim, ut *Suarez*, *Vasquez*, etc., illum reposuerunt in essentia animæ ; alii, ut *Scotus* ejusque sequaces, in voluntate ; alii, ut *Alex. Halensis*, in intellectu et voluntate simul ; alii, ut *Durandus*, in potentia executiva ; verum *S. Thomas* ejusque discipuli eum collocant in intellectu.

Conclusio. — CHARACTER SACRAMENTALIS NON SUBJECTATUR IN ESSENTIA ANIMÆ, SED IN EJUS POTENTIA, SCIL. IN INTELLECTU.

1ª *Pars* prob.— 1° Character est quoddam signaculum quo anima insignitur ad suscipiendum vel tradendum aliis ea quæ sunt divini cultus, quæque in quibusdam actibus consistunt. Atqui ad actus proprie ordinantur potentiæ animæ ; ita ut quidquid ordinatur ad actum, sit potentiæ tribuendum. Ergo character non subjectatur in essentia animæ, sed in ejus potentia.— 2° Arguitur ex resp. ad 2 : quia sicut essentia animae, ordinata ad esse naturale, perficitur per gratiam qua homo spiritualiter est et vivit, ita potentia naturalis animæ perficitur per spiritualem potestatem qua capax redditur actuum superiorum. Atqui character est de genere spiritualis potestatis. Ergo.

2ª *Pars* ostend. tum directe, tum indirecte.

1° *Directe* (ex resp. ad 3).— Character, ut sæpe dictum est, ordinatur ad ea quæ sunt divini cultus. Atqui cultus divinus est quædam protestatio fidei per exteriora signa quibus theoretice et practice asseritur. Ergo character ei potentiæ insidet, in qua est fides. Atqui fides, ad *verum* spectans, est in intellectu. Ergo.

2° *Indirecte*, quatenus character nec in voluntate, nec in intellectu et voluntate simul, nec in potentia executiva residet.

a) *Non in voluntate :* — nam character (sicut et fides) respicit divinum cultum absolute seu quantum ad validitatem actionum et receptionum, non vero secundum rationem boni vel mali. Atqui voluntas ejusque qualitates objectum suum respiciunt sub determinata boni malive ratione. Ergo character nequit convenire voluntati.

b) *Non in intellectu et voluntate* simul : — etenim « nullum accidens potest esse in pluribus potentiis, quia accidens nume-

ratur et distinguitur penes materiam et distinctionem subjecti ; et ideo cum character sit accidens, non potest esse in pluribus potentiis animæ » (4 S. D. IV, Q. I, a. 3, sol. 2), nisi quatenus « sit in una per prius, et per posterius respiciat alias mediante illa in qua primo est » (*ibid.*)

c) *Non in potentia executiva :* — nam præter intellectum et voluntatem « quælibet alia potentia est in composito ; character autem est in anima intellectiva. Quod ex eo patet, quod est perpetuus, remanens in anima separata. In cujus signum si baptizatus aut ordinatus resurgeret, non rebaptizaretur aut reordinaretur » (*Cajet.* in h. art.).

Solv. obj.— Obj. 1.— Character est dispositio ad gratiam. Atqui gratia est in essentia animæ. Ergo.

Resp. *D. M :...* dispositio *directa* et *proxima*, *N ; indirecta* et *remota*, quatenus scil. recipientibus characterem divina largitas dat gratiam per quam digne exequantur ea ad quæ immediate disponit character, *C.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Character est potentia, non vero habitus perficiens potentiam. Atqui potentiæ subjectum est essentia animæ. Ergo.

Resp. *D. M :...* potentia naturalis seu ex principiis essentiæ procedens, *N ;* potentia divinitus superaddita, *C.*— *C. d. m.* — *Neg. conseq.*

Potentia ab extrinseco adveniens cujusmodi est character, utpote dispositio et *perfectio* potentiæ naturalis, in eadem potentia naturali quasi in proprio perfectibili immediate fundari debet.

Obj. 3.— Cum character disponat ad ea quæ sunt cultus divini, ei assignandum est subjectum conveniens principio proprio illius cultus. Atqui principium proprium cultus divini, scil. virtus religionis, subjectatur in voluntate. Ergo.

Resp. *D. M :...* principio proprio illius cultus quoad *esse* simpliciter, *C ;* quoad *bene* esse, *N.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.* (vid. *Cajet.* in h. 1.).

ARTICULUS VI.

Utrum character insit animae indelebiliter.

In *titulo* adverte quæstionem moveri, non de *metaphysica* impossibilitate deletionis characteris (hunc enim absolute a Deo deleri nullatenus repugnat), sed de indelebilitate quæ characteri suapte natura et proxime conveniat.

Conclusio.— CHARACTER SACRAMENTALIS INDELEBILITER INEST ANIMÆ, NEC IN ALTERA VITA DESITURUS EST.

1ª *Pars* est *de fide* juxta illud *C. Trid.* (Sess. VII, c. 9) : « Si quis dixerit in tribus sacramentis... non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et *indelebile*, unde ea *iterari non possunt*, A. S.»

1° *Auctoritate* asseritur.— *a*) Diserte enim Patres characterem exhibent ut « signaculum indissolubile » et « indelebile in sæcula » (S. Cyrill. Hier.), ut « sigillum inviolabile » (S. Basil.), unde videmus « nec apostatas carere baptismate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non repetitur et ideo amitti non posse judicatur » (S. August. c. ep. Parm. l. II, c. 29).— Hæc est, juxta eumdem *Aug.*, ratio cur quædam sacramenta non possunt iterari. « Utrumque, inquit, sacramentum est (Baptismus et Ordo) et quadam *consecratione* utrumque homini datur... ideoque in Catholica utrumque non licet iterari » (*op. cit.* n. 28).

2° *Ratione* prob.— Cum character sacramentalis sit quædam participatio sacerdotii Christi in anima fidelium, si corrumperetur, hoc esset vel ratione causæ, vel ratione subjecti, vel ratione suî. Atqui nullo ex his modis amitti potest : ergo.— *a*) Non *ratione causae :* hæc enim est sacerdotium Christi secundum potestatis spiritualis plenitudinem.[1] Atqui sacerdotium Christi est æternum, secundum illud (Ps. XIC, 4) : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Inde est quod omnis sanctificatio quæ fit per sacerdotium ejus, tamdiu durat quamdiu res ipsa consecrata : quod patet etiam in rebus inanimatis ; nam ecclesiæ vel altaris, nisi destruatur, consecratio semper manet.— *b*) Non *ratione subjecti :* character enim subjectatur in anima secundum partem intellectivam, cui insidet fides. Porro intellectus incorruptibilis est ideoque perpetuus.— *c*) Non *ratione suî :* nam cum sit potentia, de se indifferens ad moralitatem actionis aut saltem separabilis ab ea, contrarium non habet, secus ac virtus vitio corruptibilis ; neque dependet a dispositionibus liberi arbitrii, siquidem est vis instrumentalis quæ magis attenditur secundum indolem et perfectionem principalis agentis quam secundum conditionem ejus in quo est.

2ª *Pars* pro *certa* saltem haberi debet tum ex *generali* tenore decretorum conciliarium, tum ex communi Patrum et theologorum sensu (*Sasse*, th. XIX, sch. 4). Ad rem *S.*

[1] — « Propter hoc Christo non competit habere characterem, sed potestas sacerdotii ejus comparatur ad characterem, sicut id quod est plenum et perfectum ad aliquam sui participationem » (*S. Th.* h. art ; cf. 4 S. D. IV, Q. I, a. 3, qu. 5).

Thomas (resp. ad 3) : « Quamvis post hanc vitam non remaneat exterior cultus, remanet tamen *finis* illius cultus. Et ideo post hanc vitam remanet character et *in bonis* ad eorum gloriam, et *in malis* ad eorum ignominiam ; sicut etiam *militaris* character remanet in militibus post adeptam victoriam, et in his qui vicerunt, ad gloriam, et in his qui sunt victi, ad pœnam ».

Solv. obj.— Obj. 1.— Gratia perfectior est charactere. Atqui amittitur tamen per peccatum. Ergo a fortiori etc.

Resp. *D. M* :... perfectione formæ habentis esse completum in subjecto et ab eo dependens, *C ;* perfectione independente a dispositione subjecti, *N.*— *D. m* :... quia dependet a subjecto mutabili, *C* ; quasi eadem dependentia conveniat virtuti instrumentali qualis est character, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Eatenus anima characterem recipit, quatenus ad cultum Dei deputatur. Atqui quisque potest deserere cultum divinum per apostasiam. Ergo

Resp. *C. M.*— *D. m* :... potest abstinere a cultu divino ideoque ab *usu* characteris, *C ;* per hoc abjicit ipsum characterem, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Cessante fine, cessare debet et medium. Atqui post hanc vitam desinet cultus divinus, pro quo institutus est character. Ergo.

Resp. *D. M :* Cessante fine tum proximo tum *ultimo*... *C ;* fine *proximo* tantum, *N.*— *D. m* :... secundum formam œconomiæ præsentis, *C ;* secundum finalis glorificationis modum, *N.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS VII.

Utrum per omnia sacramenta N. L. imprimatur character.

Sacramenta N. L. ad duo ordinantur, scil. in remedium peccati et ad cultum divinum. Porro omnibus sacramentis *commune* est quod per gratiam a se collatam aliquod *remedium contra peccatum* exhibeant.— Nunc ergo inquiritur, num etiam omnia vel aliqua tantum *characterem* ad cultum divinum pertinentem imprimant.

Conclusio.— Per tria tantum sacramenta N. L. character imprimitur, scil. per Baptismum, Confirmationem et Ordinem.— Id *fide* constat ex *Conc. Flor.* (Decr. pro Arm.); ubi, asserto charactere de tribus illis sacramentis, additur :

« Reliqua characterem non imprimunt, et reiterationem admittunt ».

1° *Traditio* (ut patet præsertim ex *S. Aug.* l. II cont. ep. Parmen. c. 13 et l. II cont. litt. Petil. n. 239) characterem non assignat nisi tribus supradictis sacramentis.— Idem suadet *Ecclesiae praxis* non iterandi illa sacramenta, aliis iteratis, siquidem non iteratio characterem demonstrat, eo modo quo effectus proprius causam, a qua procedit, indigitat.

2° *Ratione* res decl.— *a*) Character est potestas quædam spiritualis qua mancipatur homo ad ea quæ sunt divini cultus. Atqui quædam sacramenta, ut *Poenitentia*, *Extrema-Unctio*, *Matrimonium*, per se et directe non tam ad munera cultus obeunda quam ad præbenda peccatorum remedia ordinantur ; *S. Eucharistia* vero magis est perfectio et apex divini cultus quam medium ad illum. At per *Baptismum*, sacrorum omnium veluti januam, homo donatur potestate *recipiendi* alia sacramenta (unde potentia characteris *passiva*) ; per *Confirmationem* communitur et deputatur non solum ad sacra constanter suscipienda, sed principaliter ad *tuendum* Christi nomen et religionem (unde potentia partim *passiva*, partim *activa*)[1]; per *Ordinem* vero potestatem accipit *tradendi* divina aliis (unde potentia characteris *activa*). Ergo.[2]— *b*) His cohæret assignatio trium characterum (data ab *Alberto M.* et *S. Bonaventura*) ex *triplici statu fidei* in Ecclesia. « Tres sunt status fidei, scil. *genitae*, *roboratae* et jam *multiplicatae*. Quia ergo tria tantum sunt sacramenta quæ respiciunt statum fidei determinatum, *baptismus* primum, quia ibi fides gignitur et homo ab Ægyptiis separatur ; *confirmatio* secundum, quia ibi fides roboratur et ut pugil inungitur homo ad prœliandum et ab infirmis discernitur ; *ordo* tertium, quia ibi virtus multimoda datur,et homo ut sanctus ad ministerium templi a laïcis separatur, ideo ista tantum imprimunt characterem » (*S. Bonav.* 4, D. VI, P. I, q. 4).— *c*) Id *figuratum* fuisse in V. L. tradit *S. Thomas* (4 S. D. VII, Q. II, a. 1 ad 2) : « In distinctione enim filiorum Israel ab Ægyptiis significabatur character *baptismalis ;* in distinctione timidorum a fortibus in bellis, character *confirmationis ;* in distinctione Levitarum a fratribus suis, character *ordinis* ».

[1] — 4 S. D. VII, Q. II, a. 1 ad 3.

[2] — Ex hoc (ut alii loquuntur) habentur *fideles* seu subditi simpliciter sub Christo *rege*, *confirmati* seu certantes sub Christo *doctore*, *sacerdotes* seu ministrantes sub Christo *sacerdote*.

Solv. obj.— Obj. 1.— Per omnia sacramenta N. L. fit aliquis particeps sacerdotii Christi. Atqui character sacramentalis nihil est aliud quam participatio sacerdotii Christi. Ergo.

Resp. *D. M :... effective*, quatenus scil. per omnia aliquis ejus effectus percipitur, *C ; formaliter*, quatenus per omnia homo recipiat veluti formam qua deputetur ad aliquem actum cultus divini exercendum, *N.— C. d. m.— Neg. conseq.*

Obj. 2.— Character se habet quasi consecratio animæ. Atqui per quodlibet sacramentum N. L. homo sanctificatur et veluti consecratur. Ergo.

Resp. *D. M :...* scil. *mundando* animam a peccato, *N ;* eam *devovendo* ad aliquid sacrum exercendum, *C.— C. d. m.— Neg. conseq.*[1]

QUÆSTIO QUINTA

DE CAUSA SACRAMENTORUM

Comperta sacramentorum indole et efficientia, assurgendum est ad eorum *causam* determinandam ; per effectum enim causa dignoscitur.— Causa vero alia est principalis seu per *auctoritatem* (art. 1), alia instrumentalis seu per *ministerium*, quæ et ipsa dispescitur in *excellentem* (art. 2) et *secundariam :* istius causæ secundariæ seu *ministri* simpliciter dicti sacramentorum conditio inquirenda est tum quoad *esse* accidentale (art. 3) et specificum (art. 4), tum quoad *agere* per debitam intentionem (art. 5), cujus intentionis qualitates seu circumstantiæ postremo loco considerandæ sunt (art. 6). — Ad sex articulos igitur totam Auctoris quæstionem reducemus.

ARTICULUS I.

Utrum solus Deus sit auctor sacramentorum.

(Q. LXIV, aa. 1-2)

1° Quia operari aliquem effectum contingit dupliciter, et per modum causæ principalis et per modum instrumenti, dubium proponitur num *soli Deo*, tanquam causæ *principali*, sacramentorum N. L. vis et institutio attribuenda sit.— 2° Insuper, duo sunt in sacramentis nostris distinguenda, vid. *effectus* interius productus et ratio constitutiva *sacra-*

[1] — De charactere leg. Monsabré, Conf. 63 : *Les caractères sacramentels.*

menti : unde utrumque, majoris claritudinis gratia, in distinctis propositionibus discutiendum est.

Conclusio 1ª.— Solus Deus ut causa principalis operatur interiorem effectum sacramentorum, licet ab hoc opere non excludatur causa ministerialis.— Utraque pars asserta reperitur in *Conc. Flor.* (Dec. pro Arm.).

1ª *Pars* prob : — 1° ex *Scriptura.* Nam est *Deus qui justificat* (Rom. VIII, 33). Atqui omnium sacramentorum effectus est justificatio vel justitiæ auctio. Ergo.— 2° *Ratione.* Ille solus operatur interiorem effectum sacramentorum qui solus potest illabi animæ (nihil enim immediate agit ubi non est), in eaque producere gratiam et characterem. *a*) Porro solus Deus, animæ rationalis auctor, illud intimæ potestatis habet quo in eam *pervadere* eique quidquam directe et immediate *imprimere* valeat : substantia enim spiritualis, non quantitatis, sed essentiæ limitibus continetur ; nulla autem creatura potest terminos essentiæ spiritualis ingredi, sicut nec potest ei influere esse.[1] *b*) Præterea tum gratia tum character (quæ in sacramentis producuntur) a solo Deo esse possunt : *gratia*, quia summa est participatio divinæ naturæ ;[2] *character*, quia consistit in virtute instrumentali manante essentialiter ab agente principali, quod est Deus. Ergo.

2ª *Pars* habet, hominem posse operari ad interiorem effectum sacramenti per modum *instrumenti.*— Etenim jam ostensum est signa sacramentalia, ex rebus et verbis conflata, instrumentaliter in effectum illum influere. Atqui eadem est ratio ministri et instrumenti : utriusque enim actio exterius exhibetur, sed internum sortitur effectum ex virtute principalis agentis quod est Deus ; imo (ait *Cajet.* in. h. l.) una eademque vis instrumentalis confluit in ritu sacramentali et ministro quasi in partialibus elementis concurrentibus ad perficiendum unum instrumentum et sacramentum. Ergo.

Conclusio 2ª.— Sacramenta esse non possunt nisi ex institutore Deo : — quod accipiendum est secundum potestatem *auctoritative* instituentem.

Sane sacramenta sunt causæ instrumentales in se habentes vim productivam gratiæ, ideoque ab illo solo institui possunt a quo hanc vim tenent. Atqui constat ex præc. concl. quod

[1] — « Substantia spiritualis non habet terminos quantitatis, sed tantum essentiæ ; et ideo in ipsam non intrat *nisi ille qui dat esse*, scil. Deus creator qui habet intrinsecam essentiæ operationem » (2 S. D. VIII, Q. un. a. 5 ad 3).

[2] — Cf. *de Reparatione*, Disp. IV, Q. I, a. 1.

a solo Deo vim effectricem gratiæ consequantur. Ergo. *Maj. decl: a)* ille enim instituit aliquid qui dat ei robur et virtutem, sicut legem condit qui ei obligandi vim tribuit. *b)* Insuper, duplex est agens respectu sacramenti, unum quidem *instituens* sacramentum (per se vel per alium), aliud vero *utens* sacramento instituto seu applicans ipsum ad inducendum effectum. Atqui virtus sacramenti non potest esse ab eo qui utitur sacramento, quia non operatur nisi per modum ministerii. Ergo relinquitur ut idem sit sacramenti institutor et dator virtutis : videlicet Deus.

Solv. obj.— Obj. 1 (cont. 1am concl.) — Interior sacramenti effectus est ut homo purgetur a peccatis et illuminetur per gratiam. Atqui ad ministros Ecclesiæ pertinet purgare, illuminare et perficere. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... communicando *directe* et *principaliter* gratiam, *N ;* repellendo dæmones, catechizando, sacramenta dispensando, *C.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— In ministrandis sacramentis orationes fiunt. Atqui orationes, præsertim justorum, multum conferunt ad effectum gratiæ. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... per modum actionis sacramentalis et *ex opere operato*, *N ;* concomitanter et ex *opere operantis* seu impetrantis, *C.*— *Neg. conseq.*

Tria notabimus : — 1° Orationes dictæ in sacramentorum collatione Deo proponuntur, non ex parte singularis personæ, sed *ex parte totius Ecclesiae ;* unde maximam efficaciam habent, quam et auget viri justi devotio.— 2° Verum, quia sacramenti effectus, qua talis, dependet ex passione Christi gratiam efficiente per ritum sacramentalem *ex opere operato*, ideo formaliter nec augetur nec impetratur oratione Ecclesiæ vel ministri.— 3° Attamen recipienti sacramentum aliquid effectui sacramentali annexum procurari potest per preces et *devotionem ministri ;* nec vero minister illud operatur, sed impetrat operandum a Deo.

Obj. 3 (cont. 2am concl.).— Ea quæ sunt divinitus instituta, traduntur nobis in S. Scriptura. Atqui quædam aguntur in sacramentis, de quibus nulla mentio in Scriptura. Ergo.

Resp. *D. M* :... pleraque, *C ;* omnia, *N.*— *D. m* :... quæ pertinent ad solemnitatem, *C ;* ad essentiam, *S. d :* nec per traditionem ad nos devenerunt, *N ;* apostolorum ore Ecclesiæ commissa sunt, *C.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

De potestate Christi-hominis et Ecclesiæ circa sacramenta.

(Art. 3-4)

1° Christus considerari potest sive ut Deus, sive ut hoom. Secundum quod est *Deus*, dubitari nequit (ex dictis) quin operetur in sacramentis per *auctoritatem* seu per modum agentis principalis, supremi et independentis.— At quæstio nunc proponitur de ejus potestate sacramentaria secundum quod est *homo*.

2° Ad majorem argumenti declarationem quatuor investigare juverit sequenti ordine : scil. *quænam* potestas competat Christo-homini circa sacramenta ; num potestas ei conveniens *communicabilis* fuerit aliis hominibus ; num de facto omnia sacramenta N. L. fuerint ab ipso *immediate* instituta ; tandem qua potestate *Ecclesia* gaudeat in sacramenta.

Conclusio 1ª.— CHRISTO-HOMINI TRIBUENDA EST CIRCA SACRAMENTA POTESTAS MINISTERII PRINCIPALIS SEU POTESTAS EXCELLENTIÆ.

1° Huc pertinent plures *Scripturæ textus*, v. g. (Matth. XXVIII, 18-19) : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos* etc. (2 Cor. V, 20) : *Pro Christo legatione fungimur*. Unde dixit J. Bapt. de Christo-homine (Joan. I, 33) : *Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Sp. Sancto*.

2° *a*) Ex alibi disputatis (tract. de *Incarn.*) compertum habemus, passionem Christi universaliter esse causam justificationis nostræ tum per modum meriti, tum per modum efficientiæ instrumentalis, quatenus humanitas Divinitati conjuncta instrumentum ejus existit. Atqui instrumentum conjunctum Divinitati in persona quamdam sibi principalitatem et causalitatem vindicat respectu instrumentorum extrinsecorum quæ sunt ministri Ecclesiæ. Ergo Christus in sacramentis potestatem habet *ministerii principalis* seu *potestatem excellentiæ*.

b) Miranda sane est Auctoris doctrina, qua per summa lineamenta potestatem hanc describit : « quæ (ait a. 3) consistit in quatuor : *primo* quidem in hoc quod *meritum et virtus passionis ejus operatur* in sacramentis, ut supra dictum est.— Et quia virtus passionis copulatur nobis per fidem, secundum illud Rom. III, 25 : *Quem proposuit Deus propitiationem per*

fidem in sanguine ipsius, quam fidem per invocationem nominis Christi protestamur ; ideo *secundo* ad potestatem excellentiæ, quam Christus habet in sacramentis, pertinet quod *in ejus nomine sacramenta sanctificentur*.— Et quia ex ejus institutione sacramenta virtutem obtinent, inde est quod *tertio* ad excellentiam potestatis Christi pertinet quod ipse qui dedit virtutem sacramentis, *potuit instituere sacramenta* (i. e. ministerialiter).— Et quia causa non dependet ab effectu, sed potius e converso, ideo *quarto* ad excellentiam potestatis Christi pertinet quod ipse potuit *effectum sacramentorum sine exteriori sacramento* conferre ».

Conclusio 2ª.— POTUIT CHRISTUS POTESTATEM EXCELLENTIÆ PURIS HOMINIBUS COMMUNICARE, SED NON IN EA PERFECTIONE QUÆ SIBI CONVENIT ; NEQUE COMMUNICATIO ILLA EXPEDIEBAT.— Dico *potestatem excellentiæ ;* non enim agitur de potestate *auctoritatis* quam habuit Christus in sacramentis, quæque, ut patet, nulli creaturæ communicabilis est, sicut nec divina essentia.

1ª *Pars* ostend.— Absolute loquendo, nulla est repugnantia quod Christus tantam gratiæ plenitudinem homini puro dederit ut hujus meritum operaretur ad sacramentorum effectus, ut invocato ejus nomine sacramenta sanctificarentur, ipseque posset (utique potestate delegata) vim sanctificandi signis sensibilibus a se electis annectere, necnon sine ritu sacramentali soloque imperio sacramentorum effectum conferre. Atqui in his consistit potestas excellentiæ : ergo. *Conf. maj.* quia instrumentum conjunctum (quale fuit Christi humanitas) quanto fortius exstat, tanto magis potest virtutem suam instrumento separato tribuere.

2ª *Pars* apparet ; — nam 1° homo purus, ea potestate donatus, esset instrumentum *Christo subordinatum*, unde *S. Th.* (a. 4 ad 3) : « Si communicasset (hanc potestatem Christus), ipse esset caput principaliter, alii vero secundario.»— 2° *Meritum* et *satisfactio* ejusdem puri hominis, dono gratiæ innixa, non haberent valorem quem meritum et satisfactio Christi sortiuntur ex infinita dignitate et independentia divinæ personæ ; proinde homo ille saluti humanæ non cooperaretur « ita plene sicut Christus » (4 S. D. V, Q. I, a. 3, qu. 2, ad 2).

3ª *Pars* colligitur ex resp. ad 1 (art. 4 h. q.) : « Christus, ait Auctor, non ex invidia prætermisit potestatem excellentiæ Ecclesiæ ministris communicare, sed propter *fidelium utilitatem*, *a*) ne in homine spem ponerent, *b*) et ne essent diversa sacramenta ex quibus divisio in Ecclesia oriretur sicut apud

illos qui dicebant : *Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ* (1 Cor. I, 12).»

Conclusio 3ª.— OMNIA SACRAMENTA N. L. IMMEDIATE FUERUNT A CHRISTO INSTITUTA.— Dico sacramenta *N. Legis ;* dum generatim admittitur Deum ipsum fuisse immediatum auctorem sacramentorum V. Legis.— Dico *immediate* contra quosdam veteres, *Hug. Vict., Petr. Lomb., Alex. Halens.*, qui docuerunt sacramenta Extremæ Unctionis vel Confirmationis mediate tantum a Christo provenisse, immediate vero ab Apostolis vel Ecclesia.[1]— Tandem immediata illa sacramentorum institutio Christo-homini tribuitur secundum potestatem *ministerialem* a Deo acceptam.— Est veritas *de fide* vel saltem *fidei proxima.*

1° Etenim definivit *C. Trid.* (Sess. VII, can., 1) : « Si quis dixerit sacramenta N. L. non fuisse *omnia* a J. C. D. N. *instituta*... A. S.» Atqui verba hæc intelligi debent de institutione *immediata : a*) nam institutor *simpliciter* dicitur qui proxime et per se rem constituit ; *b*) unde omnes theologi a Conc. Trid. eam interpretationem tradunt ; *c*) Concilium (Sess. XIV) de *Extrema-Unctione*, circa quam aliqui dubitarunt, distinguit *institutionem* Christo attributam a *promulgatione* facta a B. Jac. Apostolo ; *d*) præterea, si Ecclesia jure proprio sacramenta quædam instituisset, posset eorum *substantiam* immutare, quod tamen *C. Trid.* negat (Sess. XXI, cap. 2) : *e*) sin vero Apostoli id fecissent instigante Sp. Sancto, non ad Christum-hominem, sed ad *Sp. Sanctum* retulisset Concilium illorum sacramentorum institutionem. Ergo.

2° Ea de causa *Apostoli* se dicunt *ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* (1 Cor. IV, 1 ; cf. *ibid.* III, 5 ; 1 Pet. IV, 10-11).— Nec immerito conjectatur Christum complevisse opus institutorum sacramentalium post resurrectionem, quando exhibetur (Act. I, 3) *per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei* seu de Ecclesia.— In traditionis testem vocetur *S. August.* (de Ver. relig. c. 17, n. 33) : « Ab ipsa, inquit, Dei Sapientia homine assumpto, a quo in libertatem vocati sumus, pauca sacramenta saluberrima constituta sunt, quæ societatem christiani populi... continerent.»

3° *Rationes* accedunt : — *a*) nam (ut prænotavimus) sacramenta V. L. immediate sunt a Deo instituta, a Moyse autem

[1] — Loisy omnino negat Christum instituisse ritus sacramentales (*L'Evangile et l'Eglise*, pp. 181-182), idque absurdum et antihistoricum pronuntiat (*Autour d'un petit livre*, p. 224) ; sentit vero procax novator ipsam Ecclesiam, veluti necessitate impulsam, sacramenta finxisse.

solum promulgata, ut patet ex usitata Exodi et Levitici formula : *Locutus est Dominus ad Moysem.* Multo magis igitur par erat ut præstantiora N. L. sacramenta divinam institutionem per Christum sortirentur.— *b*) Item pro certo habetur quod Christus adhuc in terris *fundamenta* jecerit suæ Ecclesiæ et religionis ; ad quæ profecto pertinent sacramenta. « Apostoli et eorum successores sunt vicarii Dei quantum ad regimen Ecclesiæ *constitutæ* per fidem et fidei sacramenta. Unde sicut non licet eis constituere aliam Ecclesiam, ita non licet eis tradere aliam fidem, neque instituere alia sacramenta ; sed per sacramenta, quæ de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt, dicitur esse fabricata Ecclesia Christi » (*S. Th.* a. 2 ad 3).— *c*) Tandem recolantur *inconvenientia* superius indicata (3 p. concl. 2æ), quæ pronum erat ut Christus evitare curaret instituendo omnia sacramenta per seipsum.

Conclusio 4ª.— ECCLESIÆ JUS COMPETIT REGULANDI DISPENSATIONEM SACRAMENTORUM, IN IISQUE ADMINISTRANDIS CÆREMONIAS INSTITUENDI.— Eo spectat illud *Leonis XIII* (Encycl. *Arcanum, de Mat. im. christ.*) : « De sacramentis statuere et præcipere, ex voluntate Christi, sola potest et debet Ecclesia ».

1ª *Pars* uno argumento expedietur.— Ecclesia accepit a Christo auctoritatem dispensationis sacramentorum, prouti evincitur ex pluribus textibus (Matth. XXVIII, 19 ; Joan. XX, 22-23 ; Luc. XXII, 19). Atqui auctoritas hæc, in quantum est pars generalis potestatis qua gaudet Ecclesia, exercetur per leges vel regulas bono religiosæ societatis accommodatas. Ergo.— Hinc *a*) *primo* pertinet ad veram Christi Ecclesiam decernere quid requiratur ad *legitimitatem* sacramentorum sive recipiendorum sive ministrandorum ; — *b*) *secundo* ejusdem est facultas constituendi quæ ad *validitatem* quorumdam sacramentorum necessaria sint, non quasi horum essentiam mutare valeat, sed quatenus determinet *conditiones* ex quibus *in concreto* eorum validitas dependeat (ut in Pœnitentia et Matrimonio).— Sed de his suo loco.

2ª *Pars* explicite asseritur a *C. Trid.* (Sess. XXI, cap. 2), ubi declaratur « hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, statueret vel mutaret quæ suscipientium utilitati seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret.»

1° Argumentum sumitur ex illo *Scripturæ* loco (1 Cor. XI, 34) : *Cætera autem, cum venero, disponam ;* quæ Ap. verba, effata postquam de necessariis ad valorem SS. Eucharistiæ

disseruerat, satis liquido ad cæremonias accidentales referuntur : ideo *S. Aug.* (Ep. 54 ad Januar. n. 8) exinde repetit morem jejunii eucharistici.— 2° Plures *Patres* cæremonias traditione acceptas in sacramentis administrandis commemorant ; ita *S. Basilius* (de Sp. S. c. 27, n. 66) : « Benedicimus, inquit, et aquam baptismatis, et oleum unctionis, imo ipsum etiam qui baptismum accipit. Ex quibus scriptis ? nonne a tacita secretaque traditione ?» — 3° Potestas *legislativa* Ecclesiæ eo tendit, ut valeat decernere quæ Dei honori, sacrorum dignitati fideliumque bono expediant. Atqui hujusmodi sunt cæremoniæ sacramentis annexæ « ad excitandam devotionem et reverentiam in his qui sacramenta suscipiunt » (*S. Th.* a. 2 ad 1). Varias cæremoniarum utilitates breviter complexus est *Catechismus Rom.* his verbis (P. II, *de Sacr.* n. 16) : « Merito quidem a primis usque Ecclesiæ temporibus illud semper servatum est, ut sacramenta solemnibus quibusdam cæremoniis ministrarentur. *a*) *Primum* enim, maxime decuit sacris mysteriis eum religionis cultum tribuere, ut sancta sancte tractare videremur. *b*) *Præterea*, quæ sacramento efficiuntur,cæremoniæ ipsæ magis declarant ac veluti ante oculos ponunt, et earum rer m sanctitatem in animos fidelium altius imprimunt. *c*) *Deinde* vero mentes illorum, qui eas intuentur et diligenter observant, ad sublimium rerum cogitationem erigunt, fidemque in eis et charitatem excitant ».[1]

Inde, quasi *consectarium* necessarium, profluit (contra Novatores sæc. XVI) veritas sequentis canonis *Trid.* (Sess. VII, c. 13) : « Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse, A. S.»[2]

[1] — Sapienter institutum est (notant theologi post *Bellarminum*) ut in Ecclesia latina *latine* sacramenta administrentur prouti ab antiquo tempore fieri consuevit.— *a*) *Nulla* enim *ratio cogit* latinam linguam deserere : neque ex parte Dei ad quem orationes diriguntur ; neque ex parte rerum quæ verbis consecrantur ; neque ex parte sacramenta suscipientium quibus gratia *ex opere operato* confertur ; neque ex parte adstantium, qui vel latinam linguam callent, vel prævie circa cæremonias edocti generalem sensum capiunt, vel corde saltem Ecclesiæ ritibus precibusque sociantur.— *b*) *Magna* vero *orirentur incommoda* ex usu linguæ vulgaris : id enim obesset unitati liturgicæ quæ est velut Ecclesiarum vinculum ; via aperiretur mutationibus et depravationibus quæ, multiplicatis idiomatibus, faciliores evadunt ; sacramenta aliquid amitterent de eo religionis reverentiæque sensu quem lingua non vulgaris animis ingenerat ; tandem periculum foret ne latina lingua penes multos oblivioni daretur, cum eaque Patrum ac theologorum doctrina.

[2] — Vid. ampliora de hoc argumento apud Bellarm. l. II, cc. 29-32.

ARTICULUS III.

Utrum per malos ministros sacramenta conferri possint.

(Art. 5-6)

Nunc exploranda est causa ministerialis sacramentorum *secundaria*, et imprimis quoad conditionem essendi *accidentalem*.

1° Enimvero historia refert *Donatistas* sæc. IV, ut rejicerent consecrationem Ep. Carthag. factam a Felice Aptung. quem improbum arbitrabantur, docuisse sacramenta a malis ministris, præsertim a publicis peccatoribus, collata, nulla esse.— Sopitum hunc errorem denuo excitarunt sæc. XII *Waldenses* et sæc. XIV-XV *Wicleffitæ* et *Hussitæ* dicentes nullum ministrum malum posse valide sacramenta conficere.

2° Quia in sacramentis distinguere est *validitatem* et *liceitatem*, sub hoc articulo duo sibi invicem connexa considerabimus, unum præcipuum magisque *dogmaticum* de *valore* sacramentorum collatorum a ministris malis seu gratia sanctificante destitutis, aliud quasi consectarium *morale* et practicum de *peccato* ab illis ministris commisso.

Conclusio 1ª.— Ministri etiam mali Ecclesiæ valide possunt sacramenta conferre.—*De fide* ex *C. Trid.* (Sess. VII, c. 12) : « Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad sacramentum conficiendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum, A. S.»

1° Sane ab auctore Christo, non a ministro, sacramenta principaliter dependent, juxta illud (Joan. I, 33) : *Hic est qui baptizat in Sp. Sancto ;* unde *S. Aug.* (in Jo. tract. V, n. 18) : « Quos baptizavit Judas, Christus baptizavit ; sic ergo quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si baptismus Christi erat, Christus baptizavit. Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam ; quia columbam attendo, per quam mihi dicitur : *Hic est qui baptizat* ».

2° Idem *August.* (*op. cit.*, n. 11) asserit ministerium sacramentorum transire in bonos et malos, subdens : « Quid tibi fecit malus minister, ubi bonus est Dominus ?» Unde sicubi S. Doctor (de Bapt. cont. Donat.) negare videtur per ministros malos conferri remissiones peccatorum, id probabilius explicandum est, non quasi potestas in iis ministris deficiat, sed quatenus recipientes sacramenta malitiæ ministrantium

consentiant ideoque obicem ponant.— *Patres* et *Doctores* quibusdam *exemplis* illustrant independentiam sacramentorum a sanctitate ministri : puta ex. *fistulæ* per quam transit aqua, sive sit lapidea, sive argentea (S. Aug.) ; ex. *sigilli* quod, sive auro, sive ferro constet, eamdem regis imaginem imprimit (S. Greg. Naz.) ; ex. *medici* qui, licet corpore ægrotans, morbos tamen per artem curare potest (S. Thom.).— Cæterum *traditionis* suffragium a *fortiori* colligi poterit ex dicendis in art. 6.

3° *Ratio* veritatis ostensiva in promptu est.— Ministri Ecclesiæ instrumentaliter operantur in sacramentis, quatenus una cum materia et forma sacramentali unius instrumenti rationem complent. Atqui, cum instrumentum non agat propria forma aut virtute sed virtute principalis agentis, ei accidit, qua instrumentum est, qualemcumque qualitatem habeat præter id quod exigitur ad rationem instrumenti. Ergo ministris sacramentorum accidit, qua ministri sunt, quidquid non sit de ratione ministerii. Atqui bonitas vel malitia, ut patet, non est de ratione ministerii : pius enim sacerdos, non ut pius, sed *ut sacerdos* pœnitentem absolvit. Ergo.

Conclusio 2ª.— PECCATORES SACRAMENTA DISPENSANTES PECCANT PECCATO MORTALI EX GENERE SUO.— Loquitur Auctor de *dispensatione*, non de confectione tantum, sacramentorum.

Thesis : — 1° suadetur ex munditie requisita in ministris V. T. de quibus legitur (Is. LII, 11) : *Mundamini qui fertis vasa Domini ;* et (Levit. XXII, 3) : *Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra* (Aaronis) *ad ea quæ consecrata sunt... in quo est immunditia, peribit coram Domino.* Gravitas pœnæ culpæ gravitatem demonstrat.

2° Prob. *ratione.— a*) Aliquis in agendo peccat ex hoc quod operatur non secundum quod oportet, i. e. non secundum debitam regulam. Atqui conveniens seu debitum est ut sacramentorum ministri sint justi ; siquidem ministri debent Domino conformari, juxta illud (Levit. XIX, 2) : *Sancti estote, quia ego sanctus sum ;* et (Eccli. X, 2) : *Secundum judicem populi, sic et ministri ejus.* Ergo dubium non est quin mali se ministros Dei et Ecclesiæ exhibentes in dispensatione sacramentorum peccent.— *b*) Imo peccant *mortaliter, per se* loquendo, docente *S. Th.* (art. 6) : « Quia hoc peccatum pertinet ad *irreverentiam Dei et contaminationem sacramentorum,* quantum est ex parte ipsius peccatoris (licet sacramenta secundum seipsa incontaminabilia sint), consequens est quod

tale peccatum ex *genere suo* sit mortale »[1] seu sacrilegium.

Dicitur ex *genere suo* : — nam *per accidens* fieri potest ut peccatum etiam veniale desit, scil. ratione *invincibilis ignorantiæ*, vel *inadvertentiæ*, vel *urgentis necessitatis*, ut docet Auctor de baptismo in casu in quo etiam laicus posset baptizare ; tunc enim baptizans « non exhiberet se ministrum Ecclesiæ (i. e. perfecte et ex officio), sed subveniret necessitatem patienti » (resp. ad 3).

Solv. obj. (cont. 1[am] concl.).— Obj. 1.— Sacramenta N. L. ordinantur ad emundationem culpæ et collationem gratiæ. Atqui mali, utpote immundi et gratia orbati, neutrum efficere possunt. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... sua virtute, *C* ; potestate Christi, cui principaliter agenti effectus productus assimiletur et configuretur, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Tota virtus sacramentorum derivatur a Christo. Atqui mali ministri, non habentes charitatem, præcisi sunt a Christo. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... *moraliter*, quatenus vitam spiritualem non amplius a Christo-capite ducunt, *C* ; etiam physice et *mechanice*, quasi nec ut instrumenta veluti inanimata motionem a Christo recipiant, *N.*— *Neg. conseq.*

Exemplum habemus in membro arido seu desiccato quod, etsi vita careat, potest tamen adhuc impulsu quodam mechanico moveri, puta ad percutiendum (4 S. D. V, Q. II, a. 2, qu. 1 ad 2).

Obj. 3.— Deficiente eo quod debitum est, non perficitur sacramentum. Atqui debitus minister ille est qui macula peccati caret. Ergo.

Resp. *D. M* :... eo quod debitum est de *necessitate* sacramenti... *C* ; secundum quamdam *decentiam*, *N.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS IV.

Utrum Angeli possint sacramenta ministrare.

Ad *specificandam personam* ministri sacramentorum inducitur præsens articulus.— Ubi, soluta quæstione an potestas ministrandi sacramenta *Angelis* conveniat (quod sensit *Scotus*), aliud simul determinandum inquiremus, nempe an mini-

[1] — Particularia de hoc argumento persequi ad aliam provinciam pertinet.

sterium sacramentale *omnibus hominibus* competat (quod *Lutherus* docuit).

Conclusio 1ª.— De lege ordinaria ad solos homines, non ad Angelos pertinet dispensare sacramenta, licet id istis per exceptionem convenire possit.

1ª *Pars* ostend.

1° *Auctoritate.*— Nam Christus, ut patet ex Scripturis, solos homines ad munera sacramentalia exequenda delegavit (cf. Matth. XXVIII, 18-20 ; Luc. XXII, 19 ; Joan. XX, 22 ; etc.) — Legitur (Heb. V, 1) : *Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus const tuitur in iis quæ sunt ad Deum ;* ex quo infertur quod, si pontificatus hominibus reservetur, nec minora ministeria erunt Angelis concedenda.— Hinc *S. Joan Chrys.* (de Sacerd. l. III, n. 5) : « Qui terram incolunt in eaque commorantur ad ea, quae in cælis sunt, dispensanda commissi sunt potestatemque acceperunt, quam neque Angelis neque Archangelis dedit Deus ».

2° *Ratione* convenientiæ.— Tota virtus sacramentorum derivatur a passione Christi-hominis quasi ministri principalis, cui reliquos ministros cum subordinari tum quoque assimilari congruit. Atqui Christo-homini homines quidem in natura quasi membra capiti conformantur, non autem Angeli homine superiores ; idcirco secundum passionem suam Christus dicitur modico ab Angelis *minoratus* (Heb. II, 9). Ergo.

2ª *Pars* sic ab *Auctore* declaratur (art. 7) : — *a*) « Sicut Deus virtutem suam non alligavit sacramentis quin possit sine sacramentis effectum sacramentorum conferre, ita etiam virtutem suam non alligavit Ecclesiæ ministris, quin etiam angelis *possit* virtutem tribuere ministrandi sacramenta.— *b*) Et quia boni angeli sunt nuntii veritatis, si aliquod sacramentale ministerium a *bonis angelis* perficeretur, esset *ratum habendum* :[1] quia deberet constare hoc fieri voluntate divina ; sicut quædam templa dicuntur angelico ministerio consecrata.— *b*) Si vero *dæmones*, qui sunt spiritus mendacii, aliquod sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum habendum ».

Conclusio 2ª.— Non quilibet homo, etiam christianus, cujuslibet sacramenti minister est;— quod definivit *C. Trid.*

[1] — Sic, Nicephoro teste (l. VI, c. 20), *S. Amphilochius* fuit ab angelis Iconii episcopus consecratus, hancque consecrationem cæteri episcopi ratam habuerunt.

(Sess. VII, can. 10) : « Si quis dixerit Christianos omnes in verbo et in omnibus sacramentis administrandis habere potestatem, A. S.»

Id suadetur : — 1° ex potestate *hierarchica* divinitus constituta (Eph. IV, 11-12) ; — 2° ex verbis Ap. (Heb. V, 4) : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron ;* — 3° ex Ecclesiæ *traditione* et *praxi*, quam historia vel liturgia testatur : — 4° ex *ordine* qui in societate bene regulata viget ; — 5° ex inani fundamento sententiæ oppositae; nam verba illa (1 Pet. II, 9) *Vos genus electum, regale sacerdotium*, aliaque hujusmodi ad omnes fideles spectantia, non significant nisi sacerdotium spirituale et metaphoricum (ut patet ex contextu).

Solv. obj. (cont. 1^am^ concl.).— Obj. 1.— Quidquid potest minister inferior, potest et superior. Atqui Angeli sunt superiores ministri Divinitatis. Ergo.

Resp. *D. M :...* eodem modo, *N ;* modo superiori, *C.*— *C. d. m :...* et idcirco possunt *invisibiliter* influere in homines, *C ;* eis ordinarie convenit influere per sensibilia sacramenta, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Sacramenta constant ex rebus quasi materia et verbis quasi forma. Atqui Angeli possunt pronuntiare verba super materiam a se præstitam. Ergo. (Ita Scotus).

Resp. *D. M :...* constant verbis prolatis utcumque, *N ;...* prolatis locutione *vitali*, qualis hominibus convenit, *C.*— *C. d. m :* possunt educere quosdam sonos verbis sacramentalibus similes, *C ;* possunt vitaliter proferre illa verba, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Homines sancti assimilantur angelis in cœlo. Atqui sancti in cœlo, quibus inest character sacramentalis, ministrare possunt in sacramentis. Ergo.

Resp. *D. M :...* quantum ad participationem *gloriæ*, *C ;* quantum ad conditionem *naturæ*, *N.*— *D. m :...* i. e. habent *potestatem* in charactere positam, *C ; usum* potestatis, *S. d : communiter* haud secus ac viatores, *N ; extraordinarie*, *C.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS V.

Utrum intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti.

Compertis iis quæ qualitatem et personam ministri attinent, devenimus ad *intentionem* qua ministerium suum im-

plere debeat : hæc autem primum *secundum se* investigabitur, postmodum vero (art. seq.) secundum circumstantias quæ forte requirantur.

1° Quæstioni *an* intentio ministri in sacramentis necessaria sit, negative responderunt *Lutherus* et *Calvinus ;* adeo ut, juxta ipsos, ritus sacramentalis etiam ab histrione vel amente exhibitus veram sacramenti rationem habeat. Hoc vero sponte consequitur ex sententia quam tenent, scil. sacramenta esse signa pure *theoretica* verbisque dumtaxat *concionalibus* absoluta.

2° Rejecta Novatorum positione, *Amb. Catharinus*, cui adstipulati sunt plures theologi galli et germani, ut *Du Hamel*, *Drouyn*, *Stattler*, *Glossner*, etc., aliam ei affinem invexit ; docuit enim sufficere intentionem ponendi actum externum quem vult Ecclesia, licet desit animus celebrandi mysterium quod Ecclesia celebrat. Unde intentionem illam *externam* dixerunt, non quod non sit subjective interna, sed ratione objecti in solo ritu externo positi. Quidam Catharini sequaces addebant, actionem sacramentalem satis determinari (citra intentionem *internam* ministri) per adjuncta loci, temporis, sacri apparatus, etc.— Verum communis theologorum sententia a Catharino recedit, requirens *in* ministro animum actui externo correspondentem.

3° Intentionis multiplex datur partitio.

a) *Objective* quidem spectata, alia est intentio *explicita* qua aliquid intenditur in seipso, alia *implicita* qua aliquid intenditur in alio expresse volito.

b) *Subjective* sumpta, intentio dividitur in actualem, virtualem, habitualem et interpretativam : — *Actualis* est qua quis actu vult aliquid, v. g. baptizare ; quæ esse potest vel *reflexa* et in actu *signato*, quando quis sibi id expresse dicit « volo baptizare », vel *directa* et in actu *exercito*, quando advertenter, etsi non reflexe, ad rem perficiendam pergit.— *Virtualis* est intentio quæ ex actu præcedente, nec per contrariam voluntatem revocato, nec per notabilem temporis moram interrupto, in homine perseverat, ita ut opus *virtute* primævæ intentionis pro humano more fiat, v. g. si quis vi præhabitæ intentionis, licet nunc distractus, ad baptizandum procedat.— *Habitualis* est prompta quædam operandi facilitas consequens ex actu antecedente vel habitu concomitante absque ullo reali influxu voluntatis in actum, puta si dormiens preces recitet.— *Interpretativa* tandem dicitur intentio quæ nec est nec fuit, sed præsumitur probabili existimatione quod esset, si mens cogitaret vel adverteret.

Hisce præmissis, ad concludendum gradimur.

Conclusio 1ª.— Ad valorem sacramenti requiritur intentio saltem faciendi quod facit Ecclesia, tametsi sufficiat generale propositum.

1ª *Pars*, directa contra *haereticos*, est de *fide* juxta id quod *Trid. Patres* post *Conc. Flor.* sanxerunt (Sess. VII, can. 11) : « Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia ; A. S.»

Prob. 1° ex *indole potestatis ministerialis.*— Constat ex SS. LL. Apostolos eorumque successores in ministerio sacramentali constitutos fuisse divinorum mysteriorum oeconomos, quatenus potestatem a Christo acceperunt ea pro suo judicio dispensandi, ut patet (Joan. XX, 23) : *Quorum remiseritis... quorum retinueritis...* Atqui ministri nequeunt potestatem suam ad finem sibi præfixum ordinare nisi per intentionem debitam seu delegantis intentioni conformem, ut manifestum est de ministris nomine terreni regis agentibus : ergo.

2° Ex *proprietate instrumenti animati.*— Hæc est differentia inter instrumentum inanimatum et animatum quod prius non habet aliquam intentionem respectu effectus, sed motum tantum a principali agente recipit ; posterius vero et movetur ab alio et seipsum movet vel nutu voluntatis vel membrorum impulsu. Atqui ministri sacramentorum sunt instrumenta, animata tamen et libera. Ergo requiritur eorum intentio qua libere se principali agenti subjiciant seu intendant facere quod facit Christus et Ecclesia (h. l. resp. ad 1).

3° Ex *natura sacramentorum.*— Ea quæ indifferenter se habent ad multa determinatione indigent, ut consequantur determinatum effectum. Atqui actiones sacramentales *de se* ad plura se habent ; v. g. ablutio aquæ in baptismo ordinari potest et ad munditiam corporalem et ad sanitatem materialem et ad ludum et ad alia hujusmodi ; nec forma (præcisione facta ab intentione ministri) satis materiam coarctat et determinat, ut patet ex verbis : « Ego te baptizo » etc. Ergo.

4° Ex *absurdis.*— Sequeretur enim ex hæreticorum sententia : *a*) quæ fiunt in sacramentis, utpote præter intentionem agentis, esse casualia ; *b*) tamque gravia negotia ac mysteria mimice et jocose perfici posse, contra ac civilia negotia ; *c*) unde v. g. stultus infundens e fenestra aquam, jocandoque formam baptismalem proferens, catechumenum forte pertranseuntem baptizaret : hæc plane repugnant.

2ª *Pars*, theologorum consensu firmata, paucis absolvetur : — Ea intentio sufficiens dici debet, qua ritus externe positus Christi institutione veluti investitur et ad esse sacra-

mentale reducitur. Atqui id præstat *generale* propositum faciendi quod facit Ecclesia, quin necesse sit explicite intendere quod facit Ecclesia catholica ritumque sacrum ut productivum gratiæ in mente habere : quippe hæc aliaque id genus *implicite* clauduntur in generali intentione. Ergo.

Conclusio 2ª.— AD PERFICIENDUM SACRAMENTUM REQUIRITUR NON SOLUM EXTERNA, UT AIUNT, SED ET INTERNA INTENTIO MINISTRI.— Est propositio *certa*, etsi non de fide.

1° Favet *Ecclesiæ sensus.*— *a*) Etenim *Conc. Flor.* (Dec. pro Arm.) docet sacramenta *tribus* perfici, « vid. rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conficientis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia ; quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum.» Ergo intentio, quæ requiritur, quiddam est distinctum a forma et materia. Atqui intentio exterius prodita aliud non est quam ritus quo forma applicatur materiæ. Ergo.— *b*) Rursus, *C. Trid.* (Sess. XIV, cap. 6) asserit non valere absolutionem nec proinde ipsum pœnitentiæ sacramentum « si sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit.» Atqui, simpliciter loquendo, *animus vere absolvendi* significat internum propositum cui prolata exterius absolutio correspondeat, non vero meram absolutionis simulationem. Ergo.— *c*) Præterea, inter propp. damnatas ab *Alex. VIII* (1690) sequens 28a habetur : « Valet baptismus collatus a ministro, qui *omnem ritum externum* formamque baptizandi observat, *intus* vero in corde suo apud se resolvit : non intendo quod facit Ecclesia.» Atqui, ut patet ex oppositione inter externam agendi rationem et internam cordis intentionem, agitur hic de eo qui sese verum seu serium sacramenti ministrum apparenter exhibet. Ergo.

2° Suppetit *auctoritas S. Thomae.*— *a*) Præter alia quæ in nostram sententiam conferri possunt, appello verba sequentia (4 S. D. VI, Q. I, a. 2 ad 4) : « Quamvis, inquit S. Doctor, minister sacramenti debeat niti ad custodiendum cor suum quantum potest, ut maxime in verbis sacramentalis formæ intentionem habeat actualem ; quia tamen cogitatio est valde labilis, etiamsi tunc non adsit actualis intentio, quando verba profert, dummodo *prius intenderit* et *contraria intentio* non intervenerit, sacramentum non impeditur.» Quibus ex verbis duo ad propositum *colliguntur*, scil. *seorsum* a ritu sacramentali requiri intentionem ministri saltem virtualem fundatam in actuali, et per intentionem *contrariam* in animo latentem sacramentum irritari posse : quæ duo thesim nostram confirmant.— Neque *objiciantur* quæ habet Angelicus (hic, a. 8

ad 2) : « Minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus est minister ; in verbis autem quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur.» Etenim loco illo respondet *D. Thomas* difficultati propositæ, quomodo possimus esse certi de suscepto sacramento cujus valor ab occulta ministri intentione pendeat ; unde (monet *Cajet.* in h. 1.) præfata verba intelligi debent non simpliciter, sed *secundum humanam certitudinem*, quatenus scil. perspiciendo ritum sacrum a ministro serio adhibitum, moraliter certificamur de veritate sacramenti (nisi contraria intentio exterius demonstretur).

3° Accedunt *rationes theologicae.*— *a*) Ut docet *S. Thomas* (a. 8 et 10), necesse est ut minister in dispensandis sacramentis se subjiciat principali agenti quod est Christus suamque intentionem conformet intentioni Ecclesiæ. Atqui hoc fieri nequit *humano more*, secundum quod decet instrumentum intelligens, nisi quatenus minister non solum externo ritu, sed et interno proposito intendat quod vult et facit Ecclesia. Ergo.— *b*) Insuper, ritus sacramentalis ita exhiberi et determinari debet ut rationem sacramenti induat. Atqui, nisi accedat veluti ejus *anima* intentio interna ministri, ritus exterior in sacramentis non sufficienter determinatur ad esse sacramentale, neque per se, neque per circumstantias loci sacri, temporis, vestium, etc.; quippe etiam in his circumstantiis esse potest, absolute loquendo, vel mera repræsentatio historica, vel derisoria simulatio, vel inanis cæremonia. Ergo.— *c*) Tandem, res est definita et ab omnibus catholicis admissa quod si quis *derisorie* ritum sacramentalem ponat, non perficit sacramentum. Atqui discrimen essentiale non est, sive sit irrisor apertus (ut in casu mimice ministrantis), sive sit irrisor occultus (prout accidit quando quis serio simulat sacramentum). Ergo.

Conclusio 2ª.— Ad sacramenta valide conficienda non sufficit intentio interpretativa vel habitualis, nec tamen requiritur intentio actualis, sed sufficit intentio virtualis, quamvis actualis sit desideranda.— Sic theologi *communiter.*

1° Non sufficit intentio *interpretativa ;* hæc enim non est vera intentio, sed esset, aliquo supposito : unde consistit in mera ad habendam intentionem *dispositione*, cui præsumptio innititur.

2° Nec sufficit intentio *habitualis*, quippe quæ vel nullo modo, vel præter humanum modum, sed instinctu quodam

ab omni voluntatis etiam virtualis influentia alieno, ad actum conducit.— Unde quando *S. Thomas* (h. art., resp. ad 3) affirmat intentionem habitualem sufficere ad perfectionem sacramenti, manifeste loquitur (veterum scholasticorum more) non de intentione quam nos habitualem dicimus, sed de intentione virtuali, scil. quæ « virtute primæ intentionis » (*ibid.*) et veluti per modum habitus agit.

3° Non requiritur intentio *actualis :* nam « hoc non est totaliter in hominis potestate, quia præter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare, secundum illud psalm. XXXIX, 13 : *Cor meum dereliquit me* » (l. cit.). Porro Deus impossibilia non exigit.

4° Sufficit intentio *virtualis*, juxta illud *D. Thomae* (4 S. D. VI, Q. I, a. 2 ad 4) : « Non oportet quod in opere semper intentio conjungatur in actu, sed sufficit quod *opus ab intentione* procedat.»— Procedere autem potest (nempe virtualiter) a prima actuali intentione vel reflexa et in actu signato, vel directa et in actu exercito : sat est ad sacramenti validitatem ut minister agat virtute primæ actualis intentionis *exercitae*[1].

5° Tamen studiose curare debet sacramentorum minister ut in sacramentis dispensandis non solum virtualem, sed et *actualem* illam intentionem, scil. exercitam,[2] adhibeat : quo enim intensius operi sacro incumbit, eo majus meritum consequitur majoremque sacramenti effectum ex opere operantis adducit.

Solv. obj.— Obj. 1 (cont. 1am concl.).— In historia ecclesiastica (ap. Sozom., Niceph., etc.) narrantur diversa facta baptismi jocose vel mimice collati nec tamen reiterati. Ergo.

Resp. *D. antec :* . . . et hæc facta dubiæ fidei existimantur a pluribus, *C ;* pro historice veris habenda sunt, *S. d :* et in baptismo tunc collato ludus vel oblectatio fuit finis actioni sacramentali *intrinsecus*, *N ;* fuit finis *extrinsecus* ad quem conse-

[1] — Quod diximus de intentione videtur proportionaliter intelligendum de *attentione* secundum correspondentiam existentem inter applicationem intellectus et motum voluntatis.— Cf. *D. Th.* II-IIæ, Q. LXXXIII, a. 13 : ubi, de attentione ad orandum necessaria edisserens, S. Doctor attentionem vel intentionem quasi duo æque proportionata inducit.

[2] — Ad rem *Cajet.* (in h. l.): « Non studendum est ut habeamus hoc in mente actualiter : ego intendo conficere, sed studendum est ut actualiter mens nostra ad ea quæ sunt consecrationis attendat, puta ad prolationem distinctam formæ, ad reverentem contrectationem materiæ, ad futuram tunc ineffabilem præsentiam divinæ gratiæ in sacramento, vel etiam ipsius Christi quoad Eucharistiam. Hoc est enim consecrare cum actuali intentione in actu *exercito* ».

quenter relata est actio sacramentalis sufficienti intentione perfecta, *C.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2 (cont. 2am concl.).— Ad validitatem sacramenti sufficit intentio faciendi quod facit Ecclesia. Atqui qui serio ritum externum peragit, etsi intus reluctetur, intendit facere quod facit Ecclesia. Ergo.

Resp. *D. M* :... quod facit Ecclesia materialiter tantum, *N;* formaliter, *C.*— *C. d. m* :... intendit ponere eumdem ritum *materialiter* sumptum, *C ;* eumdem ritum *formaliter* spectatum, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Juxta S. Aug. (de Bapt. 1. VII, c. 53), validus est baptismus qui fallaciter datur vel accipitur. Ergo.

Resp. *D. antec* :... et hic agitur de fallacia *intentionis* quæ operi intus non respondeat, *N ;* sermo est de fallacia *fidei* et *vitae* quæ a sanctitate baptismi christiani dissonet, ut contextus ostendit, *C.*— *Neg. conseq.*

Obj. 4 (cont. 3am concl.).— Sicuti requiritur intentio ad conferendum sacramenta, ita et ad suscipiendum. Atqui ad suscipiendum sacramenta, saltem pleraque, sufficit in adultis intentio habitualis (ut alibi suo loco dicetur). Ergo.

Resp. *D. M* :... secundum proportionem quamdam, *C ;* univoce, quasi nempe in *efficiente* sacramentum non efficacior esse debeat intentio quam in *suscipiente*, *N.*— *Trans. min.* — *Neg. conseq.*[1]

ARTICULUS VI.

Utrum intentio ministri debeat fide ac rectitudine vestiri.

(Art. 9-10)

1° Ministri intentio in dispensandis sacramentis expendenda manet quoad circumstantias *fidei* et *rectitudinis ;* de quibus dubitatur, num necessariæ sint ad *validitatem* sacramentorum.

2° Etenim sæc. III gravissima mota est controversia, auctore præsertim *S. Cypriano* Ep. Carthag., cui plures alii in Africa et Asia episcopi assenserunt : contendebat ille Baptismum ab hæreticis et schismaticis collatum esse irritum, ideoque eos, qui in hæresi vel schismate baptizati ad Ecclesiam redirent, rebaptizandos esse.— At huic sententiæ firmiter obstitit S. Stephanus R. P. catholicam propugnans doctrinam, juxta quam (dummodo serventur quæ servanda sunt) sacra-

[1] — De materia hujus art. vid. ampliora ap. *Billuart*, qui rem late egregieque exponit cunctaque adversariorum effugia præcludit.

menta ab hæreticis et infidelibus collata pro validis sunt habenda.

Conclusio 1ª.— FIDES MINISTRI NON EST DE NECESSITATE SACRAMENTI.— Id quidem quoad Baptismum *de fide* est juxta declarationem RR. PP. *Nicolai I* et *Eugenii IV* et definitionem *Trid.* (Sess. VII, can. 4 de bapt.) ; quoad reliqua vero sacramenta, *certum* vel etiam *fidei proximum* censeri potest.

1° In defectum biblicæ auctoritatis valeat de ea re *S. Augustini* observatio (cont. Crescon. l. I, c. 33) : « Quamvis, inquit, hujus rei certe de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earumdem tamen Scripturarum in hac re a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas ; ut, quoniam S. Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eamdem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate S. Scriptura demonstrat.»

2° Sane *a*) thesi nostræ favisse primævum *Ecclesiae sensum*, clare evincit historia quæstionis rebaptizantium : ex qua colligitur jam pridem in Ecclesia, saltem practice, obtinuisse morem non rebaptizandi baptizatos ab hæreticis. Hanc consuetudinem agnovit S. Cyprianus, eamdem admiserunt ejus sectatores, licet se posse, imo et debere, ab ea recedere falso judicaverint.

b) Equidem mota illa a rebaptizantibus controversia dubietates quasdam penes nonnullos excitavit ; unde quidam *Patres*, re non satis perspecta, eo tempore hæsitasse vel etiam errasse narrantur.— At dissensus ille prorsus *particularis* fuit nec in Ecclesia universali prævaluit, reclamante præ cæteris S. Stephano R. Pontifice. Opportune *Vinc. Lerinensis* (Commonit. I, n. 6) : « Quis tunc universi negotii exitus ? Quis utique nisi usitatus et solitus ? Retenta est scil. antiquitas, explosa *novitas*.»

c) Mox namque Patres in diversis Occidentis et Orientis *conciliis* (CC. Arelat. I, Nicæn. I, Carthag. I, Laodic.) *diserte* sanxerunt quod praxi jam usuvenerat integra manere sacramenta in hæresi et schismate celebrata, modo constaret ritu evangelico data esse : hinc Novatianorum, Arianorum aliorumque Baptisma probatum ; nec alia de causa decretum Paulianistas esse rebaptizandos, quia formam sacramentalem adulterarent.— Quæ de baptismo constituta leguntur, ob idem motivum et juxta ipsum Ecclesiæ usum, ad *reliqua sacramenta* sunt extendenda.

3° *Ratio* momenta sua suppeditat.— *a*) Etenim, quia minister in sacramentis instrumentaliter operatur, non propria, sed Christi virtute agit. Atqui sicut ad propriam virtutem hominis pertinet charitas qua justus redditur, ita et fides qua credens seu fidelis efficitur. Ergo, quemadmodum peccatores charitate destituti sacramenta conferre possunt, ita et infideles fide carentes.— *b*) Sane vero defectus fidei versari potest vel circa aliquid *sacramento extrinsecum*, vel circa ipsam *sacramenti veritatem*. Atqui neuter defectus per se obstat valori sacramenti : ergo. *Non* 1us, ut patet, quia talis infidelitas nequaquam afficit intentionem conferendi sacramentum. *Nec* 2us etiam : nam « licet credat (infidelis) per id quod agitur exterius nullum sequi interiorem effectum, non tamen ignorat quod Ecclesia catholica intendit per hujusmodi quæ exterius aguntur præbere sacramentum ; unde, non obstante infidelitate, *potest* intendere facere id quod facit Ecclesia, licet æstimet id nihil esse. Et talis intentio sufficit ad sacramentum, quia... minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, ex cujus fide suppletur id quod deest fidei ministri » (art. 9 ad 1).

Conclusio 2ª.— AD SACRAMENTORUM VALIDITATEM NON ALIA RECTITUDO INTENTIONIS REQUIRITUR NISI QUÆ IPSAM SACRAMENTI CONFECTIONEM RESPICIAT.

Etenim intentio in sacramentis administrandis recta dici potest vel per respectum ad ipsam *sacramenti confectionem*, vel per respectum ad *sacramenti usum*. Atqui prima quidem rectitudo, qua minister se conformat intentioni Ecclesiæ, ad sacramentorum validitatem requiritur (ut constat ex superius disputatis), non tamen altera : — *a*) ratio est, quia usus sacramenti præsupponit sacramenti realitatem. Atqui prius non dependet a posteriori, sed vice versa. Ergo intentionis perversitas circa sacramenti usum (puta quod quis intendat conficere corpus Christi ut sacrilegium committat) non tollit sacramenti veritatem. *b*) Ex hac enim prava intentione ministri « pervertitur id quod agit in sacramentis, in quantum est *opus ejus*, non in quantum est *opus Christi*, cujus est minister ; et est simile, si minister alicujus hominis prava intentione deferret pauperibus eleemosynam, quam dominus recta intentione mandaret » (art. 10 ad 3).

Solv. obj. (cont. 1^am^ concl.).— OBJ. 1.— Intentio ministri requiritur ad sacramenti perfectionem. Atqui fides intentionem dirigit. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m :* fides vel propria, vel *aliena* seu Ecclesiæ... *C ;* fides *propria* tantum, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Scribit S. Leo M. (ep. ad Leonem Aug. 156, c. 5) in sede Alexandrina, hæreseos crimine inquinata, fuisse « omne cœlestium sacramentorum lumen extinctum.» Ergo.

Resp. *D. antec :*... et per hoc negatur *sacramenta* ipsa valide ab hæreticis conferri, *N ;* sensus est *rem sacramenti* seu gratiam non communicari iis qui scienter erroris participes fiunt, *C.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Qui ab Ecclesia præcisi sunt, nequeunt Ecclesiæ sacramenta conferre. Atqui hæretici ab Ecclesia præcisi sunt. Ergo.

Resp. *D. M :*... scil. amiserunt *potestatem* charactere contentam conferendi sacramenta, *N ;* amiserunt *licentiam utendi* hac potestate, *C.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*[1]

QUÆSTIO SEXTA

DE NUMERO SACRAMENTORUM

Numerus sacramentorum, quem postremo loco determinandum assumimus, dupliciter spectari potest, nempe vel *absolute* (art. 1), vel secundum *ordinem* quo sacramenta continentur (art. 2) : — unde duo articuli, quem excipiet *appendix* de sacramentalibus.

ARTICULUS I.

Utrum debeant esse septem sacramenta Ecclesiae.

1° *Novatores* sæc. XVI, licet in recensendis sacramentis inter se dissiderent, unanimi tamen ore negarunt septenarium numerum a catholicis agnitum et propugnatum. Testibus vero recentibus scriptoribus,[2] *Protestantes hodierni* non admittunt nisi duo sacramenta, scil. Baptismum et Cœnam ; unde qui ex illis concedunt Matrimonium et Ordinem fuisse divinitus instituta, eisdem tamen institutis rationem sacramenti denegant[3].

[1] — De hoc argumento fuse disserit Drouyn (De re sacr. l. I, Q. VII, c. 2, s. 1), ubi multas objectiones refellit.

[2] — Schaff, The creeds of Christendom (ed. 4), *The consensus and dissensus of Creeds*, vol. I, p. 919 ; — Ch. Hodge, *Syst. Theol.* vol. III, p. 492.

[3] — Evolutionismum rei sacramentariæ explicandæ adhibens, Loisy haud absonum reputat quod multa alia, præter ea quæ nunc sunt, sacramenta ab Ecclesia pro novis necessitatibus instituantur.

2° Duplici argumentorum genere veritas catholica de numero sacramentorum vindicari potest, scil. aut *generalibus* et communibus argumentis, aut *specialibus* et cuique sacramento propriis.— Dilatis in singulos de sacramentis tractatus argumentis specialibus, modo occupabimur circa demonstrandum septenarium numerum sacramentorum ex mediis communibus.

Conclusio.— SEPTEM SUNT, PROUTI ESSE CONGRUEBAT, ECCLESIÆ SACRAMENTA.— Hæc est *fidei* doctrina *Tridentino* canone roborata (Sess. VII, c. 1) : « Si quis dixerit, sacramenta N. L... esse plura vel pauciora quam septem, vid. Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem et Matrimonium ; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum ; A. S.».

Conclusio suadebitur ex veterum suffragio, præscriptione et ratione.

1° Ex *veterum suffragio.*— *a*) Quamvis veteres (sicut et S. Scripturæ) nunquam sub uno numero septem sacramenta simul adstruant, tamen nullum fere est sacramentum quod, data occasione, sejunctim non commemorent. Sic *Tertullianus* (l. de Præscrip. c. 40) meminit Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ et Ordinis ; Pœnitentiæ quoque (l. de Pœnit. c. 8-10) ; item Matrimonii (l. II ad Uxor. c. 7-9). Pariter *S. Augustinus* (l. V de Bapt. c. 20) memorat Baptismum, Eucharistiam et oleum seu Extremam-Unctionem ; Confirmationem vero (l. II cont. Litt. Petiliani, c. 104) ; Ordinationem (l. II cont. epist. Parmeniani, c. 13) : Pœnitentiam (En. in Ps.146, n. 5-8) ; tandem Matrimonium (l. I de Nupt. et Concup., c. 21) — *b*) Quærenti vero cur Patres nusquam videantur septenarium numerum sacramentorum expresse declarare, multiplex offertur responsio et ratio. 1ª est, quod *scopus particularis* cuique Patri in scribendo propositus id non exigebat (prouti diversis exemplis ostenditur ap. *de Augustinis*, th. VII). 2ª est, quia sacramenta dividuntur in duplicem classem, scil. in *consecrantia* et *medicinalia*, quatenus aut ad Dei cultum aut ad peccati remedium directe pertineant ; unde mirum non est quod quidam Patres pro sermonis opportunitate priora sacramenta tantum (scil. Baptismum, Chrisma, Eucharistiam, Ordinem) commemoraverint quin simul de reliquis mentionem facerent. 3ª est *disciplina arcani* seu religiosi silentii de mysteriis fidei, maxime de re sacramentaria ; qua lege prohibebantur veteres plura sacra, ne paganis et non initiatis innotescerent, aperta revelare.

Hinc *S. Augustinus* (In Joan. tract. 96, n. 3) de catechumenis scribit quod « non eis sacramenta fidelium produnt ».[1] 4ª ratio addi potest ; quia, doctrina fidei nondum in systema scientificum redacta, non exstabat tractatus de sacramentis in genere, nec Patres adhibere solebant eum stylum syntheticum, in scholis prævalentem, quo res sub universalibus conceptibus componuntur.

2° Ex *praescriptione*.— Ea ætate qua *Novatores* numerum septenarium sacramentorum inficiati sunt, jam a pluribus sæculis obtinebat in Ecclesia universa fides et consensio qua et Occidentales et Orientales, tum theoretice tum practice, profiterentur septem esse N. L. sacramenta. Atqui hæc universalis consensio et professio certissimum criterium est doctrinæ apostolicæ. Ergo.

Maj. evolv.— *a*) Et primo *Occidentalis* Ecclesiæ fidem (sæc. XII-XV) *varia monumenta*,[2] quibus septem sacramenta connumerata habentur, proclamant : scil. Catechesis attributa *S. Ottoni*, episc. Bambergensi ; Constitutiones synodicæ *Odonis*, episc. Parisiensis ; professio fidei ab *Innoc. III* Waldensibus præscripta ; diversa statuta episcopalia et synodalia *Angliae ;* Concilia *Lugdunense II*, *Constantiense* et *Florentinum*. Accedunt *documenta scholarum* quæ videre est penes Doctores illius ætatis, puta penes *Gregorium*, episc. Bergamensem, *Pet. Lombardum*, *Pet. Pictaviensem* Lombardi successorem, aliosque deinceps : hi enim omnes septenarium sacramentorum numerum veluti communem omnibusque notam doctrinam tradunt.— *b*) Secundo eamdem fuisse *Orientalis* Ecclesiæ diuturnam persuasionem, argumenta historica ac liturgica plane convincunt ; idque asserimus non solum de catholicis Romanæ Sedi adhærentibus (quod facile conceditur), sed et de *schismaticis* et *haereticis* sectis jampridem a cathedra B. Petri sejunctis. Sane *Graecos* in eam fidem conspirasse cum Latinis constat tum negative, tum positive : *negative*, quia nunquam, ne tempore quidem agendæ reconciliationis utriusque Ecclesiæ græcæ et latinæ (in CC. Lugd. II et Flor.), ullum dissensionis vestigium circa numerum sacramentorum prodiit ; *positive* vero, quia præter *liturgicos* Græcorum libros certe perantiquos quibus omnes

[1] — Hanc consuetudinem fundatam in Christi verbis (Matth. VII, 6) : *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*, usque ad prima Ecclesiæ initia ascendere pluribus ex testibus veteribus, maxime ex Clem. Alex., evincit R.mus Alex. MacDonald in opere *The Symbol of the Apostles*, Introd.

[2] — Ap. Sasse, th. XXVI ; — cf. quoque Franzelin, th. XVIII ; de Augustinis, th. XVII.

ritus nostri sacramentales exhibentur, suppetit *professio fidei* a Mich. Palæologo suorum nomine subscripta et Gregorio X in conc. Ludg. II oblata in qua septem sacramenta diserte recensentur (quin omittamus posteriores declarationes eodem sensu contra Protestantes sæc. XVI et XVII solemniter editas). Tandem indubia monumenta testantur[1] ipsas *sectas haereticas Asiae* et *Ægypti*, inde a sæc. V ab Ecclesia divulsas, integram servasse fidem de numero septenario sacramentorum.

Min. ostend.— *a*) Primo *theologice.* Ecclesia enim (uti supponitur ex *Theol. fundamentali*) indefectibilis est cum in existendo, tum quoque in docendo. Jamvero, nisi persuasio de numero septenario sacramentorum foret apostolicæ originis, actum esset de indefectibilitate doctrinali Ecclesiæ ; quippe hæc per plura sæcula falsum dogma ceu verum unanimiter professa esset. Quia vero Protestantes nolunt Ecclesiæ infallibilitatem agnoscere, alia jam argumenta non minus efficacia contra eos subjicimus.— *b*) Secundo *philosophice.* Juxta legem debitæ proportionis inter effectum et causam, fides universalis diuque constans, non obstantibus differentiis nationum, linguarum, morum, rituum, imo et doctrinarum, postulat causam vi et antiquitate præstantem omnibusque discrepantiarum rationibus superiorem : hæc autem non est nisi Dei revelantis vel instituentis auctoritas. Sane moraliter impossibile est quod schismatici et hæretici orientales, latinis tam infensi, ab iisdem latinis post separationem suam a Romana Sede doctrinam de numero septenario sacramentorum hauserint, sed ex fonte, schismate et hæresibus anteriori, eam duxisse arbitrandi sunt. Atqui divulsio quarumdam ecclesiarum orientalium ab unitatis centro usque ad sæc. V ascendit ; neque tunc prioribusque sæculis Ecclesia *tam tenax antiquitatis* novum dogma de sacramentis aut excogitare aut suscipere potuit. Ergo.— *c*) Tertio *historice.* Si enim doctrina de septem sacramentis per corruptionem antiquæ fidei inducta esset, id vel subito vel paulatim et quasi furtim contigisset : neutrum vero admittimus. Non 1um : siquidem nemo ullus assignare unquam potuit parentem, locum, tempus aliaque adjuncta hujus innovationis, quæ, cum ad omnes gentes spectaret, certe fieri non potuisset quin aliquod suî vestigium historicum relinqueret. Non 2um : corruptionem enim illam, præsertim cum res esset maximi momenti, practica, quotidiana, vitæque christianæ intime sociata, tandem aliquando perspexissent vigilantissimi Ecclesiæ pastores qui tum in Occidente tum in Oriente flore-

[1] — Ap. Sasse, *l. cit.*

bant, moxque commoti et reclamantes eam, congregatis conciliis, damnassent. Quod quia non constat, jure concludimus sententiam quam tuemur ipso divino verbo fulciri.

3° Ex *ratione* : — quo quidem medio non necessitas (ut calumniavit Kemnitius), sed *convenientia* septem sacramentorum secundum analogiam ex vita corporali desumptam elegantissime ab *Angelico* describitur. Integram hujus parallelismi expositionem referimus : — « Sacramenta Ecclesiæ ordinantur ad duo, scil. ad perficiendum hominem in his quæ pertinent ad cultum Dei secundum religionem christianæ vitæ, et etiam in remedium contra defectum peccati. Utroque autem modo convenienter ponuntur septem sacramenta.

a) « *Vita* enim *spiritualis* conformitatem aliquam habet ad vitam corporalem, sicut et cætera corporalia conformitatem quamdam spiritualium habent. In vita autem *corporali* dupliciter aliquis perficitur : *uno modo* quantum ad personam propriam ; *alio modo* per respectum ad totam communitatem societatis qua vivit, quia homo naturaliter est animal sociale.— Respectu autem *suî ipsius* perficitur homo in vita corporali dupliciter : uno modo *per se*, acquirendo scil. aliquam vitæ perfectionem ; alio modo *per accidens*, scil. removendo impedimenta vitæ, puta ægritudines vel aliquid hujusmodi. *Per se* autem perficitur corporalis vita tripliciter : *primo* quidem per *generationem* per quam homo incipit esse et vivere ; et loco hujus in spirituali vita est *Baptismus*, qui est spiritualis regeneratio, secundum illud ad Tit. III, 5 : *Per lavacrum regenerationis* etc. *Secundo* per *augmentum* quo aliquis perducitur ad perfectam quantitatem et virtutem ; et loco hujus in spirituali vita est *Confirmatio*, in qua datur Sp. Sanctus ad robur. Unde dicitur discipulis jam baptizatis Luc. ult., 49 : *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Tertio* per *nutritionem*, qua conservatur in homine vita et virtus ; et loco hujus in vita spirituali est *Eucharistia*. Unde dicitur Joan. VI, 54 : *Nisi manducaveritis... non habebitis vitam in vobis.* Et hoc quidem sufficeret homini, si haberet et corporaliter et spiritualiter impassibilem vitam. Sed quia homo incurrit interdum et corporalem infirmitatem, et spiritualem, scil. peccatum, ideo necessaria est homini curatio ab infirmitate ; quæ quidem est duplex : una quidem est *sanatio*, quæ sanitatem restituit, et loco hujus in spirituali vita est *Poenitentia*, secundum illud ps. XL, 5 : *Sana animam meam, quia peccavi tibi ;* alia autem est *restitutio valetudinis pristinae* per convenientem diætam et exercitium, et loco hujus in spirituali vita est *Extrema-Unctio* quæ remo-

vet peccatorum reliquias, et hominem paratum reddit ad finalem gloriam. Unde dicitur Jac. V, 15 : *Et si in peccatis sit, remittentur ei.*— Perficitur autem homo in ordine ad *totam communitatem* dupliciter : *uno modo* per hoc quod accepit *potestatem* regendi multitudinem et exercendi actus publicos ; et loco hujus in spirituali vita est sacramentum *Ordinis*, secundum illud Heb. VII, quod sacerdotes hostias offerunt non solum pro se, sed etiam pro populo. *Secundo* quantum ad *naturalem propagationem ;* quod fit per *Matrimonium* tam in corporali quam in spirituali vita, eo quod est non solum sacramentum, sed naturæ officium.

b) « Ex his etiam patet sacramentorum numerus, secundum quod ordinatur contra *defectum peccati*. Nam *Baptismus* ordinatur contra carentiam vitæ spiritualis ; *Confirmatio* contra infirmitatem animi, quæ in nuper natis invenitur ; *Eucharistia* contra labilitatem animi ad peccandum ; *Poenitentia* contra actuale peccatum post baptismum commissum ; *Extrema-Unctio* contra reliquias peccatorum, quæ scil. non sunt sufficienter per pœnitentiam sublatæ, aut ex negligentia aut ex ignorantia ; *Ordo* contra dissolutionem multitudinis ; *Matrimonium* in remedium contra concupiscentiam personalem, et contra defectum multitudinis qui per mortem accidit[1] ».

Solv. obj.— Obj. 1.— Sacramenta efficaciam habent ex virtute Dei et passionis Christi. Atqui una est Dei et passionis virtus. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m :*... pro unitate agentis principalis, *C ;* neque expedit ut una illa virtus *diversis instrumentis* ad diversos effectus secundum congruentiam operum deferatur, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Sacramentum ordinatur contra defectum peccati. Atqui hic defectus duplex est tantum, pœna et culpa. Ergo.

Resp. *D. M :*... unice, *N ;* quin excludantur aliæ utilitates *affines*, *C.*— *D. m :*... generice, *C ;* nec culpa et pœna diver-

[1] — Prætermissis aliis aliorum auctorum rationibus, memorare juverit assignationem *S. Bonaventurae* (Brevil., P. VI, c. 3) depromptam ex adaptatione quadam ad *virtutes* et *defectus culparum* et *poenalitatum*. Scilicet, juxta ipsum, fidei respondet Baptismus, et ordinatur contra culpam originalem ; spei Confirmatio, et ordinatur contra infirmitatem ; charitati Eucharistia, et ordinatur contra malitiam ; prudentiæ Ordo, et ordinatur contra ignorantiam ; justitiæ Pœnitentia, et ordinatur contra peccatum mortale ; temperantiæ Matrimonium, et ordinatur contra concupiscentiam ; fortitudini Extrema-Unctio, et ordinatur contra culpam venialem.

sificantur sive secundum speciem sive secundum varios hominum status et habitudines, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Luxuria non est gravissimum omnium peccatorum. Atqui contra alia peccata non est institutum aliquod sacramentum. Ergo inconvenienter matrimonium, etc.

Resp. *D. M* :... absolute, *C ;* neque id proprium habet ut per actum inordinatum generationis vitiet cum persona naturam, et rationem vehementiâ suâ absorbeat, *N.*— *D. m* :... specialiter, *C ;* quasi sufficiens remedium per communem gratiam sacramentorum eis non adhibeatur, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 4.— Lotio pedum connumeranda videtur inter sacramenta ; siquidem ait Christus (Joan. XIII, 8) : *Si non lavero te, non habebis partem mecum ;* quibus verbis aliisque similibus satis clare exprimitur signum gratiæ divinitus institutum.— Hinc *S. Ambrosius* (De myster. c. 6, n. 32) et *S. Bernardus* (Serm. in Cœn. Dom. n. 4) ei tribuunt remissionem peccatorum ; imo S. Bernardus expresse eam vocat sacramentum. Ergo plus quam septem, etc.

Resp.— 1° *a*) Nullo tempore *ablutio pedum* habita est in Ecclesia tanquam sacramentum proprie dictum, a Christo constitutum et ubique usitatum, sed fuit duntaxat cæremonia *ecclesiastica* et *localis*, licet ab exemplo Christi derivata, qua humilitas et charitas foveretur vel spiritualis munditia figuraretur. *b*) Neque aliud probant loca scripturalia quæ ritum illum commendant ; speciatim vero verba præcitata Christi ad Petrum non gratiæ promissionem enuntiant, sed *inobedientiae poenam* quam Dominus Petro reluctanti comminatur.— 2° *a*) Quod spectat ad *SS. Ambrosium* et *Bernardum*, hi (ut patet ex contextu sermonis) nequaquam adscribunt pedum lotioni remissionem peccatorum ceu effectum vere sacramentalem, sed eo tantum sensu quod praxis illa virtutes excitat quibus peccata mundantur, eamque emundationem symbolice exprimit. *b*) Unde ubi S. Bernardus illam « sacramentum » nominat, aperte loquitur de sacramento sub *generica ratione* quæ ritui symbolico qualicumque convenit.

ARTICULUS II.

De ordine sacramentorum ad invicem.

(Q. LXV, aa. 2-4)

Sapientis est ordinare : nil mirum ergo quod sacramenta, sapientissimo Dei consilio instituta, ordine contineantur, splendidoque concentu in finem humanæ salutis conspirent.

— Triplex autem in sacramentis ordo attendi potest, nimirum *numerationis*, *perfectionis* et *necessitatis* : pro hac divisione triplex conclusio adstruetur.

Conclusio 1ª.— SACRAMENTA CONVENIENTER NUMERANTUR : BAPTISMUS, CONFIRMATIO, EUCHARISTIA, PŒNITENTIA, EXTREMA-UNCTIO, ORDO, MATRIMONIUM ; prout legitur in *CC. Flor.* et *Trid.*

Sane sacramenta, quæ ordinantur ad perfectionem unius personæ, naturaliter præcedunt ea quæ spectant ad perfectionem multitudinis ; unum enim prius est quam multitudo. Atqui quinque priora, secundum præjactam enumerationem, ordinantur ad perfectionem unius personæ ; duo ultima vero ad perfectionem multitudinis : ergo. *Min. decl : a*) Inter ea quæ ordinantur ad perfectionem *unius personae*, recte numerantur prius quæ *per se* tendunt ad perfectionem spiritualis vitæ quam illa quæ ad eam ordinantur *per accidens*. Jamvero tria *per se* perfectionem spiritualis vitæ adducunt, Baptismus, Confirmatio et Eucharistia : primo loco *Baptismus*, qui est spiritualis regeneratio ; secundo loco *Confirmatio*, qua augemur et roboramur; tertio loco *Eucharistia* qua veluti cœlesti cibo in debita quantitate et virtute sustentamur et ad perfectionem finis perducimur[1]. Duo autem *per accidens* animam perficiunt, Pœnitentia et Extrema-Unctio, utpote quæ ordinantur ad remotionem peccati post baptismum supervenientis : unde post tria priora ponuntur, in serie sacramentorum, *Poenitentia* quidem primum, dein *Extrema-Unctio*, quia illa inchoat quod ista consummat. *b*) Tandem ordinantur ad perfectionem *multitudinis* Ordo et Matrimonium ; quorum *Ordo* ante *Matrimonium* numeratur, quia magis habet de spiritualitate, et per eum Matrimonium, ut sacramentum, dispensatur.

Conclusio 2ª.— SIMPLICITER LOQUENDO, SACRAMENTUM EUCHARISTIÆ POTISSIMUM EST INTER ALIA SACRAMENTA, QUORUM ETIAM UNUM ALIO PRÆSTANTIUS EST.— Dico *simpliciter* loquendo ; nihil enim prohibet quominus *secundum quid* aliud sacramentum excellat.

1ª *Pars* innititur verbis *Conc. Trid.* in quo contra *Novatores* id statutum est (Sess. VII, can. 3) : : « Si quis dixerit,

[1] — « Nutrimentum et præcedit augmentum sicut causa ejus, et subsequitur augmentum, sicut conservans hominem in perfecta quantitate et virtute. Et ideo potest Eucharistia præmitti Confirmationi, ut Dionysius facit in lib. de eccl. Hier. capp. 3-4, et potest postponi, sicut Magister facit in 4 Sent., dist. 7-8 » (S. Th., art. 4 ad 3).

hæc septem sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, A. S.» Et (Sess. XIII, cap. 3) excellentia SS. Eucharistiæ super reliqua sacramenta expresse commendatur.

Triplici ratione *Auctor* discurrit : — 1° Ex *natura sacramentorum*. Nam in Eucharistia continetur substantialiter ipse Christus ; in aliis autem sacramentis quædam virtus instrumentalis a Christo participata. Atqui semper quod est per essentiam, potius est eo quod est per participationem : ergo.— 2° Ex *mutuo sacramentorum ordine*. Illud enim omnibus sacramentis excellit quod est eorum veluti centrum et finis. Atqui alia sacramenta ad Eucharistiam quasi ad centrum et finem vergunt : ergo. *Min. evolv.* Nam Baptismus ordinatur ad Eucharistiæ receptionem ; item Confirmatio qua quis munitur, ne tale sacramentum frequentare vereatur ; per Pœnitentiam quoque et Extremam-Unctionem[1] præparatur homo ad corpus Christi digne suscipiendum ; Ordo confertur ad Eucharistiæ consecrationem et ministrationem ; tandem « Matrimonium etiam saltem sua significatione attingit hoc sacramentum, in quantum significat conjunctionem Christi et Ecclesiæ, cujus unitas per sacramentum Eucharistiæ figuratur » (S. Th., a. 3).— 3° Ex *ritu sacramentorum*. Nam fere omnia sacramenta, liturgico usu, in Eucharistia consummantur, ut patet de baptizatis (si adulti sint) et de ordinatis communicantibus. Licet vero recipientes aliquod sacramentum, puta matrimonium, non soleant simul communionem suscipere, plerumque tamen assistunt celebrationi Eucharistiæ quæ et sacramentum et sacrificium est, quo supremus Deo *cultus*, omnium excellentissimus, exhibetur.

2ª *Pars* decl.— Aliorum sacramentorum comparatio ad invicem multiplex esse potest : nam ratione necessitatis præstat quidem *Baptismus*, sed perfectione excellit *Ordo*, tum propter ministerium episcopale quod exigit, tum propter sublimiorem dignitatem ad quam elevat; *Confirmatio* in qua confertur (generatim ab episcopo) plenitudo Sp. Sancti, proxime ad Ordinem accedit ; sacramenta vero *Poenitentiae* et *Extremae-Unctionis*, quia per accidens tantum ordinantur ad vitam

[1] — Ne difficultas circa *Extremam-Unctionem* fiat (quia hoc sacramentum communi usu datur post viaticum, ut habet *Rituale Rom.*), notabimus cum *Cajet.* (in h. l.): « Auctor loquitur de effectu extremæ-unctionis *secundum se ;* cum sit enim sanatio quædam, secundum se ordinatur ad perfectam cum Christo conjunctionem animæ quæ per Eucharistiam fit. Usus autem postponendi extremam-unctionem aliunde sumitur ». Hinc *S. Thomae* mens est, quod homo per Extremam-Unctionem magis præparatur ad Eucharistiam, si forte adhuc sit tempus et occasio illam suscipiendi.

christianam, inferioris sunt gradus, inter quæ illud necessitate, hoc autem perfectione præeminet ; demum *Matrimonium* excellentia quadam gaudet ratione significationis.

Conclusio 3ª. — TRIA SUNT SACRAMENTA SIMPLICITER NECESSARIA, BAPTISMUS, PŒNITENTIA ET ORDO.

Necessarium respectu finis (de quo nunc agitur) dupliciter aliquid dicitur : vel ad esse *simpliciter*, quando sine eo nequit haberi finis, vel ad *bene* esse tantum, quando sine eo non ita convenienter finis obtinetur. Porro, quamvis Confirmatio, Eucharistia, Extrema-Unctio, et Matrimonium plurimum conferant ad finem humanæ salutis, non tamen simpliciter requiruntur. Sed hoc necessitatis genere necessaria sunt tria alia sacramenta : duo quidem singulari personæ, scil. *Baptismus* absolute, *Poenitentia* vero ex hypothesi peccati mortalis post baptismum commissi ; tertium vero, scil. *Ordo*, multitudini seu Ecclesiæ universaliter sumptæ, cujus regimen præsules legitime ordinatos omnino expostulat.— Sed hæc in tractatibus de singulis sacramentis melius apparebunt.

APPENDIX

DE SACRAMENTALIBUS

Sacramentalia, vi vocis, dicuntur quæ vel in solemni sacramentorum administratione observantur, vel quamdam cum sacramentis analogiam præ se ferunt vel ad ea suscipienda utcumque disponunt ; et *definiri* possunt in genere « res vel actiones sensibiles ab Ecclesia institutæ vel adhibitæ ad quosdam effectus salutares producendos ».— *Potestatem* esse penes Ecclesiam instituendi sacramentalia quæ bona aptaque judicaverit, sponte consequitur ex iis quæ supra (Q. V, a. 2) de cæremoniis in sacramentorum dispensatione implendis probavimus : par enim ratio, scil. fidelium utilitas, parem vim et facultatem exposcit. Quare ab antiquissimis temporibus, uti testantur Latinorum libri rituales vel Græcorum euchologia, praxis communis fuit diversarum benedictionum, aquæ lustralis, etc.— Tria circa sacramentalia breviter determinabimus, videlicet : *quid in specie* sint ; *qua virtute* agant ; *quos effectus* producant.

I. De variis sacramentalium speciebus.— Sacramentalia in particulari multa sunt, quæ tamen reduci solent ad sex genera juxta versum :

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

a) *Orans* designat preces, præsertim publicas, ab Ecclesia præscriptas ejusque nomine factas, v. g. Rogationes ; etiam preces fusas « in ecclesia dedicata » (III, Q. LXXXVII, a. 3).— *b*) *Tinctus* significat usum aquæ benedictæ quæ tantopere ab Ecclesia et a sanctis commendatur[1], necnon quam-

[1] — « Si, inquit *Alex. P.* (de Consecr. D. III. c. 20), cinis vitulæ sanguine aspersus populum sanctificabat atque mundabat, multo magis aqua sale aspersa, divinisque precibus sacrata, populum sanctificat atque mundat ». — Vid. Haine, *Theol. mor. elem., de Sacr. in gen.* c. 6.

libet unctionem sacramentalem, quæ non est sacramentum, aliasque unctiones in consecrationibus adhibitas.— *c*) *Edens* refertur ad manducationem panis benedicti aliorumve esculentorum ab Ecclesia benedictorum.— *d*) *Confessus* significat publicam culparum confessionem ex præscripto Ecclesiæ faciendam in missa, in communione fidelium, vel in Officio ; ad quam reducitur tunsio pectoris.— *e*) *Dans* designat eleemosynam aliaque opera misericordiæ, *specialiter* ab Ecclesia præscripta aut commendata (quod bene advertas, ne sacramentalia confundas cum quibuslibet operibus moraliter bonis). — *f*) *Benedicens* comprehendit varias benedictiones, a Papa, episcopis et sacerdotibus factas, sive personarum, utputa virginum, sive animalium et rerum, cujusmodi sunt benedictiones *Palliorum*, imaginum cerearum quæ vulgo *agnus Dei* dicuntur, altarium, calicum, campanarum, etc. Huc referuntur exorcismi ex precibus et benedictionibus maxime compositi.

II. De virtute sacramentalium.— Ad hanc virtutem seu efficaciam determinandam sequentia statuemus.

1° Certum est *sacramentalia non conferre gratiam sanctificantem ex opere operato ;* secus enim æquipararentur sacramentis : quod a fide est alienum. Unde *S. Thomas* (Q. LXV, a. 1 ad 6) : « Aqua benedicta et aliæ consecrationes non dicuntur sacramenta, quia non perducunt ad sacramenti effectum qui est gratiæ consecutio ».

2° Quantum ad *eos effectus* qui sacramentalibus adscribi solent, *a*) arbitrandum non est illos produci *ex parte nostra tantum* seu solum ex opere operantis hominis ; quia sic sacramentalia nihil peculiare et proprium sibi vindicarent præ variis actibus et exercitiis cultus externi.— *b*) Sed tenendum est iisdem sacramentalibus *specialem quamdam virtutem* inesse, ut docet *D. Thomas* (III, Q. LXXXIII, a. 3 ad 3) : « Dicendum quod ecclesia, et altare, et alia hujusmodi inanimata consecrantur, non quia sint gratiæ susceptiva, sed quia ex consecratione adipiscuntur quamdam spiritualem virtutem, per quam apta redduntur divino cultui, ut scil. homines devotionem quamdam exinde percipiant.» — *c*) Nec tamen virtutem illam concipimus per modum cujusdam *intimæ qualitatis* qua *ex opere operato* (ut quidam probabile habent) effectus suos, puta remissionem peccatorum venialium, sacramentalia producant : id enim a communi theologorum sensu dissonat, neque ullo cum fundamento asseritur. Contradicit quoque *S. Thomas* inquiens (III, Q. LXXXVII, a. 3 ad 1) de aspersione aquæ benedictæ et aliis

hujusmodi « quod omnia ista causant remissionem peccatorum venialium, *inquanium inclinant animam ad motum pœnitentiæ*, qui est detestatio peccatorum vel implicite, vel explicite.» — *d*) Quid concludendum ? quod sacramentalia effectus suos producunt *ex opere operantis hominis, pie illis utentis, maximeque Ecclesiæ, precibus suis hos effectus impetrantis :* quæ Ecclesiæ preces, etsi non infallibiliter prædictos effectus adducant, magnam tamen efficaciam sortiuntur ex dignitate et sanctitate dilectissimæ Christi sponsæ. Unde, spectata hac singulari impetrationis virtute Ecclesiæ, dici potest (cum *Cajet.* et *Sylv.* in III, Q. LXXXIII, a. 3) quod Deus *speciali modo* sacramentalibus præsens est, quibus utitur ad excitandum in nobis reverentiam et devotionem. — *e*) Tandem, cum Ecclesia in *exorcismis* non solum deprecatorias, sed et *imperativas* formulas adhibeat, credendum est *efficaciorem* adhuc *virtutem* (quæ ad vim *operis operati* quodammodo accedit) insitam esse illis precibus et benedictionibus[1], tum ex speciali potestate Ecclesiæ a Christo data adversus dæmones (Luc. X, 17), tum ex Christi nomine et signo crucis a quibus spiritus nequam prorsus abhorrent.

III. De effectibus sacramentalium.— Quinque sequentes præcipui videntur ; quin tamen omnes ad singula sacramentalia pertineant.

1° *Excitatio piorum motuum gratiae ;* quos quidem motus, ut ex dictis patet, non vi sua internaque efficacia, sed dispositive et *impetratorie* sacramentalia inducunt.— 2° *Remissio peccatorum venialium*[2] quæ *mediantibus* piis illis motibus ab anima depelluntur, ut diserte tradit *S. Thomas* (III, Q. LXXXVII, a. 3).— 3° *Remissio poenae temporalis.* Id vero dupliciter contingit : vel per modum *indulgentiæ*, si aliqua sit sacramentalibus annexa ; vel per modum *satisfactionis* quam exhibeat sive opus pœnale, sive cordis displicentia, ut eruitur ex *Angelico* (*l. cit.* ad 3) ; ubi addit : «Sed reatus pœnæ remittitur per prædicta secundum motum fervoris in Deum, qui per prædicta excitatur, quandoque magis, quandoque autem minus.»— 4° *Repressio vel effugatio dæmonis ;*

[1] — Cf. III, Q. LXXI, a. 3.

[2] — Quare ad delenda venialia magis quam *mortalia* peccata valeant sacramentalia, sic determinat *de Lugo* (de Pœnit. disp. IX, s. 4, n. 64) : « *Primo* ex parte Dei, qui non ita facile placatur in uno casu ac in alio. *Secundo* ex parte hominis, qui non ita facile concipit motum sufficientem contra mortalia. *Tertio* denique ex parte Ecclesiæ, quæ fortasse non ita applicat ex primaria intentione hæc remedia contra mortalia, sicut contra culpas leviores ; habet enim contra mortalia efficaciora alia remedia gravioribus morbis applicanda.»

quod convenit non solum exorcismis, sed et aliis sacramentalibus, specialiter *aquae benedictæ*, juxta illud *D. Thomæ* (Q. LXV, a. 1 ad 6) : « Aqua benedicta ordinatur contra insidias dæmonum et contra peccata venialia ».— 5° *Beneficia temporalia ;* quæ obtineri possunt (prout Deus expedire judicaverit) tum *directe* per factam impetrationem, tum *indirecte* per adjurationem contra dæmones a quibus tempestates aliæve calamitates sæpe concitantur.

Ex præmissis *concludimus* sacramentalia differre a sacramentis in duobus : — *a*) *primo* quantum ad modum agendi ; illa enim simpliciter agunt ex opere operantis hominis vel Ecclesiæ, ista vero ex opere operato.— *b*) *Secundo* quoad effectus, quatenus sacramentalia se habent ut causa « *disponens*, vel impedimentum removens, vel aliquo modo ornans » (4 S. D. VII, Q. I, a. 1, sol. 1), sacramenta autem ut causa perficiens seu producens effectum principalem.

DISPUTATIO SECUNDA

DE BAPTISMO

Postquam de sacramentis in genere dissertavimus, ordinis doctrinæque ratio postulat ut de eisdem in particulari pertractemus. Quemadmodum enim profanæ artes solent naturam instrumentorum suorum sedulo considerare, nonne multoque magis Theologiam decet instrumenta humanæ salutis diligenter explorare? — Porro « primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum *Baptisma*, quod vitæ spiritualis janua est : per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ » (*Conc. Flor.*, decr. pro Arm.). Igitur a Baptismo exordiemur.— De quo quintupliciter post *D. Thomam* inquiremus : *primo* de pertinentibus ad hoc sacramentum (Q. I) ; *secundo* de ministris Baptismi (Q. II) ; *tertio* de suscipientibus Baptismum (Q. III) ; *quarto* de effectibus Baptismi (Q. IV) ; *quinto* tandem de ritibus ad Baptismum spectantibus (Q. V).

QUÆSTIO PRIMA

DE PERTINENTIBUS AD SACRAMENTUM BAPTISMI

Baptismi sacramentum secundum se tripliciter spectari potest, nempe quoad *esse*, quoad *qualitates* et quoad *quantitatem* seu numerum.— Quoad *esse* quidem Baptismus considerationi objicitur vel *in genere* (art. 1), vel *in specie*, i. e. secundum determinatam materiam (art. 2) et formam (art. 3) ex quibus velut partibus coalescit.— Quantum vero ad *qualitates* duo considerare expedit, scil. *modum* quo Baptismus administrandus est (art. 4) et ejus *non iterabilitatem* (art. 5). — Tandem postremum de *quantitate* determinandum se offerit, quotuplex sit Baptismus (art. 6).

ARTICULUS I.

De esse Baptismi in genere.
(Q. LXVI, aa. 1-2)

1° *Baptismi* nomen, a græca voce derivatum, immersionem vel ablutionem generatim significat.— *a*) Porro in Scripturis sensu *proprio* quandoque usurpatur tum pro lotione profana (v. g. Judith, XII, 7), tum pro purificatione sacra et legali (v. g. Heb. IX, 10).— *b*) Sensu *metaphorico* eadem vox in SS. Litteris interdum adhibetur ad significandam aut bonorum (Act. I, 5) aut malorum (v. g. Marc. X, 38) exundationem.— *c*) Tandem Scripturæ N. T. Ecclesiæque *præcipuo* usu, Baptismus sensum habet veluti ex proprio et metaphorico constantem, quatenus sumitur pro ritu sacramentali externæ ablutionis, ad internam ablutionem intentæ.

2° Baptismi, sicuti cujusvis rei, duplex *esse* distinguitur, nempe esse *essentiæ* et esse *existentiæ*.— Sacramentum baptismi fuisse a Christo institutum modoque existere, adeo evidens est ut *nec ipsi hæretici* illud negare ausi sint ; unde opus non est specialem in hoc demonstrationem conferre. Huc faciunt pleraque jam, in tract. *de Sacramentis in genere*, ex revelationis fontibus prolata ; neque ignorantur variæ *figuræ* quibus sacramentum illud prænuntiatum est : puta *transitus maris rubri* (1 Cor. X, 2), *probatica* piscina (Joan. V, 2), maxime *circumcisio* qua tollebatur peccatum originale et *baptismus Joannis* immediate præparatorius ad Baptisma christianum.— Hinc, determinata per *essentialem* definitionem natura Baptismi in genere, pauca tantum cum Auctore subjiciemus de *tempore* ejus institutionis.

Conclusio 1ª.— QUANQUAM DIVERSE A DIVERSIS DESCRIPTUS SEU APPELLATUS, BAPTISMUS RECTE DEFINITUR : « SACRAMENTUM NOVÆ LEGIS A CHRISTO INSTITUTUM AD SPIRITUALEM HOMINIS REGENERATIONEM, PER EXTERNAM ABLUTIONEM CORPORIS, SUB PRÆSCRIPTA VERBORUM FORMA ».

1ª *Pars*, veluti prævia, tangit diversas Baptismi designationes seu appellationes minus completas, desumptas vel a materia, vel a forma, vel a fine et effectibus (art. 1 ad 1) :

a) *A materia* quidem dicitur Baptismus *lavacrum*, lavacrum *mysticum*, *sacramentum aquæ*, *fons sacer*, *sacra piscina*, *unda genitalis*.

b) *A forma* vero vocatur *sacramentum Trinitatis*, eoque reducitur altera appellatio *sacramentum fidei*, quia per invocationem Trinitatis, cui per se vel per alium annuit, bapti-

zatus solemniter protestatur fidem et incipit ab infidelibus segregari.

c) *A fine* et *effectibus* nominatur *regeneratio* et *renovatio* (Tit. III, 5), quia per baptismum homo inchoat novam vitam justitiæ ; *illuminatio* (Heb. VI, 4 ; X, 32), quia fide, quam homo in baptismo vel accipit vel profitetur, corda transferuntur de tenebris in Dei lumen ; *expurgatio* (1 Cor. V, 7), quia per baptismum expurgatur vetus fermentum peccati ; *sepultura* et *plantatio* (Rom. VI, 3-5), quia baptizati moriuntur peccato ad renascendum in Christo ; denique (ut alia omittamus) *sigillum* et *custodia*, in quantum baptismus characterem imprimit qui, quantum est de se, secundum coeffectam vel consequentem gratiam, custodit animam in bono.

2ª *Pars* profert aptiorem Baptismi *definitionem*, quæ non est nisi explicatio definitionis *Catech. Trid.* ex Joan. III, 5 et Eph. V, 26 depromptæ (P. II, de Bapt. n. 5) : « Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.»

1° Sane si spectetur definitio nostra *metaphysice*, habemus in prioribus verbis « sacramentum N. L. a Christo institutum » genus proximum, in reliquis vero differentiam specificam : quæ duo, juxta logicos, rem definiendam promunt.

2° Si *physice* definitio consideretur, illa apta atque completa dici debet quæ tum extrinsecas (efficientem et finalem), tum intrinsecas (materialem et formalem) rei definiendæ causas exhibet. Atqui hujusmodi est definitio superius tradita : ergo. *Min. decl.* per partes.—*a*) *Primo* per verba « sacramentum Novæ Legis *a Christo institutum* » significatur *causa efficiens*, a qua omne sacramentum nostrum procedit. — *b*) *Secundo* per verba sequentia « ad spiritualem hominis *regenerationem* » designatur *causa finalis* seu finis proprius, cui sacramenti constitutio adaptatur : solus enim baptismus, primum vitam spiritualem infundendo, homines proprie regenerat.— *c*) *Tertio* aliis verbis « per externam corporis *ablutionem* » exprimitur *causa materialis*. Ubi notetur non aquam (uti posuit *Hug. de S. Victore*), sed aquæ usum seu ablutionem ingredi definitionem baptismi : eatenus enim pertinet ad essentiam hujus sacramenti, quatenus significando sanctificat. Atqui aqua baptismalis utrumque præstat, secundum quod homini applicatur per modum ablutionis : ergo.— *d*) *Quarto* demum per verba ultima « sub præscripta *verborum* forma » manifeste significatur *causa formalis* completiva sacramenti : de qua infra (art. 3) dicturi sumus.

Notanda duo sunt.— 1° Ut quisque videt, quod modo directe definivimus est *sacramentum tantum* baptismi seu signum sensibile interioris effectus ; — *res* autem *et sacra-*

mentum est character baptismalis qui, dum significatur per exteriorem ablutionem, significat et ipse interiorem justificationem ; — hæc autem est *res tantum* significata, non significans.

2° Non est assimilandus baptismus Christi *baptismo Joannis : Protestantes* enim hanc similitudinem asserentes condemnati sunt a *C. Trid.* (Sess. VII, can. 1 *de Bapt.*) : « Si quis dixerit, baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum baptismo Christi ; A. S.» — Et revera baptismus Joannis[1] nec fuit verum sacramentum ; nec gratiam de se conferre poterat ; nec characterem imprimebat ; sed importabat meram pœnitentiæ exhortationem solis adultis convenientem : quibus quasi totidem differentiis baptismus Joannis a Christi baptismate descriminatur.

Conclusio 2ª.— CHRISTUS BAPTISMUM INSTITUIT ANTE SUAM PASSIONEM, SCIL. EO TEMPORE QUO IPSE BAPTIZATUS EST, QUANQUAM NONNISI POST SUAM RESURRECTIONEM ILLUM PRÆCEPIT ET IMPOSUIT.

1ª *Pars* dirigitur contra *quosdam veteres*, solidoque nititur fundamento.— 1° Namque legitur (Joan. III, 22) Christum baptizasse, et infra (IV, 1-2) additur non per se, sed per discipulos id fecisse. Atqui hic baptismus non erat Johannicus, sed Christianus et sacramentalis[2], quoniam ex auctoritate Christi conferebatur a discipulis per quos Christus ipse baptizare censebatur. Ergo.— 2° Præterea, certo constat ex *Conc. Trid.* (Sess. XXII, cap. 1) Apostolos in ultima cœna recepisse Eucharistiam et ordinem sacerdotalem. Atqui de lege ordinaria (quam nihil probat fuisse tunc suspensam) baptismus est qui habilem hominem reddit ad suscipienda reliqua sacramenta : ergo.

2ª *Pars* sat communiter a theologis tenetur.— Et sane 1° tunc videtur aliquod sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi gratiam. Atqui hanc virtutem accepit baptismus, quando Christus in Jordane baptizatus est, prouti declarat *Catech. Trid.* (*l. cit.* n. 19) ex auctoritate SS. Greg. Naz. et August. Tunc enim Christus creditur aquis contulisse aptitudinem quamdam supernaturalem qua baptismi effectum operari valerent, juxta illud *S. Ambr.* (in Lucam, l. II, n. 83) : « Baptizatus est Dominus non mundari volens, sed mundare aquas ; ut ablutæ per carnem Christi, quæ pec-

[1] — Cf. tract. nost. *de Incarnatione*, Disp. VII, Q. IV, a. 1 ; — Bellarm. *de Bapt.* l. I, cc. 19-23.

[2] — Ita plerique interpretes, licet Knabenbauer (*Comm.* in h. l.) post quosdam alios id neget.

catum non cognovit, *baptismatis jus* haberent.» Ergo.— 2° *Conf.* ex *S. Thoma* (4 S. D. III, Q. I, a. 5, sol. 2) : « Fuit primo, inquit, institutus (baptismus) quantum ad *materiam* in baptismo Christi : tunc enim vim regenerativam aquis contulit ; et aliquo modo fuit *forma* figurata per præsentiam trium personarum in signo visibili, quia Pater apparuit in voce, Filius in carne, Sp. Sanctus in columba ; et similiter *fructus* baptismi ibi præfiguratus fuit, quia cœli aperti sunt super eum.» Imo probabile censet *Bill. art* (Diss. I, a. 2) Christum, jam tunc baptizando, Joannem B. aut discipulos de ritu et forma baptismi instruxisse.

3ª *Pars* ut *certa* expresse traditur a *Catech. Trid.* (*l. cit.* n. 21).— Revera 1° ante passionem futura baptismi necessitas declarata fuerat verbis Domini ad Nicodemum (Joan. III, 5) : *Nisi quis renatus fuerit* etc. Usus quoque baptismi (quin obligatorius foret) jam obtinebat præcipue apud Judæos, exercitii et assuetudinis gratiâ, modo efficaci, quatenus a passione Christi, quam præfigurabat, veram justificandi vim derivaret. At nonnisi post resurrectionem suam Christus tum Judæis tum Gentilibus baptismum sub *præcepto* necessitateque posuit, Apostolis dicens (Matth. XXVIII, 19) : *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes* etc.— 2° *Rationem* hujus rei reddit *S. Thomas* (art. 2) : « Necessitas, inquit, utendi hoc sacramento indicta fuit hominibus post passionem et resurrectionem, *a*) tum quia in passione Christi terminata sunt figuralia sacramenta, quibus succedit baptismus et alia sacramenta N. L., *b*) tum etiam quia per baptismum configuratur homo passioni et resurrectioni Christi, in quantum moritur peccato et incipit novam justitiæ vitam.»[1]

ARTICULUS II.

De materia propria Baptismi.

(Art. 3-4)

1° *Errores*, ut ab iis enarrandis incipiamus, duas in classes distribui possunt.— *a*) Quidam enim omnino *negarunt* aquam in Baptismo esse adhibendam : cujusmodi fuerunt (præter *Caianos* et *Quintillianos*, cuncta signa sensibilia gratiæ rejicientes, et a Tertull. l. de bapt. confutatos) *Manichæi*, aquam a malo principio ortam judicantes ; *Seleuciani* et *Herminiani*, ex malo intellectu Matth. III, 11, ignem aquæ substituendum ponentes ; *Quakeri*[2] inde intelligen-

[1] — Plura de hoc argumento disputat doctissimus *Billuart.*
[2] — Ap. Schaff, *The Creeds of Christendom*, vol. III, p. 797.

tes baptismum pure spiritualem ; addi solet, *Jacobitæ* ferro candente figuram crucis in frontibus imprimentes et *Flagellantes* rati unumquemque proprio sanguine per flagellationem baptizari (licet incertum sit num reapse simul baptismum aquæ repudiaverint).— *b*) Nonnulli e *Norvegia* et *Armenia*, quanquam communem aquæ usum concederent, posuerunt tamen, deficiente aqua, posse infantes vel *cervisia*, vel *vino* et *lacte*, baptizari. *Lutherus* (Colloq. Sympos. c. 17), cui assensit *Beza*, sententiam emisit, *quidquid balnei loco* esse potest valere ad baptisma. *Calvinus* vero, etsi forte baptismum aquæ haud negans, commentus est verba Christi « Nisi quis renatus fuerit *ex aqua* » metaphorice esse accipienda.

2° Materia Baptismi distingui consuevit in *remotam* et *proximan* quatenus intelligatur vel aqua absolute vel aquæ usus seu applicatio et ablutio.— Cum impræsentiarum de materia remota sermo sit, ad duo determinanda aggredimur, videlicet, *an* et *qualis* aqua sit materia baptismi propria.

Conclusio 1ª.— Ex institutione divina aqua est propria ac conveniens materia baptismi.— Duæ secernantur partes, una de *facto* institutionis, altera de *convenientia*.

1ª *Pars* est dogma *fidei*, prout statuit *C. Trid.* (Sess. VII, can. 2) : « Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa D. N. J. C : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Sp. Sancto*,[1] ad metaphoram aliquam detorserit ; A. S.»

1° *Scriptura* explicita est.— Omissis *prophetiis* et *figuris* V. T. quæ aquam ceu baptismi materiam aperte prænuntiarunt[2], provocamus ad N. T., ubi diserte doctrina hæc traditur : *theoretice* quidem, tum per Christum in colloquio cum Nicodemo jam citato (Joan. III, 5), tum per D. Paulum (Eph. V, 26), *Mundans lavacro aquae in verbo vitæ*, tum per S. Petrum (1 Pet. III, 20-21) æquiparantem arcæ Noe, *in qua octo animæ salvæ factæ sunt per aquam*, salutiferum baptisma ; — *practice* vero, nam legitur (Act. VIII, 36 sq.) : *Ait eunuchus : Ecce aqua : quid prohibet me baptizari... et descenderunt uterque in aquam ; Philippus et eunuchus ; et baptizavit eum.* Cf. *ibid.* X, 47-48.

2° *Traditionis* testem habemus in primis *Tertullianum*, qui librum *de Baptismo* sic incipit (cap. 1) : « Felix sacramentum aquæ nostræ qua abluti delictis pristinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur » ; et (cap. IV) : « Prænotabatur

[1] — Ioan. III, 5.
[2] — Cf. Drouyn, l. II *de Bapt.*, Q. II, c. 1.

ad Baptismi figuram, Dei spiritum, qui ab initio supervectebatur super aquas, intinctos reformaturum.» Accedit *S. August.* (in Joan. tract. 15, n. 4) : « Quid est, inquit, baptismus Christi ? Lavacrum aquæ in verbo. Tolle aquam : non est baptismus ».— Eamdem omnium ætatum persuasionem contestantur *libri liturgici* tum Orientalis tum Occidentalis Ecclesiæ.

2ª *Pars* de *convenientia* aquæ quatuor *D. Thomae* rationibus illustratur.

1ª quidem sumitur ex *ipsa ratione Baptismi.* Baptismus enim est regeneratio ad vitam spiritualem. Atqui id maxime congruit aquæ : cujus vi illabente et fecundante, vitæ semina prodeunt, succrescunt, efflorescunt ; ea vero deficiente, naturæ vigor decrescit et languet. Ergo.— 2ª ducitur ex *effectibus Baptismi ;* « quibus competunt aquæ proprietates quæ sua *humiditate* lavat, ex quo conveniens est ad significandam et causandam ablutionem peccatorum ; sua *frigiditate* etiam temperat superfluitatem caloris, et ex hoc competit ad mitigandam concupiscentiam fomitis ; sua *diaphaneitate* est luminis susceptiva, unde competit baptismo, inquantum est fidei sacramentum » (art. 3).— 3ª accipitur ex *exemplaritate Baptismi.* Baptismus enim specialiter commemorat mysteria mortis et resurrectionis Christi, cui in illo sacramento conformamur et quoad sepulturam in morte peccati et quoad resurrectionem ad novam vitam (Rom. VI, 4 ; Coloss. II, 12). Atqui aqua convenit ad representandum præfata mysteria : nam « in aqua tanquam in sepulcro caput immergentibus nobis, vetus homo sepelitur ac demergitur totus ; deinde nobis emergentibus, novus exsurgit » (*Chrysost.* Hom. 25 in Joan. n. 2). Ergo.— 4ª desumitur ex *usu Baptismi.* Nam Baptismus necessarii est ac universalis usus. Atqui aqua, ratione suæ communitatis et abundantiæ, præsto est omnibus facilique negotio parari potest. Ergo.

Conclusio 2ª.— Ad baptismum requiritur aqua vera et naturalis, seu quæ speciem aquæ habeat vel retineat.— Res est definita in *C. Flor.* et *Trid.* Cf. *Codex juris canonici*, c. 737.

Enimvero materia Baptismi talis accipienda est, qualis a Christo constituta fuit ; hæc autem est aqua *simpliciter* seu quæ sine ulla adjunctione dici solet. Atqui aqua hujusmodi est aqua vera et naturalis seu quæ aquæ speciem habeat vel retineat : ergo. *Min. decl.* Dupliciter aqua transmutari potest : uno modo per *mixtionem* alterius corporis, v. g. quando pulvis ei miscetur ; alio modo per *alterationem*, puta quando

sole calefit. Utrumque autem horum contingit fieri vel per *artem* vel per *naturam*. Jamvero illarum transmutationum nonnullæ quidem solvunt aquæ speciem, puta si aqua convertatur in liquorem uvæ seu vinum, unde aqua amplius dici non potest ; aliæ vero speciem aquæ integram relinquunt, ut patet de aqua fluminis quæ, quamvis forte ex terrestrium elementorum mixtione turbida sit, aqua tamen simpliciter est et nominatur. Itaque pro *principio* habeatur *S. Thomæ* enuntiatum (art. 4) : « In qualibet aqua qualitercumque transmutata, dummodo non solvatur species aquæ, potest fieri baptismus ; si vero solvatur species aquæ, non potest fieri baptismus.» — Applicationes hujus principii ad Casuisticam pertinent.

Solv. obj. (cont. 1am concl.).— Obj. 1.— Joan. Bapt. sic Christi baptismum prænuntiavit (Matth. III, 11) : *Ipse vos baptizabit in Sp. Sancto et igne.* Ergo ignis etc.

Resp. *D. antec.*... et ignis ibi ponitur ceu materia baptismi, *N ;* ad significandum vim et efficaciam operationis Sp. Sancti qui in baptismo Christi (præ baptismo Joannis) largiter effunditur, *C.— Neg. conseq.*

Variæ sunt illius loci explicationes : alii enim per ignem intelligi volunt futuram Sp. Sancti apparitionem in *igneis linguis ;* alii, ardorem et virtutem *divini amoris ;* alii, *tribulationis* probationem qua veluti igne animi purgantur et ad Deum purius amandum excitantur : quæ tamen omnia amice inter se componuntur et coëunt in exprimendam vim Sp. Sancti in cordibus baptizatorum operantis.[1]

Obj. 2.— In Baptismo significatur ablutio peccatorum. Atqui multa alia quam aqua sunt ablutiva, v. g. vinum, oleum, etc. Ergo.

Resp. *C. M.— D. m :*... sunt ablutiva *aliqualiter, C ;* et hæc ita communiter habentur, ita frequenter sumuntur ad abluendum ac ita perfecte abluunt, sicut aqua, *N.— Neg. conseq.*

Obj. 3.— Christus instituit Baptismum, in quantum tactu suæ carnis vim regenerativam contulit aquis (prout communiter asseritur). Atqui non omnis aqua continuatur cum aqua Jordanis, quam Christus carne tetigit. Ergo non omnis aqua etc.

Resp. *D. M :*... aquis loco determinatis, *N ;* aquis generatim in baptismum assumendis, *C.— D. m:*... continuitate *loci, C ;* similitudine *speciei, N.— Neg. conseq.*

[1] — Cf. Knabenbauer, *Comm.* in h. loc.

ARTICULUS III.

De forma Baptismi.

(Art. 5-6).

1° Supervacaneum videtur singillatim recensere errores *veterum haereticorum* qui, pro sua falsa de mysterio Trinitatis sententia, baptismi formam graviter adulterabant :[1] sic v. g. *Paulianistae* de grege sabelliano, cum unam duntaxat in Divinitate personam profiterentur, abstinebant a baptizando in nomine trium personarum, ideoque a *Conc. Nic. I* damnati sunt.— *Graeci* aliquando ita suæ formæ cæteroquin legitimæ (baptizatur N. servus Christi etc.) adhærebant ut formam Latinorum haud substantialiter dissimilem condemnarent : quod reprobatum est in *Conc. Later. IV*.— Sententia fuit *Lutheri*, *Zwinglii* et *Brentii* quod licet forma usitata servanda sit, certa tamen verborum forma ad baptismi substantiam non esset necessaria ; nec mirum, cum juxta ipsos verba sacramentorum sint pure concionalia seu ad excitandam fidem adhibita.

2° Inter catholicos quæstio controversa est, num in *solo Christi nomine* baptismus valide conferri possit : — *a*) Nonnulli, ut *Hug. Vict.*, *Pet. Lombardus*, quibus *Cajetanus* et *Toletus* assentiati sunt, id universaliter admiserunt.— *b*) Alii, ut *Gull. Altisiod.*, *Alb. Magn.*, *S. Bonaventura*, etc., hanc sententiam limitarunt eo sensu quod Apostoli tantum ex *speciali Christi dispensatione* valide in nomine Christi baptizaverint.— *c*) Plerique tamen præsertim recentiores hoc absolute negant.

3° Ex dictis liquet duo nobis determinanda occurrere : *unum* de forma præscripta baptismi (contra hæreticos) ; *alterum* de forma existimata « in nomine Christi » (contra quosdam catholicos).

Conclusio 1ª.— Hæc est propria et conveniens forma baptismi : « Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Sp. Sancti ».— Quod solemniter sanxerunt *CC. Flor.* (Dec. pro Arm.) et *Trid.* (Sess. VII, can. 4).

Sane illa propria ac conveniens dici debet forma baptismi qua sufficienter exprimitur tum minister, tum baptizandi actio, tum persona baptizata, tum causa in cujus virtute baptismus confertur. Atqui recitata forma quatuor istas conditiones claudit : ergo.— Arg. evolvitur per partes :

[1] — Vid. controversistas Bellarminum et Drouyn.

1ª *pars* : — per formam illam *convenienter, etsi non necessario, exprimitur minister.*— 1° *Convenienter ;* nam *a*) forma sic melius respondet verbis Domini deferentis actum baptizandi ministris (Matth. XXVIII, 19) : *Baptizantes eos. b*) Planior est quoque, in quantum exprimit causam instrumentalem cui tanquam immediato principio actio attribuitur.— 2° Tamen *non necessario ;* nam *a*) Græci, ad evitandum antiquorum errorem qui virtutem baptismi baptizantibus adscribebant (1 Cor. I, 12-13), non exprimunt actum ministri veluti ab ipso egredientem, sed dicunt : *Baptizatur N. servus Christi in nomine* etc. Hanc autem formam validam esse declaravit *Conc. Flor.* (Dec. pro Arm.). *b*) Ratio est, quia minister est instrumentum tantum baptismi, quin ejus virtute sacramentum perficiatur : unde necesse non est ejus personam significare. *c*) A fortiori pronomen *ego* apud nos non est de substantia formæ, sed ponitur solum ad majorem intentionis expressionem.

2ª *pars* : — non solum conveniens, sed *essentiale est* formæ Baptismi *ut actus baptizandi exprimatur* per illud *baptizo* vel saltem per *aequivalentia* verba.— Id 1° convincitur tum ex declarationibus *RR. PP. Alexandri III* (Decr. Greg. l. III, tit. 42, c. 1) et *Eugenii IV* (Decr. pro Arm.), tum ex prop. 27ª proscripta ab *Alexandro VIII* (inter pp. prohib. dec. 1690) : « Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus : in nomine Patris etc., prætermissis illis : ego te baptizo.»— 2° Conf. ex *perpetuo usu* non solum Ecclesiæ catholicæ, verum etiam schismaticorum et hæreticorum orientalium, quorum omnium formulæ baptismales baptizandi actum significant.— 3° *Rationem* more suo perhibet *S. Thomas* (art. 5 ad 2) : « Quia, inquit, *ablutio* hominis in aqua propter multa fieri potest, oportet quod *determinetur* in verbis formæ ad quid fiat ; quod quidem non fit per hoc quod dicitur : *In nomine Patris* etc., quia omnia in tali nomine facere debemus, ut habetur Coloss. III. Et ideo si non exprimatur actus baptismi vel per modum nostrum vel per modum Græcorum, non perficitur sacramentum.»

3ª *pars : — essentiale est* formæ Baptismi ut *designetur persona baptizata* per illud *te* vel alio modo.— Ita 1° sensisse videntur omnes theologi cum *Catech. Trid.* (de Bapt. n. 13) ; unde *S. C. Fid. Prop.* interrogata a Vic. Apost. Coreæ an censendum esset validum baptisma, omisso pronomine *te* in forma, respondit (1841) : « Non valere baptisma, ideoque iterandum ».— 2° *Rationem* significaverat *Angelicus* (4 S. D. III, Q. I, a. 2, sol. 2) : « Expressio personæ baptizatæ est de substantia formæ, quia per eam determinatur actus ad

hunc baptismum ; et ideo si subtrahatur, non erit baptismus.» Nam Baptismus se habet per modum cujusdam generationis a principio progredientis ad terminum ; quem nisi forma designaret, esset baptismus prorsus indeterminatus.[1]

4ª *pars :* — ad *essentiam Baptismi* requiritur *expressa trium personarum Trinitatis invocatio* secundum illa verba « *in nomine Patris* » etc.; adeo ut non valeret baptismus collatus « in nomine SS. Trinitatis.»[2]— 1° Invocari solet textus (Matth. XXVIII, 19) : *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Sp. Sancti ;* quæ tamen verba *per se* spectata (ut exegesis biblica evincit)[3] non aliud importare videntur nisi quod per baptismum in Trinitatis cultum et professionem consecratione quadam transferimur. At quia professio SS. Trinitatis se habet quasi totius Christianismi compendium, facile intelligitur Trinitatis fidem in ritu baptismali esse exprimendam : quo sensu universa traditio et praxis ecclesiastica verba Domini interpretata est.— 2° Etenim *a*) præ cæteris audiatur sæc. II testis, *Tertullianus* (l. de Bapt. c. 13) : « Lex tingendi imposita est, et *forma* præscripta. *Ite*, inquit, *docete nationes, tingentes eas in nomine Patris et Filii et Sp. Sancti.*» Consentiunt *S. Justinus, Origenes, S. Cyprianus*, etc., etc.[4] *b*) Idem persuadetur ex *praxi liturgica* Ecclesiæ tum Occidentalis tum Orientalis, quam praxim luculenter demonstrant libri rituales Latinorum et euchologia Græcorum. *c*) Hinc *formulae evangelicae observatio vel corruptio* semper Ecclesiæ fuit veluti criterium quo dijudicaretur num baptismus hæreticorum ratus necne habendus foret : cf. Conc. Arelat. I, can. 8 ; Laodic. c. 8 ; Conc. Nicæn. I, c. 19 ; Conc. Cptan. I, c. 7 ; S. Greg. M. ep. 67 ad Quiricum ; S. Zachar. ep. 11 ad Bonif.— 3° Suppetit argumentatio *S. Thomae ; a*) quia enim Baptismus, quo homines sanctificantur, per formam quasi per principium consecratorium completur (ut habet *August.* de Bapt.), conveniens erat in forma baptismali exprimi causam propriam a qua vis consecrativa et sanctificativa derivatur. Atqui causa hæc est SS. Trinitas, cujus virtute minister agit et sacramentum perficit. Ergo congrue *tres personae* divinæ in forma baptismi designantur. *b*) Porro « etsi sint tria nomina personalia trium personarum,

[1] — Inde patet quod nemo possit *seipsum* baptizare (ut declaravit *Innoc. III*, Decr. Greg. l. III, t. 42, c. 4).

[2] — « In nomine Trinitatis non exprimuntur ipsæ personæ, sed solum *numerus* personarum ; et ideo non sufficit dicere « in nomine Trinitatis ;» nec esset baptismus, si diceretur » (4 S. D. III, Q. I, a. 2, qu. 2 ad 4).

[3] — Knabenbauer, *Comm.* in h. l.

[4] — Vid. de Augustinis, *de Bapt.* th. III.

est tamen nomen unum essentiale. Virtus autem divina, quæ operatur in baptismo, ad essentiam pertinet, et ideo dicitur *in nomine*, et non in nominibus » (a. 5 ad 6) : cf. *Catech. Trid.* de Bapt. n. 13.

Conclusio 2ª.— NON POTEST NUNC VALIDE DARI BAPTISMUS IN NOMINE CHRISTI, ETIAM SUPPOSITO QUOD OLIM ID AB APOSTOLIS FIERI PERMISSUM FUERIT.

1ª *Pars* certa est : — cui 1° favet *auctoritas*. Nam *Pelagius P.* ad Gaudentium scribens (Decr. Grat. III, de Consec. d. 4, c. 30) ait : « Si hi de hæreticis, qui in locis tuæ Dilectioni vicinis commorari dicuntur, solummodo se *in nomine Domini* baptizatos fuisse forsan confitentur, sine cujusquam dubitationis ambiguo eos ad catholicam fidem venientes in SS. Trinitatis nomine baptizabis.»— Ad rem *Greg. Naz.* (Orat. 33, n. 17) : «Confessionem tuam memoria tene. In cujus nomine baptizatus es ? Patris ? recte ; verum id adhuc judaïcum : Filii ? præclare ; hoc jam minime judaïcum, sed nondum tamen plenum et perfectum ; Sp. Sancti ? optime ; numeris omnibus absolutus est hic baptismus ».

2° Accedit *ratio S. Thomae*.— *a*) Cum sacramenta suam ab auctore Christo efficaciam sortiantur, prætermisso eo quod Christus in eis servandum instituit, sacramentum non perficitur (nisi ex speciali dispensatione ejus qui virtutem suam sacramentis non alligavit). Atqui *Christus instituit* ut baptismus daretur cum invocatione Trinitatis. Ergo quidquid desit ad plenam Trinitatis invocationem, tollit integritatem baptismi.— *b*) Nec obstat quod in nomine unius personæ, intellectu vel fide, altera tertiave *implicite* claudatur : nam sicut ad sacramentum requiritur materia sensibilis, ita et *sensibilis* forma. Atqui Trinitas, quæ de conceptu implicito ad explicitum intelligibiliter traducitur, non verbis sensibilibus exprimitur. Ergo necesse est tres personas signatim suis nominibus proferri, quemadmodum in baptismo Christi singulæ signo quodam sensibili sibi accommodato sunt designatæ.

2ª *Pars* quæstionem tangit, num reapse *aetate apostolica* Baptismus in nomine Christi fuerit collatus.— Id *S. Thomas* (a. 6 ad 1) concedere videtur non tam ex proprio sensu quam ex hypothesi fac i a quibusdam admissi nec a se discussi. Propterea (in illa hypothesi) juxta S. Doctorem dispensatio data fuisset « ut nomen Christi, quod erat odiosum Judæis et Gentilibus, honorabile redderetur ». Attamen *probabilius* censetur quod *talis dispensatio ac baptismi collatio nunquam revera contigerit.*

1° Etenim præcipuum fundamentum oppositæ sententiæ sumitur ex Act. Ap. (III 38 ; VIII, 16 ; X, 48 ; XIX, 5), ubi Baptismus conferendus vel collatus dicitur *in nomine Jesu.* — At, spectato græco textu attentoque prarallelismo biblico, jure merito dictio illa exponitur vel « in professionem nominis Jesu » seu christianæ religionis, vel « præmissa confessione nominis Christi,» vel « nomine et auctoritate Christi » i. e. ad distinguendum baptismum Christi a Joannis baptismo.[1]

2° *Patres* ipsi, nedum dispensationem Apostolis datam admittant, loca Scripturæ mox allata secundum sententiam nostram intelligi volunt. Speciminis gratiâ in medium proferatur *S. Augustinus* (cont. Maximin. Arian. l. II, c. 17, n. 1) : « Non nominatis Patre et Sp. Sancto, in nomine Jesu Christi jussi sunt baptizari ; et tamen intelliguntur non baptizati nisi in nomine Patris et Filii et Sp. Sancti.» Similiter sentiunt *S. Cyprianus*, *Origines*, *S. Basilius*, etc.[2]

3° In contrarium quidem affertur *S. Ambrosii* (de Sp. S. l. I, c. 3) et *Nicolai I* (resp. ad Bulg. c. 104) auctoritas ; quorum sententiis sic respondemus : — *a) primo*, S. Ambrosius alibi (de Myst. c. 4, n. 20), imo loco objecto (n. 42), certo exigit ad valorem baptismi invocationem trium personarum Trinitatis. Ne igitur sibi contradicere videatur, ubi ait « in Christi nomine plenum esse baptismi sacramentum,» loqui censendus est non de forma baptismi, sed de *professione fidei* a catechumenis emittenda. *b) Secundo*, quoad Nicolaum P., ipse etiam in documento quod objicitur explicite docet ad validitatem baptismi necessariam esse formam « verbis evangelicis » conceptam seu « in nomine summæ ac individuæ Trinitatis » prolatam. Quonam ergo sensu dicit eos, qui « in nomine S. Trinitatis *vel tantum* in Christi nomine » baptizati sunt, non esse denuo baptizandos ? eo verisimiliter intellectu quod, si quis christiano ritu et præmissa professione fidei in Trinitatem vel Christum, baptismum a quopiam acceperit, præsumendus est non superstitiose et sine debita intentione, sed valide baptizatus.[3]

Solv. obj. (cont. 1um concl.).— Obj. 1.— Qui baptizatur sæpe non valet verba intelligere, puta infans vel surdus. Atqui ad non intelligentem frustra sermo dirigitur. Ergo inconvenienter dicitur : ego *te* baptizo.

[1] — Cf. Sasse, *de Bapt.* th. III.

[2] — Id., *l. cit.*

[3] — Vid. plura ap. Drouyn, de Augustinis, etc.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... sermo intentus solum ad *significandum*, *C* ; intentus etiam ad *efficiendum* vi et efficacia a Verbo Dei derivata, qualis est sermo formæ sacramentalis, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Causa baptismi in forma memoranda est. Atqui baptismus virtutem habet a passione Christi. Ergo etc.

Resp. *D. M* :... causa principalis, *C* ; instrumentalis, *S. d* : de congruitate, *C* ; de necessitate, *N.*— *C. d. m* :... tanquam a causa instrumentali mota a SS. Trinitate, et in nomine Filii subintellecta, *C* ; tanquam a causa principali, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Tres personæ divinæ pluribus nominibus significari possunt, puta nominibus *Genitoris*, *Geniti* et *Procedentis* ab utroque. Ergo etc.

Resp. *D. antec* :... et hæ voces ita consueverunt adhiberi sicut Pater, Filius et Sp. Sanctus, *N* ; penes theologos præsertim in usu sunt, *C.*— *Neg. conseq.*

« Sicut aqua sumitur ad baptismum, quia ejus usus est communior ad abluendum, ita ad significandum tres personas in forma baptismi assumuntur illa *nomina quibus communius consueverunt nominari personae* in illa lingua ; *nec in aliis nominibus* perficitur sacramentum » (a. 5 resp. ad 7). — Igitur (probabilius saltem) non valeret baptisma collatum in nomine *Genitoris*, *Geniti* et *Procedentis* ab utroque.

ARTICULUS IV.

Utrum Baptismus sit conferendus immersione, infusione vel aspersione.

(Art. 7-8).

Progredimur ad *qualitates* Baptismi considerandas, quarum una, scil. *ablutionis modus*, se tenet ex parte materiæ, altera vero, ex qua habet baptismus ut *non iteretur*, se tenet ex parte totius sacramenti : — de prima modo, quod est, de materiæ *proximae* conditione agendum est.

1° Post Conc. Florentinum, infusionis ritum immersioni apud Latinos paulatim substitutum damnarunt multi e *Graecis schismaticis* docentes trinam in aqua immersionem esse de necessitate baptismi : quo in sensu (saltem alicubi) adhuc perseverant[1].— Pariter immersionis necessitatem in confe-

[1] — In argumentum est responsum (*Litt. encycl. Patriarch. et synod.* 1895) Anthimii VII patriarchæ schismatici Cptani ad Leonem XIII ; ubi baptismum per infusionem et aspersionem datum Latinis exprobrat.

rendo baptismo prædicant *Baptistae*, qui sæc. XVII ab Anabaptistis ortum duxerunt nomenque a ritu, quo baptizabant, mutuati sunt.

2° In hac re, duce *Angelico*, duo seorsim determinanda offeruntur : 1um, an *immersio* præ infusione vel aspersione requiratur ad baptismum ; 2um, an *trina*, sive immersio, sive infusio, sive aspersio, necessaria sit.— Ecclesiæ catholicæ doctrina continetur his verbis *Rit. Romani* Pauli V jussu editi : « Baptismus licet fieri possit aut per infusionem aquæ[1], aut per immersionem, aut per aspersionem ; primus tamen vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur ; ita ut *trina* ablutione caput baptizandi perfundatur vel immergatur in modum Crucis uno et eodem tempore, quo verba proferantur, et idem sit aquam adhibens et verba pronuntians.»

Conclusio 1ª.— NIHIL INTEREST AD BAPTISMI VALIDITATEM QUOD IMMERSIONE, IMFUSIONE, VEL ASPERSIONE, CONFERATUR, QUAMVIS UNUS VEL ALTER MODUS PRO DIVERSIS TEMPORIBUS AC LOCIS OBTINUERIT.

1ª *Pars* persuadetur : — 1° ex *duobis factis* in Scriptura enarratis. Legitur enim (Act. II, 41) die Pentecostes tria hominum millia, audito B. Petri sermone, baptismum suscepisse ; item S. Paulum (*ibid.* XVI, 33), clam nocte de carcere egressum, continuo baptizasse custodem carceris cum omni domo sua. Quis autem, spectatis circumstantiis, verisimile existimabit quod in utroque casu baptismus fuerit per immersionem collatus ?

2° Ex *praxi manifesta*.— *a*) Constat enim ab utraque Ecclesia tum Orientis tum Occidentis probatum fuisse baptisma datum *clinicis*, i. e. infirmis in lecto decumbentibus ; qui certe immergi non poterant.— *b*) Præterea « in baptismo *B. Laurentii* legitur quod Romanus ab eo baptizandus urceum aquæ attulit, in quo constat quod immergi non poterat. Ergo immersio non est de necessitate baptismi » (4 S. D. III, Q. I, a. 4).— *c*) Hinc *S. Thomas* (*ibid.*) testatur jam suo tempore morem immersioni contrarium quibusdam in locis viguisse : « Contra est, inquit, *consuetudo in aliquibus Ecclesiis*, in quibus quandoque per aspersionem et non per immersionem baptismus celebratur.»— *d*) Notarunt quoque eruditi (Rossi, Duchesne)[2] formam antiquorum fontium

[1] — Baptismus datus, non per modum ablutionis, sed per modum *unctionis* in fronte cum pollice in aqua baptismali madefacto, dubius censeri debet (Decr. S. Off. 14 dec. 1898).

[2] — In period. *Etudes* des RR. Pères Jésuites, t. 77, p. 379

baptismalium in Italia, utpote satis depressam, non hujusmodi fuisse qua totum corpus immergi permitteretur : unde necesse erat caput baptizandorum aqua perfundi.

3° Ex *constanti doctrina*.— *a*) Omisso præclaro testimonio vetustissimi libri cui titulus « Doctrina Apostolorum », c. VII, n. 3, 4, [1] occurrit inter Patres suffragium *S. Cypriani* qui, de baptismo *clinicorum* interrogatus, respondit (Ep. 76, n. 12) : « Nec quemquam movere debet, quod aspergi vel perfundi videntur ægri, cum gratiam dominicam consequuntur, quando Scriptura sancta per Ezech. prophetam loquatur et dicat : *Et aspergam super vos aquam mundam*... Unde apparet, aspersionem quoque aquæ instar salutaris lavacri obtinere ».— *b*) E scholasticis prior D. Thoma audiatur *B. Alb. Ma nus* (in 4 S. D. III, art. 5) : « Perfundens aqua totum corpus, vel quando potior pars i. e. caput immergitur et tingitur aquis, baptizatur ; sed non videtur mihi esse laudabilis consuetudo, sed immergendi consuetudo laudabilior est ».— *c*) Etiam inter *Graecos schismaticos* non defuere theologorum sententiæ et Synodorum decreta de non iterando baptismate eorum qui, penes Latinos baptizati, ad Græcam Ecclesiam accederent. Hanc praxim tenet Ecclesia Russiæ[2].

4° *Ex ratione*.— Enimvero aqua assumitur in sacramento baptismi ad usum ablutionis corporalis, per quam interior peccatorum ablutio significatur. Atqui ablutio corporalis fieri potest non solum per modum immersionis, sed etiam (ut patet) per modum aspersionis vel effusionis. Ergo.

2ª *Pars* breviter decl.— 1° *a*) Duodecim primis Ecclesiæ sæculis immergendi usum in baptismo prævaluisse, nemo est qui neget : Græcorum enim et Latinorum monumenta hanc fidem faciunt. Quin et *S. Thomas* (art. 7) de illo usu testis est quod suo adhuc tempore « communior » fuerit. *b*) Tamen a sæc. XIV ritum immersionis sensim desiisse ut aspersioni[3] maximeque effusioni locum cederet, ex variis ritualibus colligitur ; adeo ut (exceptis paucis Ecclesiis) omnino in Occidente evanesceret.— 2° *Rationes* mutationis fuisse videntur, quia secus baptismi collatio sæpe impossibilis vel saltem admodum difficilis evaderet sive propter paucitatem aquæ, sive propter frigus, præsertim in septentrionalibus regionibus, sive propter debilitatem baptizandorum quibus

[1] — Ibid., p. 378.

[2] — Ibid., p. 380.

[3] — Refert historia (Rohrbacher, *Hist. univ. de l'Egl. cath.*, t. 22, 3e éd., p. 41) Card. Ximenès, post vehementem orationem, una die baptizasse per aspersionem (qua sane singuli in capite attingerentur) tria vel quatuor millia Mahumetanorum.

potest ex immersione mortis periculum imminere. Nec omittatur quod decentiæ consulendum erat in mulieribus baptizandis, maxime postquam desiit in Ecclesia diaconissarum ministerium.— 3° Vigentem disciplinam sic enunciat *Codex Juris Can.* (can. 758) : « Licet baptismus conferri valide possit aut per infusionem, aut per immersionem, aut per aspersionem, primus tamen vel secundus modus, aut mixtus ex utroque, qui magis sit in usu, retineatur, secundum probatos diversarum Ecclesiarum rituales libros.»

Conclusio 2ª.— TRINA IMMERSIO VEL INFUSIO VEL ASPERSIO NEC EST NEC UNQUAM FUIT DE NECESSITATE SACRAMENTI, SED PRÆCEPTI TANTUM.

1ª *Pars* ostend.— 1° *a*) Quæ accidentaliter se habent non sunt de necessitate sacramenti. Atqui ad baptismum per se requiritur ablutio aquæ ; modus autem ablutionis, sive semel sive ter fiat, *per accidens* se habet ad sacramentum. Ergo. *b*) Eo magis, quia in utrovis casu salvatur debita *significatio :* unica enim ablutione significatur unitas mortis Christi et unitas Deitatis ; per trinam autem ablutionem exprimitur triduum sepulturæ Christi necnon personarum Trinitas.— 2° Hinc pro varia fidei manifestandæ exigentia, diversa extitit Ecclesiæ disciplina. *a*) Initio quidem nascentis Ecclesiæ, cum quidam de Trinitate male opinarentur, ad inculcandum tam fundamentale dogma præceptum est ut immersione trina baptisma daretur. *b*) Postmodum vero in detestationem erroris rebaptizantium nonnulli Hispaniarum episcopi unicam immersionem decreverunt : quod permissum est a *S. Greg. M.* (Ep. l. I, ep. 43 ad Leandrum episc.) et dein approbatum a *Conc. Toletano IV.* *c*) At, cessante tali causa, jam nunc a pluribus sæculis communiter observatur trina ablutio.— 3° Nec absoluta necessitas trinæ immersionis erui potest ex *Pelagio P.* scribente ad Gaudentium (Dec. Grat. III, de Consec. d. 4, c. 82) : « Evangelicum præceptum, ipso Deo et Domino Salvatore N. J. C. tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis trina etiam mersione s. baptisma unicuique tribuere ». Nam, ad mentem Pelagii, præceptum divinum cadit non jam in trinam immersionem secundum se spectatam, sed in id quod figurat, scil. in formam baptismalem *Trinitatis* nomine proferendam (a. 8 ad 2).

2ª *Pars* concl. uno verbo suadetur ex generali necessitate observandi ritus ab Ecclesia præceptos vel constitutos. Unde *S. Thomas* de trina immersione tunc obtinente (art. 8) : « Graviter, inquit, peccaret aliter baptizans, quasi ritum Ecclesiæ non observans ».

Solv. obj. (cont. 1ª m concl.).— Obj. 1.— Debet esse *una fides* et *unum baptisma* (Eph. IV, 5). Atqui communis olim baptizandi modus erat per immersionem. Ergo.

Resp. *D. M* :... unum baptisma unitate ritus *substantialis*, *C* ; unitate ritus *accidentalis*, *N*.— *C. d. m* :... et immersio pertinet ad ritum substantialem, *N* ; accidit baptismo, *C*.— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Per baptismum consepelimur cum Christo. Atqui analogia hæc non verificatur nisi per immersionem, qua totum corpus veluti sepelitur. Ergo.

Resp. *C. M*.— *D. m* :... secundum *expressiorem* sepulturæ Christi repræsentationem, *C* ; quasi per alios ablutionis modos *aliqualis* saltem repræsentatio non habeatur, *N*.— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Baptismus maxime dirigitur contra peccatum originale. Atqui originale peccatum non unam tantum corporis partem infecit. Ergo.

Resp. *D. M* :... contra transmissionem illius peccati per actum generationis, *N* ; contra peccati maculam et reatum, *C*.— *D. m* :... et ideo totus homo saltem virtualiter, scil. in capite, abluendus est, *C* ; necesse est ut omnia membra immergantur, *N*.— *Neg. conseq.*

Quia *caput*, in quo vigent omnes sensus interiores et exteriores, principatum tenet in homine, eo aquâ perfuso, *totus* jam homo ablui reputatur.— Idcirco, licet probabilius baptismus fieri possit in aliqua altera parte notabili corporis, v. g. in pectore, caput tamen *prae alia qualibet parte* « oportet perfundere » (a. 7 ad 3).— Nec præferendum est membrum generationi deserviens : per illud enim transmittitur quidem peccatum originale, sed peccati *macula* inhæret animæ cujus opera in capite manifestantur.

ARTICULUS V.

Utrum Baptismus possit iterari.

Refert S. Epiphanius (Hær. 42, n. 3) quod *Marcionitae* ter baptizare solerent, semel in infantia, bis vero in adulta ætate ad imitationem Christi aqua per Joannem et sanguine suo in passione baptizati.— Rebaptizantes vero, ut *Donatistae* et *Anabaptistae* (saltem plerique), ideo morem illum rebaptizandi sectabantur, quia primum baptisma invalidum existimabant ; unde *materialiter* tantum in errorem rebaptizationis inciderunt.

Conclusio.— BAPTISMUS ITERARI NON POTEST ; QUANQUAM HI, DE QUIBUS DUBIUM EST NUM BAPTIZATI FUERINT, SUB CONDITIONE BAPTIZANDI SUNT.

1ª *Pars* est *fidei* doctrina definita in *Conc. Trid.* (Sess VII, c. 11) : « Si quis dixerit verum et rite collatum Baptismum iterandum esse illi qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad pœnitentiam convertitur ; A. S.» Cf. id. *de Sacr. in gen.* can. 9.

1° Huc spectat illud Ap. (Heb. VI, 4-6) : *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati* (scil. per baptismum)... *et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam.* De quibus *D. Thomas* (*Comm.* in h. 1) : « Est intelligendum, sicut dicit Aug., quod non dicit (S. Paulus) quod impossibile est pœnitere, sed quod impossibile est *rursus renovari*, i. e. baptizari (Tit. III) *per lavacrum regenerationis et renovationis*, etc. Nunquam enim posset homo sic pœnitere quod posset iterum baptizari. Et hoc dicit Ap., quia secundum legem Iudæi multoties baptizantur, sicut patet (Marc. VII). Et ideo ad istum errorem removendum dicit hoc Apostolus ».

2° Baptismum iterari non posse, constans fuit inde ab ætate apostolica *Ecclesiae traditio :* cujus rei fidem faciunt *S. Iraeneus* (Adv. Hær. l. I, c. 21, n. 2.), *Tertullianus* (de Pudic. c. 16), *Epiphanius* (Hær. 42, n. 3), *Optatus Milev.* (De sch. Donat, l. I, c. 10 ; l. VII, c. 4) aliique, atque ipsi rebaptizantes sæc. III hoc non negabant, ut videre est penes *S. Cyprian.* (Ep. 73 ad Iubaian. n. 1). Verba referam *S. Leonis M.* (Ep. 166) : « Scimus inexpiabile esse facinus, quoties juxta hæreticorum damnata a SS. Patribus instituta, cogitur aliquis lavacrum, quod regenerandis semel tributum est, bis subire, apostolica reclamante doctrina quæ nobis unam prædicat in Trinitate Deitatem, unam in fide confessionem, unum in baptismate sacramentum[1].»

3° Quatuor *rationes* ab Auctore proponuntur : — 1ª quidem ex *ipsa indole Baptismi.* Baptismus est quædam spiritualis regeneratio, prout scil. aliquis moritur veteri vitæ et novam agere incipit, juxta illud (Joan. III, 5) : *Nisi quis renatus fuerit*, etc. Atqui unius non est nisi una generatio. Ergo baptismus iterari nequit. Apposite *Aug.* commentans illud Nicodemi (Joan. III, 4) : *Numquid potest* (homo) *in ventrem matris suae iterato introire et renasci?* « Sic tu intellige nativitatem spiritus, quomodo intellexit Nicodemus nativitatem carnis... Quomodo uterus non potest repeti, sic nec baptismus ».— 2ª ex *significatione Baptismi.* Baptismus nos configurat morti Christi, qua et secundum quam morimur

[1] — Fatendum est verba Scripturæ (Eph. IV, 5) *unum baptisma*, intelligi posse de unitate *specifica* tantum ; sed attendatur ad mentem S. Leonis.

peccato ut in novitatem vitæ resurgamus. Atqui Christus semel tantum mortuus est : ergo. Qua de causa, qui rebaptizantur Christum iterum crucifigere videntur, juxta illud Ap. (Heb. VI, 6) : *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei.* — 3ª ex *impressione characteris.* Baptismus enim (ut ex alibi disputatis sufficienter constat) imprimit characterem qui est indelebilis et cum quadam consecratione seu deputatione datur. Atqui res semel consecratæ in Ecclesia, quamdiu manent, iterum consecrari non possunt. Ergo nec baptismus iterari potest ; sed, si iteraretur, injuria fieret sacramento, quasi prima sanctificatio non sufficeret.— 4ª ex *deletione peccati originalis.* Nam Baptismus principaliter datur contra morbum originalis culpæ. Atqui morbus ille, per generationem transmissus, non iteratur in uno homine. Ergo nec medicina seu baptismus iterari debet.

2ª *Pars* nititur præscriptione Ecclesiæ, prout colligitur ex verbis *Ritualis Romani :* « Omnes, de quibus, re diligenter investigata, *probabilis dubitatio* est, an baptizati fuerint, si nihil aliud impediat, sub conditione baptizantur[1].»— Quod sane *rationabile* est : *a*) tum quia subveniendum est proximo in re tam necessaria ; *b*) tum quia tunc deest irreverentia sacramenti, quatenus « non potest in iterationis crimen venire, quod omnino factum esse nescitur » (*Leo P.*, Decr. III, d. IV, c. 112).

Solv. obj.— Obj. 1.— Baptismus videtur institutus ad ablutionem peccatorum. Aqui peccata iterantur. Ergo.

Resp. *D. M :* . . . peccatorum quorumcumque indifferenter, *N ;* maxime peccati originalis, *C.*— *D. m :* . . . peccatum *originale, N ;* peccata *actualia, S. d ;* et hæc quidem surperveniente pœnitentia tolluntur, *C ;* neque tunc baptismi vis, remoto obstaculo, quodammodo reviviscit, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Joan. Baptista excellens sanctitate fuit. Atqui baptizati a Joanne iterum baptizabantur (Act. XIX). Ergo multo magis baptizati ab hæreticis etc.

Resp. *D. M :* . . . et ideo baptismus ejus maxime valebat *ex parte baptizantis, C ;* habebat *vim intrinsecam* quæ baptismo Christi inest, *N.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Eucharistia perfectior est baptismo. Atqui sacramentum Eucharistiæ iteratur. Ergo.

Resp. *D. M :* . . . et exhibetur homini per modum *generationis, N ;* per modum paschalis *convivii, C.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

[1] — De baptizandis neo-conversis ab hæresi cf. (inter alios) Zitelli, *App. jur. eccl.*, l. II, c. 2, art. 1 ; — Konings, *Theol. mor., de Bapt.* c. IV ; ubi plura reperientur ad casuisticam spectantia.

ARTICULUS VI.

De tribus baptismis, scil. aquae, flaminis et sanguinis.

(Art. 11-12)

1° Distinctio *trium baptismatum* assignata reperitur non solum penes veteres scholasticos, ut Alex. Halensis, B. Alb. Magn. etc., sed etiam apud Patres, ut Ambros., August., etc. Neque deest illarum appellationum fundamentum in Scripturis ; quippe legitur (Act. I, 5) : *Baptizabimini Sp. Sancto* (seu flammis caritatis), et Luc. (XII, 50) : *Baptismo habeo baptizari* (scil. tribulationibus proximæ passionis) ; quæ duo optime accommodantur baptismo flaminis et sanguinis.

2° Superius accepimus quid sit baptismus *aquae* (quem etiam vocant *fluminis*). Baptismus vero *flaminis* (seu *poenitentiae* vel *desiderii*) describi potest « actus charitatis vel contritionis cum voto saltem implicito baptismi aquæ », diciturque flaminis ab afflatu Sp. Sancti cor moventis. Baptismus autem *sanguinis* est « martyrium seu mortis perpessio pro Christi fide vel lege, nondum recepto baptismo aquæ, tolerata ».— Porro hæc baptismata (flaminis et sanguinis) talia nominantur non univoce, sed *analogice* tantum : nam « sacramentum habet rationem signi ; alia vero duo conveniunt cum baptismo aquæ non quidem quantum ad rationem signi, sed quantum ad effectum baptismatis ; et ideo non sunt sacramenta » (a. 11 ad 2). Hinc, proportionis habitudo ad eumdem effectum principalem, scil. remissionem peccati maxime originalis, ratio fuit illa appellandi baptismata, licet a baptismo aquæ differant, tum quoad speciales effectus, tum quoad operandi modum (ut infra apparebit).

3° Teste *Tertull.* (l. de Præsc. c. 46), *Basilides* martyrium ideoque baptismum hujus nominis aversatus est.— *Kemnitius* (ait *Bellarm.*, de sacr. Bapt., c. 6) admittit tria baptismata, sed dissentit a catholicis in modo explicandi : non enim vult martyrium aut pœnitentiam remittere peccata, sed solam fidem quæ tempore martyrii et pœnitentiæ apprehendit Christum justificantem ; quod sane cohæret cum principiis protestantium de justificatione.— Sententiam catholicam tuebimur, inquirendo in *existentiam*, *efficaciam*, mutuamque diversorum baptismatum *habitudinem*.

Conclusio 1ª.— CONVENIENTER ASSIGNANTUR TRIA BAPTISMATA, SCIL. AQUÆ, FLAMINIS ET SANGUINIS.— Hæc veritas saltem insinuatur iis verbis *Trid.* (Sess. VI, *de justif.* cap. 4) :

« Translatio (de statu veteris Adam in statum gratiæ) post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis aut *ejus voto*, fieri non potest ». Tum enim baptismus flaminis, tum baptismus sanguinis (in adultis) votum saltem implicitum baptismi aquæ includunt.

Et sane ea convenienter nomine communi baptismatis appellantur, quorum duo supplent vicem alterius quantum ad effectum baptismi principalem seu justificationem. Atqui baptismata flaminis et sanguinis hoc pacto in locum baptismi aquæ sufficiuntur : ergo.— Ostend. *minor :*

1° Ex *Scriptura ;* — et quidem quantum ad baptismum *flaminis*. Legitur enim (Is. IV, 4) : *Si abluerit Dominus sordes filiorum Sion et sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus in spiritu judicii et spiritu ardoris.* Quo textu prophetico adumbratur animarum purificatio seu sanctificatio per Spiritum Dei agentem in cordibus ultione pœnitentiæ et ardore caritatis[1]. Item (Joan. XIV, 21-23) dilectioni seu caritati hominis erga Deum promittitur Dei erga hominem dilectio et inhabitatio quæ importat gratiam justificantem, cum peccato incompossibilem : alia plura, ad tract. *de Poenit.* spectantia, prætermittimus.— Quantum ad baptismum *sanguinis*, merito invocatur Christi promissio (Matth. X, 32, 39) : *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo... Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Martyres enim, sive adulti, sive infantes, *opere* Deum confitentur, et pro eo vitam abdicant vel amittunt.

2° Ex *traditione.*— *a*) Omisso præclaro testimonio *S. Ambrosii* (Consol. *de obitu Valentiniani*, n. 51), refero aliud *S. Augustini* (de Bapt. l. IV, c. 29) : « Invenio non tantum *passionem pro nomine Christi* id, quod ex baptismo deerat, posse supplere, sed etiam *fidem conversionemque cordis*, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest ». Ubi ambo baptismata, flaminis et sanguinis, clare designantur velut supplentia vicem baptismi sacramentalis.— *b*) *Specialiter* de baptismo sanguinis testatur (inter plures[2]) *S. J. Chrys.* (Hom. in S. Lucian. n. 2) : « Non miremini, quod baptismum martyrium nuncuparim ; nam et hic Spiritus cum multa advolat ubertate, ac peccatorum abolitio et animæ fit purgatio quædam mirabilis ac stupenda, et quemadmodum ii qui baptizantur aquis, ita qui martyrium patiuntur, proprio sanguine abluuntur ». Hoc privilegium competere *ipsis infantibus* docent quoque Patres, e quibus

[1] — Vid. Knabenbauer, *Comm.* in h. l.

[2] — Vid. Sasse, th. VII.

S. Leo M. (Serm. 1 de Epiph. c. 3) : « Necari omnes in Bethlehem parvulos jubet... Sed quos rex impius eximit mundo, Christus inserit cœlo, et quibus nondum sanguinis sui impendit redemptionem, jam *martyrii* tribuit dignitatem ».

3° Ex *sensu* et *praxi Ecclesiae.*— *a*) *Innoc. III* (Decr. l. III, tit. 42, c. 4) de Judæo, qui morti proximus seipsum baptizaverat, statuit nullum fuisse baptismum, addens tamen quod « si talis continuo decessisset, ad cœlestem patriam protinus evolasset propter *sacramenti fidem*, etsi non propter fidei sacramentum »[1]. *b*) Perpetua fuit Ecclesiæ praxis colendi ut sanctos sive infantes sive adultos qui, ante susceptum baptisma, martyrium pro Christo passi sunt, nec pro eis preces vel sacrificia offert, prohibente *S. Augustino* (Serm. 17 de Verb. Ap.) : « Injuria est pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari ».

4° Ex *rationali processu D. Thomae.*— Baptismus aquæ efficaciam habet secundario quidem a passione Christi, cui baptizatus configuratur, primario vero a Sp. Sancto. Atqui licet effectus dependeat a sua causa, causa tamen ipsa, scil. cum passio Christi, tum maxime Sp. Sanctus, superexcedit effectum, nec ab eo dependet. Ergo præter baptismum aquæ *potest* aliquis consequi sacramenti effectum.— Porro id rationabiliter contingit in duplici casu : *d*) *primo* quidem, quando urgente necessitate alicujus cor a Sp. Sancto movetur ad credendum et diligendum Deum et pœnitendum de peccatis : « tunc enim, quamvis sit pœnitentia sine baptismo in actu, est tamen cum desiderio et proposito baptismi ; et voluntas pro facto reputatur ei qui non habet tempus operandi » (4 S. D. IV, Q. III, a. 3, sol. 2). *b*) *Secundo* vero, quando quis pro Christo martyrium patitur : nam baptismus aquæ vim regenerandi habet, quatenus passionem Christi sacramentaliter repræsentat. « Baptismus autem sanguinis passioni Christi conformat *realiter* » (*ibid.* sol. 3) ; unde expressior similitudo habetur. Igitur multo magis etc.

Corollaria accipiantur : — 1° Nec *flaminis*, nec *sanguinis* baptismus *characterem* imprimit, utpote qui proprius est sacramenti effectus.— 2° Baptismus *flaminis* remittendo peccatum confert quidem remissionem *poenae aeternae*, non tamen *omnis poenae temporalis*, saltem *per se*, quamvis contritio tanta esse possit ut omnis pœnæ debitum solvat.— 3° At baptismus *sanguinis* ex conformitate cum passione Christi majorem vim sortitur : « sicut enim in baptismo aquæ

[1] — Dammata est a RR. PP. sequens Baii prop. 31a : « *Charitas perfecta* et sincera, quæ est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis quam in pœnitentibus potest esse *sine remissione peccatorum* ».

liberatur homo ab *omni culpa praecedente et poena*, ita in baptismo sanguinis » (*S. Th.*, l. cit).

Conclusio 2ª.— DUM BAPTISMUS FLAMINIS JUSTIFICAT EX OPERE OPERANTIS, BAPTISMUS SANGUINIS JUSTIFICARE DICENDUS EST QUASI EX OPERE OPERATO.

1ª *Pars* demonstratione non eget : satis enim per se liquet ex iis quæ disputavimus in tract. *de Reparatione* (Disp. V, Q. I, a. 2-4), ubi comperti sumus actus fidei, charitatis et pœnitentiæ efficaciter concurrere ad justificationem[1].— His autem actibus jam continetur votum *implicitum* suscipiendi baptismum aquæ, quatenus habetur propositum implendi omnia quæ statuta sunt a Deo.— Demum manifestum est baptismum *flaminis* non convenire nisi *adultis*.

2ª *Pars* ut innotescat, plura *praemittenda* sunt.— *Primo* quod ad *essentiam* martyrii attinet, recte in eo secernitur duplex elementum, materiale scil. et formale. *a*) Elementum *materiale* consistit in perpessione mortis, quam *Cajet.* (in II-IIæ, Q. CXXIV, a. 4) contra plures vult esse *actualem*, ut verum martyrium, scil. summum testimonium, habeatur[2]. Nec (probabilius) prohibetur ratio martyrii per resistentiam qua quis ex virtute vel officio, æquo tamen animo, morti imminenti reluctatur, ut docet *Billuart* et ipse *S. Thomas* insinuare videtur (*l. cit.* a. 5 ad 3.) *b*) Elementum autem *formale* est testimonium *fidei* vel *legi* Christi morte exhibitum, juxta illud *Aug.* (serm. 2 in Ps. 34, n. 13) : « Martyres non facit pœna, sed causa[3]».— *Secundo* de modo quo martyrium seu baptismus sanguinis effectum suum operatur, duplex est theologorum sententia : *a*) Quidam enim, præsertim e veteribus, hunc effectum adscribunt *operi operantis*, scil. actui caritatis ad martyrium inducentis. *b*) Alii vero plures, duce *Angelico*, tenent tum infantes tum adultos rite dispositos in martyrio justificari *quasi* ex *opere operato*, quatenus nempe, etsi martyrium non sit instrumentum gratiæ, ipsi tamen operi externo, quod est mors pro Christo, annexa est infallibiliter a Deo gratia justificans.— *Tertio* igitur, juxta hanc sententiam, præter *consensum* saltem *habitualem* in martyrium, prærequiritur et sufficit in adultis (infantes enim capaces non sunt ullius dispositionis actualis) *attritio* removens obicem seu dolor de peccatis, qualis sufficit ad baptismum aquæ ; unde *S. Thomas* (4 S. D. IV, Q. III, a. 3, sol. 4): « Etiam in adultis

[1] — Cf. quoque dicenda in tract. *de Poenitentia*.
[2] — Consentit Billuart (in h. loc.).
[3] — De ratione martyrii vid. ampliora in II-IIæ, Q. CXXIV et *Comm.* Cajet. (in h. l.).

potest in ipso actu passionis gratia dari sicut et in baptismo aquæ, si se ad eam disposuerint et *obicem* aliquem non ponant Spiritui Sancto ».

His præfatis, *prob. thesis :* — 1° Ex *salute parvulorum* occisorum pro Christo. Compertum est ex superius dictis infantes pro Christo occisos consequi gloriam, et quidem (quia rationis usu carent) per modum *operis operati*, juxta illud *S. Thomæ* (II-IIæ, Q. CXXIV, a. 1 ad 1) : « Sicut in pueris baptizatis per gratiam baptismalem meritum Christi operatur ad gloriam obtinendam, ita et in occisis propter Christum *meritum martyrii* Christi operatur ad palmam martyrii consequendam ». Atqui in adultis, semel ac supponantur rite dispositi per attritionem, non minor æstimari debet martyrii efficacia quam in infantibus ; imo pro libera mortis acceptatione qua Christum imitantur, major haud falso censebitur. Ergo.

2° Ex *distinctione trium baptismatum.*— Juxta SS. Patres et de consensu omnium theologorum, baptismo sacramentali connumerari debent duo alia baptismata secundum quod unicuique proprium aliquid et distinctivum conveniat. Atqui, nisi baptismus sanguinis justificaret adultos velut ex opere operato, æquipararetur baptismo flaminis : siquidem in utroque justificatio dependeret ex opere operantis, quod est charitatis fervor. Ergo.

3° Ex *ratione D. Thomae* in *effectu* fundata.— Postquam enim dixerat baptismum sanguinis liberare ab omni culpa et pœna, subdit S. Doctor (4 S. D. IV, Q. III, a. 3, qu. 3 ad 1): « Non habet hoc tantum ex opere operante, neque quantum ad *poenam* qua aliquis martyrium explet, quam contingit non esse sufficientem ad satisfaciendum pro peccato ; neque quantum ad *devotionem* justæ voluntatis, quia contingit quod voluntate majori charitate informata aliquis sine martyrio non potest ab omni pœna liberari, sed hoc habet ex imitatione passionis Christi ; unde de martyribus dicitur (Apoc. VII, 14) : *Laverunt stolas suas... in sanguine Agni* ».— Quare *S. Doctor* alibi (III, Q. LXXXVII, a. 1, obj. et resp. 2) diserte docet eum « qui dormiens occideretur propter Christum » statim in cœlum evolaturum, dummodo affectum ad peccatum attritione quadam non revocata prius deposuisset.

Conclusio 3ª.— BAPTISMUS SANGUINIS POTISSIMUS EST INTER ALIA BAPTISMATA.— Id intelligas velim non secundum rationem sacramenti (eo enim sub respectu præstat baptismus aquæ a quo character imprimitur), sed quantum ad *principalem sacramenti effectum.*

1° Huc spectant verba *S. Cypriani* (Ep. 73 ad Jubaian. n. 21) : « Numquid potest vis baptismi esse major aut potior quam confessio, quam passio?» Et addit catechumenos pro fide occisos « non privari baptismi sacramento, utpote qui baptizentur gloriosissimo et maximo sanguinis baptismo.»— In idem quadrant pleraque martyrii præconia ab aliis Patribus celebrata.

2° *S. Thomas* rem declarat tum ex parte agentis, tum ex parte effectus.— *a*) Primo *ex parte agentis* excellentissime in martyrio operantis (hic, a. 12) : « Nam *passio Christi* operatur quidem in baptismo aquæ per quamdam figuralem *repraesentationem ;* in baptismo autem flaminis vel pœnitentiæ per quamdam *affectionem ;* sed in baptismo sanguinis per imitationem *operis*. Similiter etiam *virtus Sp. Sancti* operatur in baptismo aquæ per quamdam virtutem latentem ; in baptismo autem pœnitentiæ per cordis commotionem ; sed in baptismo sanguinis per potissimum dilectionis et affectionis fervorem, secundum illud (Joan. XV, 13) : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* ».— *b*) Secundo *ex parte effectus* (4 S. D. IV, Q. III, a. 3, sol. 4): « Excedit baptismus sanguinis (baptismum aquæ), quia et *gratia* in baptismo sanguinis magis augetur habenti et amplior datur non habenti, si impedimentum non adsit ; et *remissio peccatorum* quamvis non sit plenior, quia uterque omnem pœnam et culpam tollit, tamen est in baptismo sanguinis efficacior et fructuosior, quia secundis maculis non inquinatur ».

Solv. obj.— Obj. 1 (cont. 1am concl.).— Juxta Ap. (Eph. IV, 5) est *unum baptisma* tantum. Ergo.

Resp. *D. antec :...* quatenus spectetur *causa* instituens, *effectus* præcipuus, necnon medium *ordinarium* producendi hunc effectum, *C ;* quasi excludantur media *extraordinaria* vim suam ex eodem fonte secundum proportionem quamdam derivantia, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2 (cont. 2im concl.).— Docet *D. Thomas* (a. 12 ad 2) : « Effusio sanguinis non habet rationem baptismi, *si sit sine charitate* »; quæ consonant verbis SS. LL. (1 Cor. XIII, 3) : *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Ergo ex opere operantis tantum etc.

Resp. *D. antec :...* et hæc verba accipienda sunt de charitate necessario *antecedente* martyrium, *N ;* de charitate aut *antecedente* aut *concomitante*, sine qua justificatio in quocumque baptismo consummari non potest, *C.*— *Neg. conseq.*

In eo qui attritus ad martyrium accedit, gratia, mediante sanguinis baptizatione, una cum charitate sive habituali sive actuali producitur : ita ut hæc charitas et gratiam consequatur et ad illam ultimo disponat (cf. *de Reparatione* Disp. IV, Q. I, a. 2).

Obj. 3.— Quilibet homo tenetur in articulo mortis elicere actum charitatis. Atqui martyr hac charitate justificabitur, antequam subeat martyrium. Ergo.

Resp. *D. M :* . . . ordinarie, *C :* etiam in casu martyrii (juxta quosdam), *N.— D. m :* charitate *existimata* tantum, prout evenire potest. . . *N ;* charitate *vera*, *S. d :* et ideo tunc per martyrium non producetur prima gratia, *C ;* nec ea augebitur tum *ex opere operantis*, tum quoque *ex opere operato*, *N.— Neg. conseq.*[1]

QUÆSTIO SECUNDA

DE MINISTRO BAPTISMI

Præsupponitur quod in comperto est, agens principale in baptismo esse Christum ; unde præsens disquisitio instituitur solum de agente secundario quod est *minister*. — Qua in re quatuor determinanda nos manent sequenti articulorum ordine : aut agitur de *ministro sacramenti* (art. 1-3), aut de *comministro* seu patrino in tutelam baptizati vocato (art. 4) ; minister autem sacramenti spectari potest aut quatenus *unus* est (art. 1-2), aut quatenus *plures* supponantur (art. 3) ; sub primo respectu minister esse potest vel *solemnitatis* (art. 1), vel *necessitatis* (art. 2). Liquet articulorum connexio.

ARTICULUS I.

Utrum ad officium diaconi vel sacerdotis pertineat baptizare.

(Q. LXVII, aa. 1-2)

Determinandum suscipimus ministrum Baptismi publicum qui *solemnitatis* dici solet. Solemnis vero baptismus ille est qui cum omnibus cæremoniis ab Ecclesia statutis perficitur.— Quæstio esse non potest nisi de iis, ecclesiasticæ hierarchiæ adscriptis, qui in ordinatione sua potestatem vel aptitudinem quamdam ad baptismum conferendum acceperint, quales sunt *diaconi* et *sacerdotes* tum secundi ordinis (presbyteri) tum primi ordinis (episcopi) : hinc duæ conclusiones.

[1] — Vid. plures obj. ap. Billuart, Diss. I, a. 6.

Conclusio 1ª.— DIACONIS EX OFFICIO SEU EX JURE ORDINARIO FACULTAS NON EST SOLEMNITER BAPTIZANDI, SED SOLUM EX JURE EXTRAORDINARIO.

1ª *Pars* nititur auctoritate et ratione.

1° *Auctoritate ;* — nam dicit *Gelasius P.* (Ep. ad Episc. Luc., Decr. Grat. I, D. 93, c. 13) ; « Diaconos constituimus propriam servare mensuram... Absque episcopo vel presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis fortassis ordinibus longius constitutis, necessitas extrema compellat ». Idem habet *S. Isid. Hisp.* (De offic. l. II, c. 24, n. 9).— Præterea *Conc. Florentinum* et *Rit. Romanum*, necnon *Codex Juris Can.* (can. 738), in designando ministro ordinario baptismi nequaquam diaconum recensent.

2° *Ratione.*— *a*) Sicut ex cœlestium seu angelicorum ordinum nominibus propria cujusque officia accipiuntur, ita ex nominibus ecclesiasticorum ordinum deprehendi potest quod ad unumquemque jure proprio pertineat. Atqui diaconi dicuntur quasi *ministri*, propterea quod ad eos non spectat aliquod sacramentum principaliter et ex proprio officio præbere, sed adhibere ministerium aliis majoribus in sacramentorum dispensatione. Ergo etc.— *b*) Id conf. *a pari* (a. 1 ad 1) : simul enim iisdemque a Domino demandatum est officium docendi et baptizandi (Matth. XXVIII, 19) ; *Euntes* etc. Atqui licet diacono jus sit *recitandi* evangelium in Ecclesia ipsumque per modum *catechizantis* prædicandi, ad ipsum tamen ex officio non pertinet docere seu evangelium magistraliter interpretari. Ergo similiter etc.

2ª *Pars* patet ex verbis *Gelasii* supra relatis, ex *Cod. Jur. Can.* (can. 741), eumque in sensum exponenda sunt quæ monet episcopus in *ordinatione* diaconi : « Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare et prædicare ». Unde legitur (Act. VIII) de *Philippo* diacono quod plures baptizaverit ; idem quoque de *B. Laurentio.* Audi *Tertull.* (De bapt. c. 17) : « Dandi quidem (baptismum) habet jus summus sacerdos, qui est episcopus. Dehinc presbyteri et *diaconi*, non tamen sine episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem ».— Ratio asserti ducitur ex ipsa ministeriali indole quæ diaconis principaliter competit : hinc *a*) ex *licentia* sibi concessa licite baptizat diaconus etiam solemniter ; *b*) non tamen sine *rationabili causa*, puta si parochus ægrotet nec baptismus commode differri queat ; *c*) hæc vero licentia *clericis inferioribus* non conceditur ; *d*) censendum est autem, in casu necessitatis, diaconum absente sacerdote et cum sola licentia *præsumpta* posse solemniter baptizare, quod quidam negabant, sed *Codex* (can. cit.) nuper definivit.

Conclusio 2ª.— JUS BAPTIZANDI ORDINARIUM PERTINET AD SACERDOTES, SCIL. TUM AD EPISCOPOS TUM AD PRESBYTEROS, juxta illud *Conc. Flor.* (Decr. pro Arm.) : « Minister hujus sacramenti est sacerdos, cui *ex officio* competit baptizare ». Cf. *C. J. C.* (can. 738).

1ª *Pars* de *episcopis* manifestissime elucet ex mandato Christi Apostolis eorumque successoribus dato, ut ex officio baptizarent (Matth. XXVIII, 19).— Quia tamen in baptismo, qua tali, nihil operantur meritum et sapientia ministri, quæ e contrario multum in docendo valent, docendi officium *magis personaliter* ad episcopos pertinet quam officium baptizandi presbyteris facilius relictum, secundum illud Ap. (1 Cor. I, 17) : *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare.*— Nec vero per hoc excluditur quin episcopi jure proprio baptizare valeant ; quia quod potest potestas inferior, potest et superior : unde et Ap. (*l. cit.* v. 16) dicit se quosdam baptizasse (art. 2 ad 1).

2ª *Pars* de *presbyteris* declaratur.

Et 1° *a*) quod *ex officio* seu potestate sibi *per ordinem* insita baptizare queant, liquido constat ex Ecclesiæ traditione et praxi ; nam in *Constit Apost.*, quæ sunt primævæ disciplinæ monumentum, legimus (l. III, c. 11) : « Neque reliquis clericis potestatem baptizandi facimus... nisi tantum episcopis et presbyteris, ministrantibus diaconis ».— *b*) Verum equidem est episcopis, utpote summis Ecclesiæ principibus, competere quasi *supremum* jus aperiendi per baptismum januam ecclesiasticæ societatis ; at quia homo ex baptismo gradum dumtaxat infimum in populo christiano adipiscitur, *proprio* etiam jure ad *minores Ecclesiae principes*, scil. ad presbyteros pertinet baptismum illum conferre (resp. ad 2).— *c*) Eo magis, quia sacerdotes principaliter instituti sunt ad consecrandam Eucharistiam, quæ est pacis ac *unitatis* sacramentum (1 Cor. X, 17). Atqui fit aliquis particeps ecclesiasticæ unitatis per baptismum, quo Ecclesiam ingreditur et jus ad Domini mensam accipit. Ergo consequens est ut iidem sacerdotes ex officio baptizare possint (etiam præsente episcopo).

2° Quantum tamen ad hujus potestatis *exercitium*, *a*) presbyteri subordinantur episcopis, quatenus ab eis jurisdictionem accipiunt aut ordinariam aut delegatam, sine qua *licite* baptizare non possunt, juxta illud *Rit. Rom :* « Legitimus Baptismi minister est Parochus, vel alius sacerdos a Parocho vel ab Ordinario loci delegatus» ; idque manifasto requirit ordinatum Ecclesiæ regimen.— *b*) Hinc *simplex sacerdos* nequit licite baptizare (extra casum necessitatis) sine licentia saltem parochi ; verum in hoc præeminet diacono quod ei, etiam sine

causa sollicitanti, licentia illa concedi legitime valeat.— *c*) « Quod si aliquando *Patres* sacerdotibus sine episcopi venia baptizandi jus permissum non esse dixerunt, id de eo baptismo, qui *certis anni diebus* solemni cæremonia administrari consueverat, intelligendum videtur » (*Catech. Trid.* P. II, de Bapt. n. 22).

ARTICULUS II.

Utrum laicus, sive vir sive mulier, etiam non baptizatus, possit baptizare.

(Art. 3-5).

Constitutis iis quæ ministrum *solemnitatis* baptismi respiciunt, gradum facimus ad determinandum ministrum *necessitatis*.

1° *Calvini* commentum fuit (*Bellarm.* Controv. 2, l. I, c. 7), nec in extrema quidem necessitate licere baptizare iis qui non sunt ordinarii Ecclesiæ ministri ad hoc deputati ; utrum autem existimaverit baptismum non esse ratum, si a laico detur, vel tantum senserit laicis non licere sine peccato baptizare, haud aperte constat.

2° Non diffitemur laicum, quicumque sit, extra necessitatis casum *non posse licite* baptizare, quia sic inverteretur debitus ordo ; unde (post *D. Thomam*) communiter admittitur quod laicus baptizans etiam privatim, datâ copia sacerdotis, *graviter peccaret* sive ob contemptum sive ob præsumptionem. — Verum dirimenda nunc quæstio est, an laicus in quocumque casu *valide*, et in casu necessitatis *licite*, baptisare possit, abstractione facta a sexu vitæque professione.

Conclusio.—Quivis laicus, sive vir sive mulier, sive fidelis sive infidelis, valide, imo urgente necessitate etiam licite baptizare potest ; quod sic definivit (post Conc. Lat. IV, c. *Firmiter*) *Conc. Flor.* (Decr. pro Arm.): « In casu necessitatis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, immo etiam paganus et hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ et facere intendat quod facit Ecclesia ». Cf. *Rit. Rom.*, et *C. J. C.* (can. 742.)

1ª *Pars* de *laicis in genere* evincitur : — 1° ex *Scripturæ exemplis*. Nam (Act. IX, 18) legitur B. Paulum baptizatum fuisse ab Anania, qui neque Apostolus, neque etiam diaco-

nus erat, sed plane laicus (Bellarm. *l. cit.*) ; ibidem (X, 48) jussit Petrus Cornelium ejusque familiam baptizari a fratribus, qui probabilissime non erant nisi simplices discipuli.— 2° Ex *traditione ;* quippe ait *Hieronymus* (Dial. cont. Lucif. n. 9) : « Si necessitas cogit, scimus etiam licere laicis (baptizare) : ut enim accipit quis, ita et dare potest.» Unde *S. Gelasius I* (Ep. ad Episc. Luc. c. 7), cum dixisset diaconos solum in extrema necessitate licite baptizare, addit : « quod et laicis christianis facere plerumque conceditur.» Similia habet *S. Isid. Hisp.* (De eccl. offic. l. II, c. 25, n. 9)[1].— 3° Ex *ratione convenientiae.* « Ad *misericordiam* ejus qui vult omnes homines salvos fieri pertinet ut, in his quæ sunt de necessitate salutis, homo de facili remedium inveniat. Inter omnia autem sacramenta *maximae necessitatis* est baptismus, qui est regeneratio hominis in vitam spiritualem, quia *pueris* aliter omnino subveniri non potest, et *adulti* non possunt aliter quam per baptismum plenam remissionem consequi et quantum ad culpam et quantum ad pœnam[2]. Et ideo ut homo circa remedium tam necessarium defectum pati non possit, institutum est ut et materia baptismi sit communis, scil. aqua, quæ a quolibet de facili haberi potest, et minister baptismi etiam sit *quicumque* non ordinatus » (art. 3).

2ª *Pars* de *muliere* suadetur ; — 1° ex verbis *Urban P.* (Ep. ad Vitalem, Decr. Grat. II, c. 30, q. 3, cap. 4) : « Super quibus consulit nos tua Dilectio, hoc videtur nobis ex sententia respondendum, ut baptismus sit, si instante necessitate *femina* puerum in nomine Trinitatis baptizaverit.»— 2° Ex *ratione : a*) Christus est qui principaliter baptizat (Joan. I, 23). Atqui, quamvis in generatione carnali femina esse nequeat principium activum, nihil tamen prohibet quominus ipsa in generatione spirituali *instrumentum* Christi virtute agens existat : ergo. *b*) Unde « sicut mulieri non permittitur publice docere, potest tamen *privata doctrina* vel *monitione* aliquem instruere, ita non permittitur ei publice et solemniter baptizare, sed tamen potest baptizare in *necessitatis* articulo » (art. 4 ad 1)[3].

[1] — Singulare factum narratur *S. Athanasii* pueri ideoque laici qui, instinctu quodam imitationis, coævos pueros baptizavit : hunc baptismum ratum habuit Ecclesia (ap. Bellarm. *l. cit.*).

[2] — Præterquam quod sine baptismo aquæ nemo characterem consequitur, ordinarie per solum baptismum flaminis pauci admodum sunt qui remissionem *totius poenae* obtinent.

[3] — Notetur ordo servandus (*Rit. Rom.*) : « Si adsit Sacerdos, Diacono præferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus laico, et vir fœminæ, nisi pudoris gratia deceat fœminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius fœmina sciret formam et modum baptizandi ».

3ª *Pars* de *infideli* seu non baptizato jam alibi (Disp. I, Q. V, a. 6) prælibata est ; pauca tantum subjiciemus.— 1° Vetustæ *traditionis* testem se offert *Tertullianus* dicens (de Bapt. c. 17) : « Etiam laicis jus est. Quod enim ex æquo[1] accipitur, ex æquo dari potest... Proinde et Baptismus æque Dei census *ab omnibus* exerceri potest... sicubi aut loci aut temporis aut personæ conditio c mpellit.» Licet vero *S. August.* noluerit quæstionem hanc auctoritative dirimere (cont. ep. Parmen. l. II, c. 13, n. 30), certe sententiam catholicam docuit, v. g. (de Bapt. l. VII, c. 43, n. 102) : « Nequaquam, inquit, dubitarem habere eos baptismum, qui ubicumque et a *quibuscumque* illud verbis evangelicis consecratum, sine sua simulatione, et cum aliqua fide suscepissent ». Rem vero postmodum definivit Ecclesia ; cujus fidem diserte expressit *Nicolaus I* (Resp. ad consult. Bulgar. c. 104).— 2° *Ratio* est, quia licet homo infidelis non pertineat ad Ecclesiam in essendo et secundum formam permanentem, potest tamen (et hoc fit quando recta intentione et debito ritu baptizat) ad eam pertinere in causando seu secundum formam vel actum *transeuntem* (art. 5 ad 2).

Solv. obj.— Obj. 1.— Baptizare proprie pertinet ad ordinem sacerdotalem. Atqui ea quæ sunt ordinis non possunt non ordinato committi. Ergo.

Resp. *D. M* :... secundum quamdam *convenientiam*, *C* ; de *necessitate* sacramenti, *N.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Majus est sacramentum ipsum quam sacramentalia baptismi perficere. Atqui hæc nequeunt fieri a laicis. Ergo.

Resp. *D. M* :... et simul magis necessarium... *C* ; non magis necessarium, *N.*— *D. m* :... quia pertinent ad baptismi *solemnitatem* reservatam sacerdoti, *C* ; quasi sint de baptismi *essentia*, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Sicut Baptismus est sacramentum necessitatis, ita et Pœnitentia. Atqui laicus non potest nec licite nec valide absolvere in foro pœnitentiali. Ergo.

Resp. *D. M* :... eodem gradu, *N* ; gradu longe diverso, quatenus pœnitentiæ sacramentum, *adultis* tantum conveniens nec a *tota* pœna liberans, per contritionem universalius ac facilius suppletur, *C.*— *D. m* : ... et absolutio se habet per modum *judicii* cujus ferendi potestas requirit omnino jurisdictionem, *C* ; potestas absolvendi æquiparatur potestati baptizandi, *N.*— *Neg. conseq.*

[1] — Scil. indiscriminatim.

Obj. 4.— Nemo dat quod non habet. Atqui laicus non baptizatus non habet sacramentum baptismi. Ergo.

Resp. *D. M :* Nemo dat, ut *suum*, quod non habet, *C :* ut *alterius*... *N.*— *D. m :*... et illud dispensat quasi *principaliter* et interius baptizans, *N ;* quasi *instrumentaliter* et exterius ministrans baptismum Christi, *C.*— *Neg. conseq.*[1]

ARTICULUS III.

Utrum plures possint simul unum baptizare.

In enucleandis iis quæ ad ministrum Baptismi pertinent, solvendum occurrit *problema* circa possibilitatem *pluralitatis* ministrorum simul baptizantium.— Profecto quæstio non est de *liceitate :* patet enim id consuetudini Ecclesiæ penitus adversari ; sed dubium movetur de *validitate.*— Qua in re plures fingi possunt hypotheses : aut enim duo ministri se habent per modum agentium *totalium*, utroque totum dicente et faciente, aut per modum agentium *partialium*, uno scil. dicente, altero faciente . Præterea agentia totalia esse possunt vel *re* tantum, dum intentione velint ad instar partialium se habere, vel *re* et *intentione*, unoquoque agente independenter ab alio. Totum argumentum tribus conclusionibus enodabitur.

Conclusio 1ª.— Si plures ministri simul baptizent fundendo aquam et dicendo « nos te baptizamus etc.» cum intenta dependentia unius ab altero, non videtur perfici sacramentum.— Hanc sententiam, post *D. Thomam*, sectantur *Suarez*, *Gonet*, *Billuart*, etc.

1° Revera id excludere videtur sacramentum baptismi quod *intentioni Christi* instituentis et *significationi formæ* contrariatur. Atqui intentio penes ministros dividendi ministerium, quasi unus partialiter agens ab altero dependeat, ita se habet : *a*) verisimile enim est quod Christus sic baptismum conferendum instituerit ut ipse unus principaliter baptizans per *unum* totalem ministrum, ceu vicarium, repræsentaretur ; *b*) unde verba formæ « ego te baptizo » hanc integritatem unius actionis ab uno eodemque ministro procedentis satis aperte declarant, quem sensum perimunt alia verba « nos (ego et tu) te baptizamus » complexive sumpta. Ergo.— Nec 2° similis est ratio pluralitatis *ex parte subjecti.* « In casu necessitatis unus posset simul plures baptizare sub hac forma « ego vos baptizo », puta si immineret ruina aut gladius aut

[1] — Plures objectiones ex auctoritate petitas diluit Billuart, Diss. II, a. 2.

aliquid hujusmodi, quod omnino moram non pateretur, ut sigillatim omnes baptizarentur. Nec per hoc diversificaretur forma Ecclesiæ, quia plurale (vos) non est nisi singulare geminatum (te et te), præsertim cum pluraliter dicatur Matth. ult. *baptizantes eos* etc.» (a. 6 ad 2). Addi debet, quod plures baptizati optime ad Christum referuntur, velut *plura membra* ad unum caput.

Conclusio 2ª.— Si plures tanquam totales et independentes ministri baptizent, confertur baptismus.— Sententia hæc iisdem, ac præcedens, patronis probatur.— Ministros autem independenter ab invicem baptizare, colligi præsertim potest, quando quisque dicat « ego te baptizo » (licet etiam plurale « nos te baptizamus » *divisim* sumptum in idem recidat).

1° Itaque rem ita evolvit *Angelicus* pro duplici contentionis vel concurrentiæ casu (a. 6) : *a*) « Manifestum est, inquit, quod ille qui *prius* verba proferret, daret baptismi sacramentum ; alius vero, quantumcumque jus baptizandi haberet, nihil faceret ; et si verba pronuntiare præsumeret, esset puniendus tanquam rebaptizator. *b*) Si autem *omnino simul* ambo verba proferrent et hominem immergerent aut aspergerent, essent puniendi de inordinato modo baptizandi, et non de iteratione baptismi, quia uterque intenderet non baptizatum baptizare ; et uterque, quantum est in se, baptizaret. Nec traderent aliud et aliud sacramentum ; sed Christus, qui est unus interius baptizans, unum sacramentum per utrumque conferret.»— 2° Nos non latet, eumdem numero effectum non posse e duabus causis totalibus ejusdem ordinis provenire, si sint *principales* seu vi propria agentes ; quia tunc idem effectus penderet per se a qualibet et non penderet, quod contradictorium est. Secus vero, si sint causæ *instrumentales*, quibus mediantibus una causa principalis utatur *per modum unius* ad producendum unum effectum[1].

Conclusio 3ª.— Si plures baptizarent, uno dicente, altero exequente, baptismus esset nullus.— Ita *communius* theologi cum *D. Thoma* (III, Q. LXVI, a. 5 ad 4 ; hic, a.6 ad 3).

Præter rationem superius productam (concl. 1) ex *unitate ministri* ad unum Christum repræsentandum, altera ex *parte formae* sic urgetur : — integritas baptismi conflatur ex forma verborum et usu materiæ. Ergo neque ille qui tantum verba

[1] — Cf. Cajet., *Comm.* in h. 1.

profert, neque ille qui abluit, baptizat. Ergo nec in ore primi salvatur veritas formæ « ego te baptizo »; nec etiam proprie dici potest « nos te baptizamus,» cum neuter baptizet ; imo neque adhiberi posset forma Græcorum « baptizatur servus Christi, » cum subintelligatur « a me » seu « meo actu » juxta interpretationem a latina forma sumendam (vid. *Gonet*).

ARTICULUS IV.

Utrum in Baptismo requiratur aliquis qui baptizatum levet de sacro fonte.

(Art. 7-8)

« Accedit ad eos ministros, qui, ut hactenus declaratum est, baptismum conficiunt, aliud etiam ministrorum genus, qui ad sacram et salutarem ablutionem celebrandam ex vetustissima catholicæ Ecclesiæ consuetudine adhiberi solent : ii nunc *patrini*, olim *susceptores*, *sponsores* seu *fidejussores*, communi vocabulo, a rerum divinarum scriptoribus vocabuntur » (*Catech. Trid.* P. II, de Bapt. n. 25). — De hac institutione quæ juris est *ecclesiastici* aliasque in provincia sive morali sive juridica proprius attingitur, pauca tantum in complementum doctrinæ loquemur.

Conclusio 1ª.— Convenienter Ecclesia statuit ut in baptismo etiam privato patrini admitterentur.— Id enim statuit *Codex Jur. Can.* (can. 762) : « Ex vetustissimo Ecclesiæ more nemo *solemniter* baptizetur, nisi suum habeat, quatenus fieri possit, patrinum. Etiam in baptismo *privato* (contra ac plerique docebant) patrinus, si facile haberi queat, adhibeatur ; si non interfuerit, adhibeatur in supplendis baptismi cæremoniis.»

1° Institutio patrinorum ad *prima* usque *Ecclesiæ sæcula* ascendit : cujus antiquitatis testes habemus, præter vulgatum *Dionysium* hac de re luculenter disserentem (l. eccle. Hier. c. 2 sqq.), *Justinum M.* (Resp. ad Orth. q. 56) loquentem de *offerentibus* ad baptisma, *Tertullianum* (de Bapt. c. 18) *sponsores* nominantem, *Augustinum* (de Pecc. Mer. l. 1, c. 34) memorantem *respondentes* pro baptizandis parvulis[1].

2° Concinna est penes *D. Thomam ratio* theologica (quam *Catech. Trid.* eisdem prope verbis exscripsit) : « Dicendum, inquit Auctor, quod spiritualis regeneratio, quæ fit per bap-

[1] — Eorumdem sive *propinquorum* sive *domesticorum* qui pro parvulis in baptismo respondeant, meminit *Testamentum* D. N. J. C. nuper editum a Rmo Rahmani (p. 216).

tismum, assimilatur quodammodo generationi carnali ; unde dicitur (1 Pet. II, 2) : *Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo, lac concupiscite.* In generatione autem carnali parvulus nuper natus indiget nutrice, et pædagogo. Unde et in spirituali generatione baptismi requiritur aliquis qui fungatur *vice nutricis* et *pædagogi*, in formando et instruendo eum, quasi novitium in fide, de his quæ pertinent ad fidem et vitam christianam ; ad quod prælati Ecclesiæ vacare non possunt circa communem curam populi occupati : parvuli enim et novitii indigent *speciali cura* præter communem ; et ideo requiritur quod aliquis suscipiat baptizatum de sacro fonte, quasi in suam instructionem et tutelam » (art. 7).

Conclusio 2ª.— Patrini nec multi, nec de omnibus indifferenter eliguntur ; electi vero, modo vere patrini sint, certis erga baptizatum officiis tenentur.— Quatuor accipi possunt propositionis partes.

1ª *Pars* fundatur in *Syn. Trid.* quæ « statuit ut unus tantum, sive vir, sive mulier, juxta SS. Canonum instituta, vel ad summum *unus* et *una* baptizatum de baptismo suscipiant » (Sess. XXIV, c. 2, *de ref. mat.*) ; quod confirmat *Codex* (can. 764).— *Ratio* decreti duplex assignari potest, nempe *a*) tum ut vitetur disciplinæ confusio quæ ex multis patrinis seu instructoribus ejusdem baptizati obvenire posset, *b*) tum ut provideatur ne inter plures cognatio spiritualis, matrimonii impeditiva, multiplicetur.

2ª *Pars* continetur verbis *Rit. Rom :* « Simul non admittantur duo viri, aut duæ mulieres, neque baptizandi *pater* aut *mater* (nempe ut ex eo magis appareat quantum spiritualis paternitas a carnali distet). Hos autem patrinos saltem in ætate *pubertatis* ac sacramento *Confirmationis* consignatos esse, maxime convenit. Sciant præterea parochi ad hoc munus non esse admittendos *infideles* aut *haereticos*, non *publice excommunicatos* aut *interdictos*, non *publice criminosos* aut *infames*, nec præterea qui sana mente non sunt, neque qui ignorant rudimenta fidei... Præterea ad hoc etiam admitti non debent *monachi*, vel *sanctimoniales*, neque alii cujusvis Ordinis *regulares* a sæculo segregati.» Quæ requiruntur ut quis *licite* patrinus admittatur magis præcise determinat *Codex* (can. 766).

3ª *Pars* est de iis quæ requiruntur ad hoc ut quis sit *vere* seu *valide patrinus.*— Juxta *Cod. Jur. Can.* (can. 765), tria *positiva* exiguntur : 1um est *intentio* (saltem virtualis) munus illud suscipiendi, quod satis patet ; 2um est *designatio* personæ, in patrinum vel matrinam assumendæ, facta ab ipso bap-

tizando ejusve parentibus vel tutoribus aut, his deficientibus, a ministro sacramenti ; 3um est *susceptio* de sacro fonte, aut de manibus baptizantis, ejus qui baptizatus est, quemque patrinus per se vel saltem per alium tetigerit. — Duo etiam exiguntur *negativa ;* 1um ut patrinus « ad nullam pertineat hæreticam aut schismaticam sectam, nec sententia condemnatoria vel declaratoria sit excommunicatus aut infamis infamia juris aut exclusus ab actibus legitimis, nec sit clericus depositus vel degradatus »; 2um ut « nec sit pater vel mater vel conjux baptizandi.»

4ª *Pars* decl.— Præterquam quod patrini consueverunt Ecclesiæ baptizandum offerre, vice ejus ad interrogata respondere, fidem profiteri, etc., præcipuo adstringuntur *officio* quod sic *S. Thomas* exponit (art. 8) : « Unusquisque obligatur ad exequendum officium quod accepit. Dictum est autem articulo præc., quod ille qui suscipit aliquem de sacro fonte assumit sibi officium pædagogi; [1] et *a*) ideo *obligatur* ad habendam curam de ipso, *si necessitas* immineret, sicut eo tempore et loco in quo baptizati inter infideles nutriuntur. *b*) Sed ubi nutriuntur inter catholicos christianos, satis possunt ab hac cura *excusari*, præsumendo quod a suis parentibus diligenter instruantur. *c*) Si tamen quocumque modo sentirent contrarium, *tenerentur* secundum suum modum saluti spiritualium filiorum curam impendere ».

QUÆSTIO TERTIA

DE SUSCIPIENTIBUS BAPTISMUM

In hac quæstione duplex consideratio occurrit, prout spectatur aut habitudo Baptismi ad subjectum, aut habitudo subjecti ad Baptismum.— Sub primo respectu discurrendum venit de *necessitate* baptismi tum *absolute* (art. 1) tum quoad *tempus* (art. 2).— Sub altero respectu, quia subjectum baptismi potest esse vel adultus ratione utens, vel puer puerove similis, utrumque sejunctim investigandum proponitur : et primo de *adultis* dicendum vel secundum *statum peccati* in quo versantur (art. 3), vel secundum *conditiones* ad baptismum prærequisitas (art. 4) ; deinde quoad *pueros*, quibus amentes quodammodo assimilantur, alia est rei speculatio *secundum se* (art. 5), alia secundum *conditionem parentum* (art. 6). Sex ergo articulorum limitibus quæstio D. Thomæ comprehendetur.

[1] — Cf. C. J. C. (can. 769).

ARTICULUS I.

Utrum omnes teneantur ad susceptionem Baptismi.

(Q. LXVII, aa. 1-2)

1° «*a*) Fuit olim hæresis *Pelagianorum*, baptismum non esse necessarium ad remissionem peccati originalis, sed solum ad assecutionem regni cœlorum, teste Aug. lib. de Hær. c. 69. Sed nostri *hæretici* Pelagianis multo audaciores non solum ad remissionem peccati, sed etiam ad regnum cœlorum negant baptismum esse necessarium » (*Bellarm.* l. I, c. 4). Hujus temeritatis fuerunt, post *Joan. Wicleffum*, *Zwinglius*, *Mart. Bucerus*, necnon *Calvinus* qui (Antid. Conc. Trid. in Sess. VI, c. 5) docet parvulos *fidelium* etiam sine baptismo esse sanctos, et, si moriantur, salvari.

b) *Catholici* quidam minus recte sentientes opinati sunt infantes, quibus per baptismum subveniri non possit, *voto parentum* salvari posse, aut secundum legem ordinariam adhibito a parentibus aliquo exteriori signo (Cajetanus), aut ex peculiari gratia et privilegio (Gerson, Biel, Toletus).— Nec prætereunda est singularis opinio quam invexit *Klee* existimans ut probabile quod infantes, quibus baptismus conferri nequeat, *rationis compotes* in extremis fiant ideoque *baptismo desiderii* salventur.

2° Notetur dupliciter aliquid dici necessarium ad salutem, scil. necessitate medii et præcepti. *Necessitate medii* necessarium id dicitur quod sive ex natura rei sive saltem ex Dei instituto ita se habet ut, eo etiam inculpabiliter omisso, salus haberi non possit ; necessitate autem *præcepti* necessarium vocatur quod tale est quia præcipitur, unde, violato præcepto, per peccatum impeditur salus.— Præterea quod necessarium asseritur ad salutem spectari potest vel *in re* quæ impleatur, vel *in voto* rei implendæ quin ad implendum opportunitas suppetat.

Conclusio.— Baptismus omnibus necessarius est necessitate medii ad salutem, vel in re vel saltem in voto. — Mentio hic hon fit de baptismo *sanguinis*, quia est exceptio, nosque nunc loquimur de medio *ordinario* ad salutem consequendam.— Veritas illa *fidei* est, prouti constat ex *Conc. Trid.* (Sess. VII, *de Bapt.* can. 5) : « Si quis dixerit baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem ; A. S.» Et quod agatur de baptismo vel in re vel « in voto », colligimus ex Sess. VI, cap. 4. Cf. C. J. C. (can. 737).

1ª *Pars* generalior affirmat de Baptismo necessitatem *medii* ad salutem, non quæ ex natura rei (sicuti gratia), sed quæ ex absoluto *Dei instituto* emergit.[1]

Ostend. 1° *a*) ex *verbo Dei scripto* (Ioan. III, 5) : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Sp. Sancto, non potest introire in regnum Dei ;* quæ sententia non præceptum tantum, sed et *medium omnibus* præscriptum plano sensu enunciat. *b*) Id confirmat ratio quæ subjicitur (v. 6-7) : *Quod natum est ex carne, caro est,* et *oportet vos nasci denuo.* Indicat enim Dominus omnes homines, de carne adamica et corrupta natos, prorsus communi indigere remedio quo regenerentur.[2]

2° Ex *verbo Dei tradito.*— Sic *Tertull.* (de Bapt. c. 12) : « Præscribitur *nemini* sine baptismo competere salutem ex illa maxime pronuntiatione Domini qui ait : *Nisi natus* etc.» Item *S. Cyrill. Hieros.* (Catech. III, de bapt. n. 10) : « Si quis baptisma non recipiat, salutem non habet ; solis martyribus exceptis, qui etiam sine aqua regnum recipiunt ». Et *S. August.* (Ep. 166 ad Hieron. n. 21) : « Quisquis dixerit quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli qui sine sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profecto et contra *apostolicam prædicationem* venit et totam condemnat Ecclesiam » etc. Alios *Patres* veteraque *Concilia,* brevitatis causa, silentio præterimus.

3° Ex perpetua *Ecclesiæ praxi.*— Semper enim Ecclesia sollicita fuit de baptismo omnibus dispensando, et quamvis baptizationi solemni quædam in anno assignata essent tempora, provisum tamen erat ut, urgente necessitate, quovis tempore infantibus vel adultis Baptismus conferretur, « ne (ait *S. Siricius P.*, ep. ad Himer. Tarrac. c. 2) ad nostrarum perniciem tendat animarum, si negato desiderantibus fonte salutari, exiens unusquisque de sæculo et regnum perdat et vitam ».— Eadem de causa semper Ecclesia in mortis periculo ipsis laicis et mulieribus permisit ut baptismum administrarent.

4° Ex *ratione theologica D. Thomæ* in natura baptismi innixa.— Ad illud homines tenentur sine quo salutem consequi non possunt. Atqui ex una parte nullus potest salutem consequi nisi influente Christo, juxta parallelam illam oppositionem inter primum et secundum Adam (Rom. V, 18) :

[1] — Huic doctrinae repugnat sententia quam nuperrime S. Officium decreto *Lamentabili sane* proscripsit (prop. 42) : « Communitas christiana necessitatem baptismi induxit, adoptans illum tanquam ritum necessarium, eique professionis christianæ obligationes adnectens » Cf. prop. 43.

[2] — Argumentum hoc Bellarminus (*l. cit.*) solita eruditione contra hæreticorum fallacias vindicat.

Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ ; ex altera parte, ad hoc baptismus datur ut quis Christo incorporetur, factusque membrum ejus de ipsius influxu participet, juxta illud (Galat. III, 27) : *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Ergo.

Ex dictis duo *colligemus :* — 1° Si baptismus necessarius est necessitate medii, sponte deducitur vigere etiam *necessitatem præcepti ;* præcepti, inquam, tum *naturalis*, quo quisque tenetur per media necessaria suæ saluti consulere, tum *divini* contenti his verbis (Matth. XXVIII, 19) : *Euntes docete... baptizantes*, etc., tum denique *ecclesiastici.*— 2° Opinio a *Klee* proposita vanum est commentum : *a*) quippe gratis asseritur, cum infans ante mortem nequeat sine *miraculo* rationis usum consequi ; *b*) sensui et praxi Ecclesiæ ideo providentis infantes baptizari, quia secus eos perire sibi persuasum est, e diametro opponitur ; *c*) opponitur eo ipso doctrinæ catholicæ de damnatione infantium sine baptismo decedentium (cf. *de Reparatione*, Disp. I, Q. III, a. 4).

2ª *Pars* concl. specialior est ; ubi id pro vero constituitur, *votum* Baptismi *proprium*, *non* tamen *parentum* tantum, sufficere ad salutem.

1° Etenim *a*) Ap. dicit (Rom. II, 29) : *Circumcisio cordis in spiritu, non littera ; cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Atqui ille qui desiderat per baptismum regenerari ex aqua et Sp. Sancto, corde quidem, licet non corpore, remedium baptismale accipit : ergo. *b*) Nam Deus potentiam suam sacramentis visibilibus non alligavit, sed per fidem dilectione interius operantem potest hominem, Christo utcumque conjunctum, sanctificare. Atqui homo, *votum* baptismi habens quod implere nequit, *mentaliter* saltem Christo incorporatur, quamvis non sacramentaliter : ergo (art. 2).— Cæterum votum illud potest non esse explicitum, sed *implicitum* tantum seu subauditum in generali voluntate servandi Dei mandata, juxta illud *D. Thomae* (III, Q. LXIX, a. 4 ad 2) : « Remissionem peccatorum aliquis consequitur ante baptismum, secundum quod habet baptismum in voto vel explicite vel implicite ».

2° Tamen negamus contra catholicos supra memoratos, parvulos (quanquam Deus absolute huic legi derogare valeat) solo *parentum voto* salvari : quod suadetur tum negative, tum positive : — *a*) *negative* quidem. Nam inaudita est penes veterum scripta Ecclesiæque documenta ea, quam impugnamus, sententia ; quæ si vera foret, cur tam salutare remedium puerulis in necessitate adhibendum Ecclesiam veluti latuis-

set ? — *b*) *Positive* vero. Nam Scripturæ, Patres, Concilia, doctores, sic baptismi necessitatem efferunt, quasi sit in re vel in voto ipsius baptizandi *unicum* salutis medium ; quo prætermisso, ad damnationem curritur. Præterea sententia illa diserte excluditur a *S. August.* (l. 2 cont. duas ep. Pelag. n. 11), necnon a *D. Thoma* docente (III, Q. LXVII, a. 3) baptismum esse maximæ necessitatis, « quia pueris aliter *omnino* subveniri non potest.[1] » Idcirco *Pius V* jussit opinionem illam a Cajetani commentariis expungi.

Solv. obj.— Obj. 1.— Per Christum non est hominibus arctata via salutis. Atqui ante Christum poterant homines sine baptismo salvari. Ergo.

Resp. *D. M* :. . . i. e. non est difficilior facta, *C ;* nec est specialiter determinata, *N.*— *D. m*. . . sine sacramento baptismi, *C ;* sine fide in Christum baptismi salutisque auctorem, *N.* — *Neg. conseq.*

Plura in hac solvenda objectione observari debent.— 1° Nunquam homines etiam ante Christum salvari potuerunt nisi aliqualiter seu per *incorporationem* quamdam membra ejus fierent ; nam *non est in alio aliquo salus* (Act. IV, 12)[2]. — Verum 2° incorporationis *medium* diversum exstitit pro diversis temporibus : siquidem *a*) ante Christum homines ei incorporabantur per *fidem futuri adventus*, quæ circumcisione vel alio sensibili signo significabatur[3]; *b*) post Christum vero homines ei conjunguntur per *fidem rei jam praesentis* novo signo, scil. baptismo, manifestatam.— Nec 3° determinatio hujus signi angustavit viam salutis : quoniam *a*) Baptismus constat materia communissima facilique forma ; *b*) ab omnibus potest urgente necessitate administrari ; *c*) modo quoque notitia, ad baptismi usum requisita, longe vulgatior est quam erat olim religionis scientia vel fides in Christum venturum cujus protestatione homines salvari poterant.

Obj. 2.— Baptismus maxime videtur institutus in remedium peccati originalis. Atqui parentes baptizati non videntur peccatum originale transfundere, tum quia ipsi mundi sunt ab illo peccato, tum quia Ap. (1 Cor. VII, 14) *sanctos* vocat filios fidelium. Ergo.

[1] — Cf. Quodl. VI, a. 4 ; ubi S. Doctor negative respondet quæstioni : « Utrum puer in deserto natus possit absque baptismo salvari in fide parentum ».

[2] — Cf. documentum Leonis XIII, fel. rec., (encycl. *Tametsi*) de *Jesu Christo Redemptore*, ubi in extremo sæculi Summus populorum Eruditor opportune commentatur Domini sententiam (Joan. XIV, 6) : *Ego sum via, et veritas, et vita.*

[3] — Cf. supra, Disp. I, Q. II, a. 3 ; — etiam Quodl. VI, a. cit., ad 1.

Resp. *C. M.*— *N. m.*— Ad prob. 1am, *dist:* baptizati mundi sunt a peccato originali secundum *spiritum*, *C ;* etiam secundum *carnem*[1], ita ut esse nequeant *instrumenta* propagationis cum naturæ tum peccati eam comitantis, *N.*— Ad prob. 2am, pariter *dist :* Ap. vocat filios fidelium *sanctos*, quasi peccatum originale non contrahant, *N ;* quia parentum cura proclive est ut justi seu christiani fiant, *C.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Baptismus ad hoc datur ut quis per gratiam a peccato mundetur. Atqui possunt aliqui id consequi quatenus sanctificentur in utero sine baptismo. Ergo.

Resp. *D. M :*. . . et per characterem Christo configuretur, *C ;* citra characteris impressionem, *N.*— *D. m :*. . . de lege *ordinaria*, *N ;* per *exceptionem*, *S. d :* et isti baptizandi forent, *C ;* non oporteret eos baptizari ut per susceptionem *characteris* aliis membris Christi conformarentur, *N.*— *Neg. conseq.*[2]

ARTICULUS II.

Utrum Baptismus sit differendus.

1° *a*) *Quidam* e veteribus referuntur censuisse magis expediens ut *puerorum* baptismus differretur, donec adolescerent vel rationis usum consequerentur ; ita *Tertull.* (de Bapt. c. 18).

b) Mos vero apud *adultos* nondum baptizatos procrastinandi etiam usque ad mortem frequens fuisse videtur ; — cujus consuetudinis *rationes* saltem generales sic tradit *Billuart* (Diss. III, a. 6) : « *Quidam* in animo habebant melius esse baptismum differre, quam a gratia per ipsum collata excidere ; et ideo ad eam ætatem differebant in qua minus effervescerent passiones, et minor esset propensio ad peccatum. *Quidam* differebant, ne per baptismum arctiori vivendi genere adstringerentur ; *quidam*, ut sine laboriosis pœnitentiæ operibus a peccatis omnibus et peccatorum pœnis, per baptismum in fine vitæ susceptum, abluerentur ; *quidam* e contra ex humilitate, et ut maturius per diuturniora pietatis exercitia se ad illum disponerent ».

2° *Præsupponimus* quod infra suo loco (art. 5) manifestabitur, infantes posse et valide et licite baptizari ; nunc vero de *tempore* Baptismi generalius spectato tum quoad infantes tum quoad adultos cum Auctore agendum est.

[1] — Cf. Quodl. VI, a. 15.

[2] — Vid. plures objectiones ap. Billuart, Diss. III, a. 1.

Conclusio 1ª.— Baptismus puerorum differendus non est, sed conferendus « quam primum fieri poterit » (Rit Rom.) : — doctrina est *Conc. Flor.* (Decr. pro Jacobitis) Cf. C. J. C. (can. 770).

1° Huc respiciunt verba *S. Cypriani* (Ep. 59 ad Fidum) : « Quantum ad causam infantium pertinet, quos dixisti, intra secundum vel tertium diem, quo nati sunt, constitutos baptizari non oportere et considerandam esse legem circumcisionis, ut intra octavum diem eum, qui natus est, baptizandum et sanctificandum non putares, longe aliud in Concilio nostro *omnibus* visum est ; in hoc enim, quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit, sed universi potius judicavimus, nulli hominum nato misericordiam Dei et gratiam esse denegandam ». Cum itaque, ut constat ex aliis etiam Patribus, v. g. *S. Joan. Chrys.* et *S. August.*, praxis a principio obtinuerit baptizandi parvulos mox natos, inferre fas est sensum Ecclesiæ fuisse ut non liceret baptismum puerorum differre.

2° Revera, plura sunt hujus rei motiva : — *a*) *primo* quia non expectatur in parvulis major instructio vel plenior conversio ; — *b*) *secundo* quia propter imbecillitatem naturæ periculo mortis obnoxii sunt, nec potest eis aliter subveniri quam per sacramentum baptismi ; — *c*) *tertio* quia baptismus quodammodo reprimit infestationes dæmonum, et quantum ad nocumenta spiritualia, et quantum ad nocumenta corporalia (4 S. D. IV, Q. III, a. 1, sol. 2) ; — *d*) *quarto* tandem quia pueri, a prima infantia enutriti in his quæ sunt christianæ vitæ, facilius ad bonum inclinantur firmiusque in eo perseverant.

Conclusio 2ª.— Licet quandoque adultis mox conversis baptismus statim conferri debeat, communius tamen differendus est usque ad certum tempus, cujus limites ab Ecclesia præfixos transgredi citra peccatum fas non est.—Memoretur illud *Conc. Trid.* (Sess. VII, can. 12) : «Si quis dixerit, neminem esse baptizandum nisi ea ætate qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo ; A. S.»

1ª *Pars* innititur duplici fundamento : — *a*) *Primo* namque interdum qui baptizandi sunt jam fidei mysteria callent et sunt ad baptismum omnino idonei ; qua de causa Philippus Eunuchum (Act. VIII, 38), Petrus vero Cornelium (*ibid.* X, 48), aliosque, nulla interposita mora, baptizavit.— *b*) *Secundo* id ipsum quandoque suadet infirmitas vel vitæ periculum ; unde *S. Leo* (Ep. XVI, cap. 5) : « In mortis periculo, in obsidionis discrimine, in persecutionis angustiis, in timore

naufragii, nullo tempore, hoc veræ salutis singulare præsidium cuiquam denegemus ».

2ª *Pars*, qua praxis catechumenatus tangitur, dupliciter evinci potest :

1° *Negative*, quatenus dilatio nequeat adultis, sicuti infantibus, nocumentum afferre : in adultis enim morte præventis potest desiderium supplere baptismi vices, saltem quoad deletionem peccati et reatum æternæ pœnæ.

2° *Positive*, triplicem ob rationem : — 1ª est *ex parte Ecclesiæ*, ne scil. decipiatur sacramentum ficte accedentibus conferens ; unde assignatur aliquod probationis spatium quo fides et mores petentium baptisma examinentur.— 2ª est *ex parte baptizandorum*, quorum utilitas requirit ut per aliquod tempus plenius de fide instruantur et christianæ vitæ institutionibus perfectius erudiantur.— 3ª est *ex parte ipsius sacramenti*, ad cujus reverentiam confert quarumdam solemnitatum designatio quibus occurrentibus, præ cæteris, baptismus adultis ministretur ; unde, cum hæc cæremonia soleret olim sabbatis *Paschae* et *Pentecostes* peragi, de ea statuit *Rit. Rom :* « Quem ritum, quatenus fieri commode potest... retinere decet, aut certe non omnino prætermitti, præcipue in Metropolitanis aut Cathedralibus Ecclesiis ». Cf. C. J. C. (can. 772).

3ª *Pars* his verbis ab *Auctore* traditur (art. 3) : « Peccat[1] autem (adultus), si ultra tempus institutum ab Ecclesia differat accipere baptismum, nisi ex causa necessaria et licentia prælatorum Ecclesiæ ».

1° Sane legitur (Eccli. V, 8) : *Non tardes converti ad Dominum et ne differas de die in diem ;* perfecta autem conversio ad Deum posita est in nova per baptismum generatione.— 2° *SS. Patres* vehementer reclamarunt mori nimis frequenti baptismum ultra debitos limites differendi : ita *S. Greg. Nyss.* cujus exstat specialis « adversus eos qui differunt baptismum oratio » ; in qua, inter plura, narrat sermonem viri infelicis jamjam morituri qui, cum nondum esset bapti-

[1] — Spectato *jure naturali* ac *divino*, scribit *S. Th.* (4 S. D. XVII, Q. III, a. 1, sol. 4) : « Ad baptismum percipiendum non tenetur aliquis statim postquam habet propositum baptismi, ita quod peccet mortaliter, nisi statim baptizetur ; nec est aliquod tempus determinatum, ultra quod si baptismum differat, peccatum mortale incurrat. Sed potest contingere quod in dilatione baptismi erit peccatum mortale vel non erit ; et hoc pensandum est ex causa dilationis ».— At quia « aliquis per hoc quod baptismum petit, se ministris Ecclesiæ subjicit, ad quos pertinet dispensatio sacramenti » (*ibid.* sol. 1), ideo catechumenus *jure ecclesiastico* tenetur sub gravi statuto tempore ad baptismum accedere.

zatus, « aquam quærebat in tempore quo aqua deficiebat.»— 3° *Ratio* evidens est ; siquidem baptismi procrastinatio privat hominem non solum vi curativa et præventiva illius sacramenti, verum etiam cæterorum sacramentorum, quibus per baptismum tantum aditus recluditur, multiplici usu, beneficio et gratia.

Solv. obj.— Obj. 1.— Omnis actio Christi nostra est instructio. Atqui Christus baptismum accipere voluit in trigesimo vitæ anno. Ergo (4 S. D. IV, Q. III, a. 1, quæstiunc. 2).

Resp. *D. M* :... secundum quod *nobis* congruit, *C* ; quasi conditio Christi eadem fuerit ac nostra, *N*.— *D. m* :... quia officium Doctoris et Institutoris baptismi requirebat tempus perfectæ ætatis, *C* ; tempus illud in exemplum aliis baptizandis esse voluit, *N*.— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Nonnulli insignes viri, ut S. Martinus, S. Ambrosius, S. Augustinus, diu baptismum suum distulerunt. Ergo.

Resp: eos probabiliter id fecisse ex rationabili causa ; quæ tamen si defuerit, improbandi sunt. Unde *S. August.* (Conf. l. I, c. 11) cum dolore dilationem sui baptismi commemorat.

Obj. 3.— Baptismus tunc conferendus est, quando maxime juvare potest. Atqui baptismus maxime juvat in fine vitæ, quatenus omnia tunc delicta præterita delet. Ergo.

Resp. *C. M*.— *D. m* :... maxime juvat *simpliciter*, *N* ; sub aliquo respectu, *C*.— *Neg. conseq.*

Magis desiderandum est peccata non committi quam ea jam commissa dimitti. Porro per gratiam suscepti baptismi non solum removentur peccata præterita, sed etiam præcaventur peccata *futura*. Ergo quo citius baptismus suscipitur, eo magis, *simpliciter* loquendo, adjuvare potest.— « Præterea multis casibus subjacet humana vita, et posset contingere ut qui baptismum in fine accipere expectaret, morte subita præventus, expectatione sua fraudaretur » (4 S. *l. cit.* ad 2).

ARTICULUS III.

Utrum et quomodo peccatores sint baptizandi.

(Art. 4-6).

Exploratam Baptismi necessitatem excipit sermo de iis, sive adultis, sive infantibus, quibus sacramentum illud conferatur oportet.— Quod ad *adultos* pertinet, hi primum spectandi sunt secundum *statum peccati* (mortalis) in quo com-

muniter reperiuntur ; et duo dubitationi subsunt, *an* et *quomodo* peccatores sint ad baptismum admittendi : unde duarum materia conclusionum.

Conclusio 1ª.— PECCATORES CUM VALIDE TUM LICITE ESSE POSSUNT SUBJECTUM BAPTISMI, DUMMODO RECEDANT A VOLUNTATE PECCANDI, SALTEM PER ATTRITIONEM.

1ª *Pars* comperitur ex ipso *baptismi scopo :* — Iis enim expedit conferre baptismum, ad quos natura sua destinatur. Atqui sacramentum baptismi ad hoc specialiter institutum est ut per ipsum peccatorum sordes, *primario* quidem originalis culpa, *secundario* vero actualia delicta, emundentur, juxta illud (Eph. V, 26) : *Mundans lavacro aquae in verbo vitae.* Ergo.

2ª *Pars* nititur verbis *Conc. Trid.* (Sess. VII, cap. 6) : « Moventur per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam quam ante baptismum agi oportet ». Id autem intellige de *liceitate*, non de validitate. Cf. C. J. C. (can. 752).

1° Revera hanc pœnitentiam exigit *Scriptura*, v. g. (Act. II, 38) : *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* — 2° *Ratio* ipsa idem suadet : *a*) ex *Baptismi fine.* Per baptismum enim homines Christo incorporantur, novam vitam inchoando. Atqui quamdiu aliquis persistit in voluntate peccandi, nequit esse Christo conjunctus novamque justitiæ viam inire : ergo. *b*) Ex *Baptismi nobilitate.* Baptismus, utpote Christi et Ecclesiæ opus, non est frustra, inconsulte, et *sacrilege* dispensandus. Frustra autem et inconsulte, imo sacrilege dispensaretur peccatoribus peccandi animum retinentibus ; siquidem hæc dispositio prohiberet principalem finem ad quem ordinatur, scil. emundationem a peccato, et sacramenti sanctitatem offenderet : ergo. *c*) Ex *Baptismi significatione.* Baptismus ita est administrandus ut salvetur veritas signi sacramentalis. Atqui veritas hæc nequaquam salvatur in eo qui se baptismo abluendum præbet, interius vero peccati sordibus adhæret : ergo.

3ª *Pars* docet, sufficere ad baptismum *attritionem* de peccatis (S. Offic. 6 jun. 1860).— *Ratio* est quia, si contritio perfecta, caritati necessario connexa, requireretur, jam homo accederet ad baptismum justificatus.— Hinc *S. Thomas* (a. 4 ad 2) : « Sacramentum baptismi non est exhibendum nisi ei in quo interioris conversionis *aliquod signum* apparet ; sicut nec medicina corporalis adhibetur infirmo, nisi in eo aliquis motus vitalis naturæ appareat ». Et clarius (4 S. D. VI, Q. I, a. 3 ad 5) : « Ad hoc quod homo præparet se ad gratiam in baptismo percipiendam præexigitur fides, sed non caritas ; quia sufficit *attritio* præcedens, etsi non sit contritio ».

Conclusio 2ª.— PECCATORIBUS NEC SUNT POST BAPTISMUM INJUNGENDA OPERA SATISFACTORIA, NEC EST ANTE BAPTISMUM CONFESSIO SPECIALIS IMPONENDA.

1ª *Pars* (ut patet) accipitur, non de operibus pœnalibus quæ catechumenis *ante* baptismum, *dispositionis* ad instar, imponuntur, sed de operibus quæ *post* baptismum per modum *satisfactionis* se habeant.— Est *de fide* ex *Conc. Flor.* (Decr. pro Arm.).

Prob. sic : — Passio Christi-Capitis, cujus membra sumus, fuit de se sufficientissima ad satisfaciendum pro peccatis omnium hominum. Atqui Christi satisfactio plenarie applicatur baptizatis. Ergo eis non sunt injungenda opera satisfactoria. *Min.* ostend : homo per baptismum morti Christi configuratur seu consimilatur et secundum ritum[1] et secundum effectum, quatenus, in sacro fonte demissus vel circumfusis undis veluti submersus, peccato penitus moritur novumque induit esse spirituale, juxta illud (Rom. VI, 3-4) : *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit. . . ita et nos in novitate vitae ambulemus.* Atqui ex perfecta configuratione cum morte Christi inferre pronum est perfectam fructuum ejusdem mortis participationem ; novum quoque esse, ritu baptismali comparatum, prorsus abjicit peccati vetustatem cum omni annexa pœna, quemadmodum generatio aufert proprietates consequentes formam præcedentem generati[2]. Ergo.

2ª *Pars* intelligitur de confessione *speciali* quæ *sacerdoti* fieri *debeat : a*) non enim quæstio est de confessione *generali* quam baptizati faciunt secundum Ecclesiæ ritum abrenuntiando Satanæ et omnibus pompis ejus ; *b*) nec etiam prohibetur confessio specialis libere et *ex mera devotione* facta.

Ratio asserti triplex est : — *Prima*, quia confessio, de qua agitur, *sacramentalis* est ; Pœnitentiæ autem sacramentum non antecedit baptismum, qui janua est omnium sacramentorum.— *Secunda*, quia confessio illa *superflua* est in baptizatis, quibus omnia peccata perfecte per baptismum remittuntur.— *Tertia*, quia in se pœnosa est propter verecundiam confitentis, et præterea involvit tanquam tertiam sacramenti pœ-

[1] — « Baptismus... agit virtute et passionis et resurrectionis et ascensionis, inquantum homo *configuratur Christo* passo per immersionem qua quodammodo Christo consepelitur, et ei resurgenti quantum ad nitorem qui resultat ex aqua, et ascendenti quantum ad elevationem baptizati de sacro fonte » (4 S. D. IV, Q. II, a. 2, quæstiunc. 6 ad 2).

[2] — C. G. l. IV, c. 59.

nitentiæ partem, impositionem operis *satisfactorii;* sed baptizato nulla (ut diximus) exterior pœna et satisfactio imponitur. Ergo.

ARTICULUS IV.

Utrum intentio suscipiendi Baptismum, nec non fides requiratur ex parte baptizati.

(Art. 7-8)

In hoc articulo agere propositum est de *conditionibus* quæ in adultis universaliter requiruntur sive ad validam sive ad licitam et fructuosam Baptismi receptionem, scil. de *intentione* et *fide.*— *a*) Quod spectat ad intentionem, ratus est *Cajetanus* (in art. 7) satis esse ad valorem baptismi ut baptizandus non habeat contrariam voluntatem, quamvis positive non consentiat, sed *neuter* se habeat. *b*) Quod ad fidem attinet, jam compertus est error *rebaptizantium* juxta quos baptismus in hæresi collatus et susceptus non esset validus. — His præhabitis, duo statuamus.

Conclusio 1ª.— Ad valorem baptismi requiritur ex parte baptizati voluntas seu intentio positiva suscipiendi sacramentum, quæ tamen intentio potest esse duntaxat habitualis et implicita, necnon aliqualiter coacta.

1ª *Pars* tanquam *certa* communiter admittitur a theologis.

1° Revera suffragatur *auctoritas.*— *a*) Ex *CC. Carthag. III*, cap. 34, et *Arausic. I*, can. 12, habemus posse ægrotantes baptizari, dummodo per se vel per alios *voluntatis* suæ testimonium proferant.— *b*) *Innoc. III* (Decr. III, t. 42, c. 3 *Majores*) statuit : « Ille qui *nunquam consentit*, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit sacramenti ». Dormientes autem et amentes declarat valide baptizari, « si prius catechumeni extitissent et habuissent *propositum* baptizandi.»— *c*) Accedit *Rit. Rom.* (de Bapt. adult.) : « Si quis adultus sit baptizandus, debet prius... ejus voluntas et propositum sæpius explorari, et nonnisi sciens et *volens*... baptizari », item *Codex* (can. 752) : « Adultus nisi sciens et volens, probeque instructus, ne baptizetur ».— *d*) Hæc est, inter alios, diserta *S. Augustini* et *S. Thomae* doctrina. Ait ille (de Bapt. l. IV, c. 24, n. 31) : « Si pro eo qui respondere potest, alius respondeat non itidem valet (sacramentum). Ex qua

regula illud in Evang.[1] dictum est... *Ætatem habet, ipse* pro se *loquatur* ». Et *Angelicus* (4 S. D. VI, Q. I, a. 3 ad 3) : « Anima non potest alicui subjici invita ; et ideo voluntas seu intentio facit ad hoc quod homo *se sacramento subjiciat* ». (Cf. hic, a. 7 et 12 ; 4 S. D. VI, Q. I, a. 2, qu. 3).

2° *Ratio* idem confirmat triplici ex medio, scil : — *a*) ex *status mutatione.* Per baptismum homo moritur vitæ peccati et novam vitam orditur, juxta illud (Rom. VI, 4) : *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit... ita et nos in novitate vitae ambulemus.* Atqui non expedit ut adultus tam profundam mutationem de peccato in justitiam subeat sine proprio ac positivo consensu. Ergo.— *b*) Ex *gravibus consectariis.* Humanæ est dignitati consentaneum ut nullus adultus nisi volens officiis adstringatur quæ libertatem præsertim in re gravi cohibeant. Atqui baptismus id, præter alia, involvit ut baptizatum ponat sub jugo ecclesiasticæ jurisdictionis. Ergo.— *c*) Ex *justificationis indole.* Sacramenta ordinantur ad hominis justificationem. Atqui justificatio adulti fit « per *voluntariam* susceptionem gratiæ et donorum » (Trid. Sess. VI, cap. 7) Ergo[2].

2ª *Pars* declaratur.

Et 1° quod sufficiat intentio *habitualis*, *a*) patet imprimis quia, juxta *Concilia*, *D. Thomam*, omnesque theologos, baptismus amenti aut ægro sensibus destituto conferri potest, modo constet de præterita ejus voluntate non retractata : cf. *Codex* (can. 754, nn. 3-4).— *b*) Præterea, ut advertit *S. Thomas* (4 S. *l. cit.*), intentio vel voluntas in baptizato (secus ac in baptizante) requiritur, non quidem quasi causans effectum baptismi, sed solum per modum *consensus removentis* voluntatem contrariam. Atqui ad hoc sufficit voluntas aliquando habita nec revocata, quæ ideo habitualiter et veluti moraliter perseveret. Ergo.

2° Quod intentio illa possit esse tantum *implicita* seu contenta in proposito christiane vivendi (quod virtute claudit propositum recipiendi sacramenta Christi), communis est Doctorum sententia.— Verum non sufficeret *externa* intentio ab hoc proposito saltem implicito aliena : « Si aliquis, inquit *S. Th.* (Suppl. Q. XLV, a. 4), ablutionem exteriorem reciperet, non intendens recipere sacramentum, sed ludere et dolum facere, non esset baptizatus ».

3° Tandem « si sit *coactio* inducens sicut minis vel flagellis, ita quod baptizatus potius eligat baptismum suscipere

[1] — Joan. IX, 21..
[2] — Cf. *de Reparatione*, Disp. V, Q. I, a. 2.

quam talia pati, tunc suscipit sacramentum » (4 S. *l. cit.*) ; siquidem timor ille non tollit voluntarium simpliciter. Minime tamen approbatur hæc agendi ratio.

Conclusio 2ª.— RECTA FIDES IN BAPTIZATO NON REQUIRITUR AD VALIDITATEM BAPTISMI, REQUIRITUR VERO AD FRUCTUOSAM EJUS RECEPTIONEM.

1ª *Pars* evincitur : — 1° ex *praxi Ecclesiae* quæ non consuevit rebaptizare eos qui in hæresi ritu debito baptismum susceperint. Unde *S. Augustinus* (de Bapt. l. III, c. 14) : « Non interest, cum de sacramenti integritate et sanctitate tractatur, quid credat et quali fide imbutus sit ille qui accipit sacramentum ».

2° *Ratione.*— *a*) Duo efficiuntur in anima per baptismum, character et gratia ; adeo ut, charactere impresso sine gratia, sacramentum *simpliciter* percipiatur, etsi non debite. Atqui ad impressionem characteris baptismalis non requiritur recta fides baptizati, sicut nec baptizantis, dummodo adsint cætera ad sacramenti essentiam pertinentia ; non enim perficitur sacramentum per qualitatem et justitiam hominis dantis vel suscipientis baptismum , sed per virtutem Dei. Ergo.— *b*) Sane « non habens fidem circa alios articulos, potest habere rectam fidem *circa sacramentum baptismi*, et ita non impeditur quin possit habere intentionem suscipiendi sacramentum baptismi. Si tamen etiam circa hoc sacramentum non recte sentiat, sufficit ad perceptionem sacramenti *generalis intentio*, qua intendit suscipere baptismum, sicut Christus instituit, et sicut Ecclesia tradit » (a. 8 ad 3).

2ª *Pars* comperitur : — 1° ex verbis Domini (Marc. XVI, 16) : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.*— 2° *Ratione. a*) Fructuosa enim Baptismi receptio subaudit perceptionem præcipui effectus ad quem ordinatur, qui est gratia. Atqui sine recta fide, in qua fundatur justificatio, gratia non habetur ; nam *justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes* (Rom. III, 22). Ergo. *b*) Eam ob causam « sicut sacramentum baptismi *non est conferendum* ei qui non vult ab aliis peccatis recedere, ita etiam nec ei qui non vult infidelitatem deserere. Uterque tamen suscipit sacramentum, si ei conferatur, licet non ad salutem » (resp. ad 4). Cf. *Codex* (can. 752, nn. 1-2).

Solv. obj. (cont. 1ªm concl.).— OBJ. 1.— Baptizatus se habet sicut patiens in sacramento. Atqui intentio non requiritur ex parte patientis, sed ex parte agentis. Ergo.

RESP. *D. M* : . . . sicut patiens passione *coacta*, *N* ; passione *voluntaria*, *C*.— *D. m* : . . . non requiritur intentio producendi

effectum, *C ;* nec recipiendi quod producitur, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Prætermisso eo quod requiritur ad baptismum, homo est denuo baptizandus. Atqui defectus intentionis, utpote res secreta, non videtur exigere rebaptizationem. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m :* Defectus intentionis, de quo nullum sit sufficiens dubium,... *C ;* defectus, de quo per adjuncta habeatur vel moralis certitudo vel sufficiens dubium, non exigit vel absolutam vel conditionatam rebaptizationem, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Baptismus contra peccatum originale datur. Atqui originale peccatum contrahitur sine intentione nascentis. Ergo.

Resp. *D. M :*... præcipue, *C ;* nec secundario contra peccata actualia, *N.*— *D. m :*... et ideo non requiritur intentio quasi causans deletionem illius peccati, *C ;* nec requiritur voluntas removens obicem et mutationi consentiens, *N.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS V.

Utrum pueri necnon furiosi et amentes sint baptizandi.

(Art. 9, 11, 12)

1° De adultis seu rationis usum habentibus satis diximus; nunc de *pueris*, necnon de *iis qui*, vel ex toto vel ex parte rationis usu destituti, *pueris assimilantur.*

2° Præter *Pelagianos* aliosque veteres hæreticos, pædobaptismum aversati sunt *Petrobrusiani*, *Waldenses* et *Albigenses*, *Sociniani*, maxime vero *Anabaptistae* docentes non posse baptismum tradi nisi adultis qui illum per se flagitant.— *Erasmus* (Præf. paraph. in Matth.) censuit homines in infantia baptizatos, ubi adoleverint, interrogandos esse, ratumne habeant quod ipsorum nomine patrini in baptismo polliciti sint ; et, si nolint, liberos esse dimittendos. Huic opinioni favent Protestantes rationalistæ, ut *Wegsheider*, *Bretschneider* et alii ; modernique increduli, post *J. J. Rousseau*, id inter alia dictitant, infantes non esse ullo ritu religioso adstringendos donec ipsi, libertatis suæ conscii, quid agendum sit proprio elegerint arbitrio.

Conclusio 1ª.— Pueri jam nati legitime baptizantur, baptismique obligationibus subjiciuntur ; num vero etiam in maternis uteris tingi valeant, breviter determinatur ; — ubi tres accipe partes.

1ª *Pars fide* constat ex *CC. Milev. II, Later. IV, Vienn.* et *Flor ;* quibus adde *Conc. Trid.* (Sess. V, can. 4) : « Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat... A. S.».

1° Ex *Scripturis* argumenta haud spernenda ducuntur.— *a*) Etenim *circumcisio* figura erat Baptismi adeo manifesta ut baptismus a Paulo dicatur circumcisio (Coloss. II, 11-12). Porro circumcisio dabatur infantibus (Gen. XVII, 12) : cur igitur non etiam baptismus ? — *b*) Præterea, in pluribus locis (Act. XVI, 15 et 33 ; 1 Cor. I, 16) baptizatæ dicuntur *integrae familiae*. At certe in integris domibus rarum est aliquos infantes non reperiri. Inde ergo probabile argumentum merito depromitur.

2° Ex *traditione* res manifestius emergit : paucos testes proferamus. Inquit *Origenes* (in Rom. l. V, n. 9) : « Ecclesia *ab apostolis* traditionem suscepit etiam parvulis baptismum dare ». *S. Ambrosius* (De Abraham, l. II, c. 11, n. 81) : « Nec senex proselytus, nec infans vernaculus excipitur ; quia omnis ætas peccato obnoxia, et ideo omnis ætas sacramento idonea ». Et *S. August.* (De Gen. ad litt. l. X, c. 23, n. 39) : « Consuetudo matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi *apostolica* esset traditio ».

3° Præsto sunt *rationes* theologicæ triplici ex capite, scil : *a*) Ex *necessitate Baptismi*.— « Sicut nullus status mundi fuit in quo esset humano generi præclusa via salutis, ita nulla ætas hominis unius est in qua sibi via salutis præcludatur. Unde cum in pueris sit peccatum originale, per quod a consecutione æternæ salutis impediuntur, oportet quod eis adhiberi possit aliquod remedium ad removendum prædictum impedimentum. Hoc autem est baptismus. Unde *divinae misericordiae* contradicit qui negat baptismum parvulis posse exhiberi, et propter hoc hæreticum est hoc dicere » (4 S. D. IV, Q. III, a. 1, sol. 1).

b) Ex *analogia inter morbum et remedium*.— Etenim, ut Ap. dicit, *si unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiae, et donationis et justitiae accipientes, in vita regnabunt per unum J. C.* (Rom. V, 17). Atqui pueri ex peccato Adæ ejusque voluntate peccatum originale contrahunt. Æquum ergo et consequens est ut etiam voluntate aliena possint gratiam Christi accipere, qua regnent in vita æterna. Regnum autem Dei nobis aperitur per baptismum. Igitur oportuit pueros baptizari, ut, sicut per Adam damnationem incurrerunt nascendo, ita per Christum salutem consequantur renascendo.

c) Ex *agendi essendique ratione* Baptismatis.— Baptismus enim, utpote agens *ex opere operato*, non indiget (absolute) voluntate actuali suscipientis ; quæ voluntas ideo in adultis requiritur, quia isti libertatis jura cum usu rationis exercent, et peccata actualia, contrariæ voluntatis actu removenda, commiserunt.— Præterea, regeneratio baptismalis quodammodo assimilatur *nativitati carnali*, quatenus, sicuti parvuli parentum voluntate concepti et in maternis uteris constituti non per seipsos sed ex matris nutrimento sustentantur, ita etiam pueri, nondum rationis usum habentes, veluti in gremio matris Ecclesiæ gestantur, nec per seipsos, sed per Ecclesiæ actum seu fidem[1] salutem suscipiunt (a. 9 ad 1).

2ª *Pars* (contra *Erasmum* et rationalistas) sancita est a *C. Trid.* (Sess. VII, can. 7-8, 13-14) ; ubi decernitur omnes baptizatos, etiam parvulos, per baptismum subjici universæ legi Christi cunctisque Ecclesiæ præceptis jugiter observandis.

Et 1° quod hæc *obligatio ex baptismo enascatur*, sequenti ratione ostenditur : — Per Baptismum homo fit membrum Ecclesiæ. Atqui quicumque societatem aliquam, sive propriæ voluntatis nutu, sive ipsa nativitatis vi, ingreditur, jure naturali ad ipsius leges observandas adstringitur ; quod patet de membris societatis civilis. Ergo.

2° *Nec* obligatio Baptismo annexa in parvulis *irrationalis* dici debet.— Siquidem *a*) baptizatus « in primis non obligatur nisi ad ea ad quæ *alioqui obligatus* vel obligandus erat[2]. Nam ad legem divinam servandam, ad abrenunciandum diabolo et pompis ejus, omnes tenentur etiam sine baptismo. Rursus omnes tenentur suscipere baptismum, idque divino mandato, et proinde omnes tenentur se subjicere Ecclesiæ et ejus præceptis. *b*) Hoc solum inter adultos et infantes interest, quod illi, quia sui juris sunt, debent propria voluntate se Ecclesiæ subjicere ; et nisi faciant, peccant : isti, quia non sunt juris sui, sed *parentum*, possunt eorum voluntate Ecclesiæ subjici. Itaque est illis *aliena voluntas loco rectae rationis* quam habere deberent, si essent adulti ; proinde nulla eis fit injuria, sed *ingens beneficium*, cum baptizantur, licet inde consequatur obligatio obediendi Ecclesiæ[3]. *c*) Sed neque

[1] — Hoc intellige, *a*) non solum quia baptismus ex se signum est fidei Ecclesiæ in Christum et Trinitatem, sed *b*) insuper quia fides Ecclesiæ causa est quamobrem ad baptismum invitat, baptizantes ministros constituit, baptizatis sponsores, eorum nomine credentes et promittentes, providet.

[2] — « Obligatio in baptismo non fit ad aliquid ad quod non omnis homo teneatur » (4 S. D. IV, Q. III, a. 1 ad 2).

[3] — Nonne quisque homo, citra consensum proprium natus, legitime officiis essentialibus *humanae vitae*, qualia sunt v. g. adorare Deum, venerari

infantes illi, qui carent parentibus et tutoribus, et ab aliquo extraneo baptizantur, queri postea possunt. Nam qui illos baptizant, *agunt eorum causam ;* sicut si quis incideret in hominem lethaliter vulneratum, qui usu linguæ et rationis careret, eumque in domum aliquam portari et a medicis curari juberet, certe non posset ille postea queri de isto homine quod eum obligasset ad solvendam medicis mercedem ; et si quereretur et solvere nollet, ab omni justo judice damnaretur » (*Bellarm.* l. I, c. 8)[1].

3ª *Pars* ut declaretur, tria statuemus :

1° *Nequeunt infantes*, in materno utero existentes, *per hoc baptizari quod abluatur corpus matris*[2]: — *a*) tum quia *anima* pueri, ad cujus sanctificationem ordinatur baptismus, distincta est ab anima matris ; *b*) tum quia *corpus* fœtus animati propria gaudet organizatione qua a corpore matris distinguitur : unde baptismus quo mater abluitur non redundat in prolem.

2° *Infantes* adhuc *in utero positi*, *quorum* tamen corpus, et præsertim *caput*, *utcumque aqua attingi potest*, urgente necessitate baptizandi sunt *sub conditione*, ut constat ex S. C. C. (12 jul. 1794)[3]: — *a*) ratio probabilis ducitur ex principio *D. Thomae* (art. 11), quod ad rationem baptismi requiritur et sufficit ut corpus baptizandi possit « subjici actioni humanæ,» per quam « *aliquo modo* aquâ abluatur ». *b*) Quia tamen perfecta nativitas non est, superest aliquod dubium.

3° « *a*) Expectanda est *totalis egressio* pueri ex utero ad baptismum, nisi mors immineat. *b*) Si tamen primo *caput* egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari, *periculo imminente ;* et non est postea rebaptizandus, si eum perfecte nasci contigerit. *c*) Et videtur idem faciendum, quæcumque alia pars egrediatur, periculo imminente. *d*) Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita consistit sicut in capite, videtur quibusdam quod propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma : *Si non es bapti-*

parentes, obstringitur ? Item *in re civili* nonne infantes, cum adoleverint, omnino tenentur rata habere pacta quæ eorum nomine et præsumpto consensu parentes vel tutores inierunt ?

[1] — Leg. Monsabré, 65e conf : *Le baptisé.*

[2] — Huc referri videntur verba *Ritualis Romani :* « Nemo in utero matris *clausus* baptizari debet ».

[3] — Hoc decretum confirmavit eadem S. C. C. (16 mart. 1897), quatenus illud servandum statuit, etiam si constet « aquam *sine dubio* caput infantis in utero attigisse ».

zatus, ego te baptizo » (*ibid.* ad 4 ; *Rituale Rom.* fere ad verbum S. Thomam exscripsit)[1]. Cf. C. J. C. (can. 746, nn. 1-3).

Conclusio 2ª.— AMENTES ET FURIOSI, CERTIS SUB CONDITIONIBUS, VALIDE LICITEQUE BAPTIZANTUR.

Rem liquido declarat *S. Thomas* (a. 12) ; verba ejus transcribam : — « Circa amentes et furiosos est distinguendum : *a*) *quidam* enim sunt a nativitate tales, nulla habentes lucida intervalla, in quibus etiam nullus usus rationis apparet, et de talibus, quantum ad baptismi susceptionem, videtur esse idem judicium quod de pueris qui baptizantur in fide Ecclesiæ... *b*) *Alii* vero sunt amentes, qui ex sana mente, quam habuerunt prius, in amentiam inciderunt, et tales sunt judicandi secundum voluntatem quam habuerunt dum sanæ mentis existerent. Et ideo si tunc apparuit in eis *voluntas* suscipiendi baptismum, debet eis exhiberi in furia et amentia constitutis, etiamsi tunc actu contradicant : alioquin, si nulla voluntas suscipiendi baptismum in eis apparuit, dum sanæ mentis essent, non sunt baptizandi. *c*) *Quidam* vero sunt qui, etsi a nativitate fuerint furiosi vel amentes, habent tamen aliqua lucida intervalla, in quibus recta ratione uti possunt. Unde si tunc baptizari voluerint, baptizari possunt etiam in amentia constituti, et debet eis tunc sacramentum conferri, si periculum timeatur ; alioquin melius est ut tempus expectetur in quo sint sanæ mentis, ad hoc quod devotius suscipiant sacramentum. Si autem tempore lucidi intervalli non appareat in eis voluntas suscipiendi baptismum, baptizari non debent in amentia constituti. *d*) *Quidam* vero sunt qui, etsi non omnino sanæ mentis existant, in tantum tamen ratione utuntur quod possunt de sua salute cogitare,

[1] — Reliqua de hac materia vid. apud probatos expositores praxis moralis.— Unum subjiciam de *foetu abortivo*. Cl. Lorenzelli (*Phil. theor. inst.*, ed. altera, *Anthrop.* P. III, lect. 3) ex evolutione humani embryonis et necessitate organizationis actu humanæ ad habendum actu hominem concludit (contra plerosque recentiores) nonnisi circa *quartam* hebdomadam a conceptione animam rationalem infundi corpori ; unde subdit (in nota, p. 448) : « Baptismum Ecclesia non vetuit conferri embryonibus, etiam quatuor hebdomadis recentioribus, sub conditione *si es homo ;* non tamen collationem præcepit, præsertim si de unius aut trium dierum embryonibus ageretur, quod sane fecisset, si agnosceret ut veram opinionem divo Thomæ, plerisque, ne dicam cunctis, Doctoribus, et Patribus contrariam. Et quia ex una parte per dictam *conditionem* salvatur reverentia sacramento debita, et ex alia incertus est dies quo conveniens *organizatio* humani corporis perficiatur et anima rationalis creetur et infundatur ; ideo Baptismatis collatio non est negligenda pro embryonibus utcumque tractabilibus ». *Codex* hanc generalem regulam practicam tradit (can. 747) : « Curandum ut omnes fetus abortivi, quovis tempore editi, si certo vivant, baptizentur *absolute*, si dubie, *sub conditione*.»

et intelligere sacramenti virtutem, et de talibus idem est judicium sicut de his qui sanæ mentis existunt, qui baptizantur volentes, non autem inviti ». Doctrinam D. Thomae sequitur *Codex* (can. 754).

Solv. obj. (cont. 1am concl.).— Obj. 1.— In eo qui baptizatur, requiritur intentio suscipiendi sacramentum. Atqui parvuli nequeunt hanc intentionem habere. Ergo.

Resp. *D. M :* In adulto... *C ;* in parvulo, *S. d :* intentio propria voluntate elicita, *N ;* intentio præsumpta ab offerentibus illum ad baptisma, *C.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Pueri eatenus baptizari possent, quatenus crederent fide parentum. Atqui parentes quandoque sunt infideles. Ergo.

Resp. *D. M :*... fide parentum tantum, *N ;*... vel aliorum defectum parentum supplentium, *S. d :* quasi fides absolute requiratur ad validitatem baptismi, *N ;* quia ordinarie in causa est cur tam salutare remedium pueris exhibeatur, *C.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Dicitur (1 Pet. III, 21) : *Salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum.* Atqui infantes nequeunt conscientiam bonam (sicut nec malam) habere. Ergo.

Resp. *D. M :*... quæ conscientia potest esse actualis vel *habitualis, C ; actualis* tantum, *N.*— *D. m :*... actu, *C*; nec habitu per gratiam justificantem, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 4.— Æquum non est ut homo gravibus officiis oneretur voluntate alterius hominis. Atqui in baptismo gravia onera imponuntur, quin puer eis consentire queat. Ergo.

Resp. *D. M :*... voluntate alterius tanquam causâ et citra legitimam potestatem, *C ;* voluntate alterius tanquam occasione et jure legitimæ potestatis, *N.*— *D. m :*... gravia onera imponuntur ex jure divino per characterem, *C ;* ex voluntate offerentium puerum ad baptisma, *S. d : occasionaliter* et quatenus hi agunt vi juris paterni, naturalis vel ecclesiastici, *C ;* quasi eorum voluntas sit *causa* obligationum baptismalium nec ullius juris vel potestatis ductu nitatur, *N.*— *Neg. conseq.*

1° Notandum est obligationes baptismales, infantibus aliisve impositas, directe enasci non ex voluntate offerentium ad baptisma, sed ex *divino jure* per characterem expresso et veluti in anima sigillato, quo Christus dominium suum in voluntates exerit.— 2° Tamen voluntas parentum vel quorumcumque offerentium aliquem ad baptisma *occasio* est illarum obligationum utique legitima : parentes enim (si ipsi

offerant) *paterna auctoritate* agunt ; alii vere quicumque offerentes, potestate quodammodo sibi devoluta ab *Auctore naturae* vel ab *Ecclesia* id præscribente ceu grave charitatis officium[1].

ARTICULUS VI.

Utrum pueri Judaeorum vel aliorum infidelium sint invitis parentibus baptizandi.

(Art. 10 ; cf. II-IIæ, Q. X, a. 12).

Intricatior quæstio, multis distinctionibus elucidanda, sub hoc articulo proponitur : — nonnulla præloqui juverit.

1° Dubium non est quin pueri infidelium et hæreticorum, *usum rationis* habentes, licite invitis parentibus possint, imo debeant baptizari, si vel ex se petant vel persuasione inducantur ad petendum baptisma, neque grave obstet inconveniens : ratio est, quia « jam quantum ad ea quæ sunt juris divini vel naturalis, incipiunt suæ potestatis esse » (a. 10)[2]. — Sed quæstio movetur de pueris *nondum ratione utentibus*.

2° *Certa* est (contra *Durandum*) sententia, fulcita pluribus decretis Sedis Apost. (in specie Bened. XIV, 28 feb. 1747), quod parvuli rationis usu nondum gaudentes *valide* baptizantur contra consensum parentum etiam infidelium : *a*) quandoquidem, ex Ecclesiæ sensu rationisque præscripto, nihil aliud ad baptismi validitatem requiritur nisi debita formæ et materiæ applicatio in subjecto capaci cum intentione baptizandi ; infantes vero, cum nequeant consensum exprimere, citra consensum sunt subjectum baptismi capax. *b*) Nec enim voluntas parentum omnino necessaria est, docente *Augustino* (Ep. 98 ad Bonif.) : « Non scriptum est, nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate aut ex offerentium vel ministrantium fide, sed : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Sp. Sancto* ».— Igitur difficultas, si qua vere sit, versatur circa *liceitatem* talis baptismi.

3° *a*) Rursus *communis* est theologorum doctrina, filios non adultos *baptizatorum* (sive fidelium sive hæreticorum) posse, invitis parentibus, *licite* baptizari saltem *per se :* quia (aiunt) Ecclesia, ratione baptismi, potestatem habet tum in parentes quos cogere potest ad implendum suum officium erga pueros, tum in pueros ipsos e baptizatis natos quibus, parentum

[1] — De hac thesi videndus est *Bellarminus*, qui (l. I, c. 9) triginta sex *Anabaptistarum* argumenta dissolvit.

[2] — Cf. decr. S. C. Prop. Fid. (8 jul. 1895).

defectu, providere debet.— Id tamen hodiernis temporibus, quibus ferme ubique aut grassatur impietas aut prævalet cultuum libertas, *raro expediet ;* et idcirco in praxi statuit *Codex* (can. 751) ut « circa baptismum infantium duorum hæreticorum aut schismaticorum aut duorum catholicorum qui in apostasiam vel hæresim vel schisma prolapsi sint, *generatim* serventur normæ » ; ro infantibus infidelium constitutæ.

b) Quantum vero ad filios non adultos *infidelium* (de quibus præcipue hic sermo est), docuit *Scotus* rectum esse si, adhibitis cautelis, baptizantur invitis parentibus ; contrarium tamen tenet *S. Thomas*, cui communiter theologi assentiuntur, exceptis nonnullis casibus.— Doctrinam intentam duabus conclusionibus comprehendemus.

Conclusio 1ª.— FILIOS INFIDELIUM RATIONIS USUM NONDUM ADEPTOS HAUD LICET, INVITIS PARENTIBUS, BAPTIZARE, QUAMVIS QUIDAM CASUS MERITO EXCIPIANTUR.

1ª *Pars* constat ex *Bened. XIV* (Const. 28 feb. 1747), ubi S. Pontifex doctrinam *D. Thomae* plane approbat ; — *ostend.* tripliciter :

1° Ex *Ecclesiae consuetudine.*— « Maximam habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda ; quia et ipsa doctrina catholicorum doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet. Unde magis standum est auctoritati Ecclesiæ quam auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscumque doctoris. Hoc autem Ecclesiæ usus *nunquam habuit* quod Judæorum filii, invitis parentibus, baptizarentur ; quamvis fuerint retroactis temporibus multi catholici principes potentissimi, ut Constantinus et Theodosius, quibus familiares fuerunt sanctissimi episcopi, ut Sylvester Constantino, et Ambrosius Theodosio ; qui nullo modo prætermisissent ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi » (II-IIæ, Q. X, a. 12).

2° Ex *justitia naturali.*— Filii, qui nondum usum liberi arbitrii adepti sunt, secundum jus naturale continentur sub cura parentum, quamdiu ipsi sibi providere non possint ; adeo ut quidquid de eis ordinetur, invitis parentibus, præfato juri naturali deroget. Atqui Deus ita legem baptizandi constituit ut implenda foret servato jure naturali : ergo. *Maj.* constat ex eo quod filius naturaliter est aliquid parentum ; *min.* evolvitur ex *Cajet.* (in II-IIæ, *l. cit.*). Sane, Deus, qui est auctor naturæ et gratiæ, dupliciter potuit œconomiam fidei christianæ instituere : *uno* modo, ut impleretur salvis naturæ legibus; *alio* modo, ut non obstantibus illis legibus obtineret. Porro, primo modo legem baptizandi statutam fuisse,

ex tribus colligitur : *a*) receptum est enim adagium, quod « gratia perficit, non destruit naturam,» idque ulterius innititur in effato biblico quod « divina sapientia *disponit omnia suaviter.*» *b*) *Nihil* vero in *revelationis fonte* habetur, ex quo innotescat Ecclesiæ jus esse, in baptizandis infidelium filiis, sese substituendi paternæ potestati. *c*) E contra, cum adultus sibi naturaliter providens media propria ratione et voluntate baptismum suscipiat, inferre consentaneum est quod puer, sub providentia parentum positus, media eorumdem parentum ratione et voluntate baptismi gratiam consequatur.

3° Ex *periculo fidei.*— Si enim filii infidelium nondum adulti invitis parentibus baptizarentur, postmodum cum ad perfectam ætatem pervenirent, de facili possent, inclinante naturali affectu, ab eis induci ut relinquerent quod ignorantes susceperunt. Hoc autem in manifestum fidei detrimentum vergeret.

2ª *Pars* subjicitur ad recensendum *casus* qui a regula generali *excipiuntur :* quatuor a theologis assignari solent.

1° Si puer versetur in *mortis periculo*[1], licite potest, inconsultis parentibus, secreto baptizari : quia nec ipse, moraliter loquendo, futuræ apostasiæ exponitur ; nec parentibus, quorum jus in puerum probabilissima morte veluti adimitur, injuria irrogatur. *Conf.* approbatione *Bened. XIV* (l. cit.), necnon missionariorum, utputa S. Francisci Xaverii, praxi. — Pueris illis quoad baptismum æquiparantur filii a nativitate *amentes*, quos rationis compotes aliquando futuros non speratur.

2° Pariter iisdemque de causis licite baptizatur puer *de facto* (sive juste sive injuste) *a parentum custodia abstractus*, cui nulla sit spes reditus ad illos ; tunc enim parentes censentur in eum amisisse saltem *usum* juris paterni.— A fortiori licitus judicabitur baptismus datus puero *a parentibus derelicto*, prout statuit *Gregorius IX* (Decr. l. V, t. 11, c. un. *de inf. et lang. exp.*). Cf. C. J. C. (can. 750).

3° Rursus, licite baptizatur puer, si *alteruter parentum* ad fidem conversus *consentiat*, altero repugnante ; id enim colligitur ex eodem *Greg. IX* (l. III, t. 33, c. 2, *de conv. inf.*), et ex *Codice* (*ibid.*). *Ratio* est, quia uterque parens jus habet in puerum ; et quamvis unus repugnet, æquum est ut prævaleat alterius consensus in favorem fidei et pueri utilitatem.— Idem dicendum aiunt, si, mortuo patre matreque reluctante, consentiat *avus* paternus vel etiam *avia* (Bened. XIV, Bull. Const. 54).

[1] — Cf. decr. S. Off. 28 jan. 1637 ; S. C. Prop. Fid. 18 jul. 1892 ; C. J. C. (can. 750, n. 1.)

4° Tandem plures theologi (Sylvius, Billuart, de Augustinis, etc.) docent filios infidelium *serviliter* subjectorum christianis posse, invitis parentibus, licite baptizari : quod approbandum videtur saltem aliquando (scil. exclusis inconvenientibus quæ notat *Cajet.* in II-IIæ, *l. cit.*) Etenim, licet potestas domini in servi libertatem non se extendat *per se* ad ea quæ sunt juris divini, quia tamen facultatem tribuit separandi filios a parentibus, hac posita separatione et *consequenter* possent tales pueri baptismi aquis ablui[1].

Conclusio 2ª.— Si filios infidelium nondum adultos sive licite sive illicite, invitis parentibus, baptizari contigerit, ecclesiæ jus, imo officium est, eos a prædictis parentibus separare ; — quod quidem intelligendum est, *quatenus fieri possit*, seu pro temporum et societatum conditione. Hæc est doctrina vere catholica, cui tamen contradicunt una cum *incredulis* multi christiani *liberales*.

1° *Ecclesiae mens* manifeste demonstratur ex *Bened. XIV* (Const. 28 feb. 1747, n. 29), ubi ait : « Si jam sacramento initiati essent (præfati infantes), aut detinendi sunt, aut ab Hebræis parentibus recuperandi, tradendique Christifidelibus, ut ab illis pie sancteque informentur ; hic enim Baptismi licet illiciti, tamen veri validique effectus est ». In confirmationem vero addit S. Pontifex canonem *Conc. Tolet. IV*, necnon decr. *Bonifacii VIII* (cap. *Contra*, de hæret. in sexto).

2° Suppetit efficax *ratio*.— Etenim per baptismum valide collatum homo, Ecclesiæ corpori adscriptus, ejusdem Ecclesiæ regimini subjicitur, sub eaque duce obligatur ad implenda officia quæ christiano cuique incumbunt. Atqui filius infidelium christianitati refragantium hæc officia implere nequit nisi subducatur patriæ potestati, qua mox ad apostasiam pertrahetur. Ergo habeatur necesse est collisio jurium, scil. paterni juris jurisque ecclesiastico-divini. Atqui in conflictu hujusmodi *jus ecclesiastico-divinum*, utpote supernaturale, superius, posteriusque constitutum, *praevalere debet* juri paterno, quod naturale est, inferius, atque anterius. Ergo legitimum est ut Ecclesia, in proposito casu, non quidem violet, sed elidat seu suspendat parentum potestatem, eis filium baptizatum subducendo.— *Conf. arg :* quia Ecclesiæ maternitas longe præcellit naturalem parentum curam : *a*) tum zelo *charitatis*, qua filios suos prosequitur ; *b*) tum excellen-

[1] — De materia hucusque disputata, vid. plura particularia apud moralistas vel canonistas.

tia *bonorum* quæ eis procurat ; *c*) tum celsitudine *finis* ad quem eos dirigit[1].

Solv. obj. (cont. 1am concl.).— Obj. 1.— Magis debet homini subveniri contra periculum mortis æternæ quam contra periculum mortis temporalis. Atqui puero in mortis temporalis periculo existenti subveniendum est etiam contra parentum nutum. Ergo.

Resp. *D. M* :... absolute, *C* ; etiam violato ordine juris, *N*. — *D. m* :... supposito quod ordo juris socialis, puta per sententiam judicis, mortem postulet, *N* ; ordinarie, *S. d:* et hoc quia ratio *superior*, scil. bonum societatis civilis, cujus regimini *omnes* parentes subjiciuntur, id exigit, *C* ; jus analogum exerceri potest in societate religiosa contra infideles seu parentes ad eam non pertinentes, *N*.— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Filii servorum sunt servi et ipsi. Atqui servi subjiciuntur potestati dominorum forte christianorum qui velint eos baptizari. Ergo.

Resp. *Trans. M*.— *D. m* :... *servitute omnimoda* quæ jura ipsius humanæ personæ perimat, *N* ; subjectione *civili* quæ nequaquam excludit ordinem juris naturalis vel divini, *C*.— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Quilibet homo, creationis titulo, magis Dei est quam patris carnalis. Atqui in baptismo hominem Deo consecrante jus superius præferendum est. Ergo.

Resp. *D. M* :... ita ut tamen ad Creatorem suum ordinetur mediante ratione vel propria, si adultus, vel parentum, si infans sit, *C* ; prætermissa hac mediatione, *N*.— *D. m* :... jus superius præferendum est et exercendum juxta stabilitum ordinem, *C* ; citra hanc Dei ordinationem, *N*.— *Neg. conseq.*

[1] — Celebris fuit sub Pio IX (an. 1858) controversia circa puerum hebræum *Edg. Mortara*, quem in proximo mortis periculo constitutum famula christiana debito ritu baptizaverat : de qua re mox facta certior ecclesiastica auctoritas puerulum, ne perverteretur, e domo paterna (quæ sita erat intra Status Pontificios) auferendum et Romæ in domo Catechumenorum educandum curavit. Eo cognito, in tota fere Europa, auctoribus præsertim ephemeridum scriptoribus Judaismo et Massonismo addictis, magnis clamoribus adversus R. Pontificem ejusque, uti aiebant, tyrannidem debacchatum est. At ex altera parte nobiles veritatis defensores (nimis pauci tamen), inter quos facile princeps eminuit *L. Veuillot* (vid. *Mélanges*, 2e série, t. V, pp. 1-131), Ecclesiæ doctrinam, quam nos breviter hic exposuimus, omni sub adspectu illustrarunt strenueque tuiti sunt.— Anno 1898, egregiâ epistolâ ad diarium *l'Univers* missâ, hebraeus ille, de quo tam acriter disputatum fuerat, factus Pater *Pius Maria Mortara*, ipse Pio IX jura et gesta circa seipsum puerum optime exposuit et vindicavit.

QUÆSTIO QUARTA

DE EFFECTIBUS BAPTISMI

Alius est effectus *secundarius*, scil. character, de quo satis in superioribus disputatum est ; alius effectus *primarius*, quem antiqui vocabant *rem* tantum sacramenti, quique nunc disquisitioni theologicæ objicitur.— Consulto prætermimus stolidissimum veterum quorumdam hæreticorum morem suscipiendi Baptismum *pro mortuis*, quasi nempe baptismus a vivente susceptus ex se mortuis proficeret (de quo vid. *Drouyn*, l. II, Q. VI, app. 2)[1].— Nec minus absurda videntur quæ de effectu baptismi commenti sunt *Novatores ;* vid. *a*) quod baptizatus non possit peccare et damnari, nisi nolit credere ; *b*) quod baptismus liberet ab observatione legis humanæ et divinæ omnibusque votis ; *c*) quod sola memoria baptismi a peccatis ulterioribus justificet (quæ cuncta damnata sunt a *C. Trid.* Sess. VII, et a cl. *Bellarm.* l. XIV-XVIII refutata).

Quod ad divisionem propositæ quæstionis attinet, hæc lectori logica videbitur : nimirum effectus primarius baptismi, cum sit impedibilis, spectari potest vel *absolute* (a. 1-3) vel quatenus *impediatur* (a. 4) ; absolute vero, aut quoad *substantiam* (a. 1-2) aut quoad *quantitatem* (a. 3) ; demum sub respectu substantiæ, vel secundum remotionem *mali* (a. 1), vel secundum promotionem *boni* (a. 2). Ad singula pergamus.

ARTICULUS I.

Utrum per Baptismum tollatur omne malum culpae et poenae etiam praesentis vitae.

(Q. LXIX, aa. 1-3)

Remotio mali, quæ Baptismo tribuitur, considerari potest tum quoad malum *culpae*, tum quoad malum *poenae ;* pœna autem ipsa potest accipi vel quoad *reatum personalem* vel quoad *poenalitates praesentes* seu defectus naturæ : unde tria determinanda.— Jam olim *Origenistae* docuerant peccata per baptismum non tolli, sed solum tegi ; item et *Messaliani ;* hanc autem hæresim instaurarunt *Lutherus et Calvinus* ex falso supposito quod concupiscentia, certo manens in baptizatis, sit vere proprieque peccatum.

[1] — Cf. quoque S. Thom. *Comm.* in 1 Cor. XV, 29.

Conclusio 1ª.— OMNIA PECCATA PER BAPTISMUM VERE TOLLUNTUR.— Id *de fide* est, ut apparet præsertim ex *Conc. Flor.* (Decr. pro Arm.), necnon ex *Conc. Trid.* (Sess. V, can. 5): « Si quis per J. C. D. N. gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat ; aut etiam asserit *non tolli totum* id quod veram et propriam peccati rationem habet ; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari ; A. S.»

1° Revera *a*) juxta *Scripturas* homo per baptismum *penitus mundatur* (Eph. V,26-27), *renascitur ex Sp. Sancto* (Joan. III, 5), *regeneratur* et *renovatur* (Tit. III, 5) etc. Atqui hæc et similia veram ac *realem* peccati ablationem significant vel saltem subaudiunt. Ergo.— *b*) *Omnia* autem peccata auferri, diserte exprimitur (Ezech. XXXVI, 25) : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris ;* qui locus (teste *Suarezio*, in III, Q. LXIX) a pluribus Patribus de baptismo exponitur.

2° E *traditione* producatur *Tertullianus* (de Bapt. c. 1) : « Felix, inquit, sacramentum aquæ nostræ qua, abluti *delictis* pristinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur ». *S. Cyril. Hieros.* (Catech. III, de Bapt. n. 12) : « Qui mortuus in peccatis descendisti (scil. per immersionem baptismalem), ascendis vivificatus in justitia ». Et *S. August.* (Enchir. c. 64) loquitur de « Baptismatis munere, quod contra *originale* peccatum donatum est, ut quod generatione attractum est, regeneratione detrahatur ; et tamen *activa* quoque peccata, *quaecumque* corde, ore, opere commissa invenerit, tollit ».

3° *Ratione* id decl : — *a*) Etenim, ut Ap. dicit (Rom. V, 16), donum Christi longe efficacius est peccato Adæ, ex quo culpa originalis contrahitur. Atqui Christi donum maxime in baptismo percipitur, quo homo *moritur vetustati peccati* et novam incipit ducere vitam (Rom. VI, 11). Ergo.— *b*) Rem ita evolvit *Angelicus* (4 S. D. IV, Q. II, a. 1) : « In generatione qualibet per introductionem formæ omnis contraria forma expellitur, et etiam dispositio ad formam contrariam, nisi quandoque relinquatur ex indispositione recipientis formam. Unde cum baptismus sit regeneratio in vitam spiritualem, omne quod est vitæ spirituali contrarium, quod scil. *cum gratia stare non potest* quæ est spiritualis vitæ principium, per baptismum tollitur ; et ideo baptismus delet et *originalem* et *actualem* culpam *mortalem*, et quantum est de se etiam *venialem*, quæ disponit ad privationem gratiæ ; quamvis quandoque culpa venialis remaneat post baptismum, mortali remota, propter indispositionem recipientis ».— *c*) Hinc quando aliquis adultus contritione pœnitens ad baptismum

accedit, consequitur remissionem omnium peccatorum ex *baptismi proposito*, perfectius tamen ex *reali* baptismi susceptione (a. 1 ad 2).

Conclusio 2ª. — PER BAPTISMUM HOMO LIBERATUR A REATU TOTIUS POENÆ SIBI PRO PECCATIS DEBITÆ.— Dico *sibi debitae*, eo quod hic agitur de pœna *personae*.— Est *fidei* doctrina diserte tradita in *Conc. Flor.* (Decr. pro Arm.) his verbis : « Hujus sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis et actualis, omnis quoque *poenae* quæ pro ipsa culpa debetur », ita ut, teste *C. Trid.* (Sess. V, can. 5), « nihil prorsus (renatos) ab ingressu cœli remoretur ».

1° E *Veteribus* pauci audiantur ; *Tertullianus* (de Bapt. c. 5) : « Exempto reatu, eximitur et pœna. Ita restituitur homo Deo ad similitudinem ejus, qui retro ad imaginem Dei fuerat ». *S. Greg. Nyss.* (Orat de bapt. Ch.) : « Ut modo natus puellus a criminibus et pœnis liber est, ita etiam regenerationis puer ». *S. August.* docet (Enchir. *l. cit.*) quod in baptismo « solvitur omnis reatus », et (De pecc. mer. et rem. 1. II, c. 28, n. 46) quod baptizatus nihil habet remoræ quominus ad regna cœlorum mox migret.— Unde perpetua *Ecclesiae praxis* fuit ut nulla baptizatis injungeretur satisfactio[1].

2° *Ratio* suffragatur.— Etenim Christus passione sua sufficientissime satisfecit pro omnibus peccatis omnium hominum. Atqui baptismus, quantum in se est, totam efficaciam passionis in baptizatum influit: *a*) tum propter ea quæ supra diximus (quæst. præc., a. 3, concl. 2), quia nempe *speciali ratione* hominem Christo mortuo et redivivo assimilat et conjungit ; — *b*) tum quia est reliquorum sacramentorum veluti *fundamentum* quod congruit esse perfectum, delens quidquid præteritæ corruptionis est ; — *c*) tum etiam quia *primum Principis favorem* exhibet, qui plenus esse solet ; — *d*) quocirca, sicuti ablutione aquæ significat emundationem a culpa, ita *aquae refrigerio significat* subtractionem reatus pœnæ ; — *e*) recte *S. Thomas* (art. 2) : « Omni baptizato communicatur passio Christi ad remedium, ac *si ipse passus et mortuus esset* ».

[1] — Notandum tamen cum *Auctore* (a. 2 ad 3) : « In pœnis quæ judicio humano inferuntur, non solum attenditur qua pœna sit homo dignus quoad Deum, sed etiam in quo sit obligatus quoad homines, qui læsi, scandalizati sunt per peccatum alicujus. Et ideo licet homicida per baptismum liberetur a reatu pœnæ *quoad Deum*, remanet tamen obligatus *quoad homines*, quos justum est ædificari de pœna, sicut sunt scandalizati de culpa. Pie tamen talibus princeps posset pœnam indulgere ».

Conclusio 3ª.— MERITO BAPTISMUS NUNC NON AUFERT POENALITATES HUJUS VITÆ, QUÆ TAMEN EJUS VIRTUTE TOLLENTUR A JUSTIS IN RESURRECTIONE.

1ª *Pars* ostend. triplici ex medio :

1° Ex *habitudine ad Christum.*— Conveniens est ut hoc agatur in membro incorporato quod actum est in capite. Atqui Christus, cui tanquam capiti per baptismum incorporamur, etsi a principio plenus gratia et veritate, fuit tamen passibilitati subjectus, donec per passionem et mortem ad vitam gloriosam perveniret. Ergo etc. Unde ait Ap. (Rom. VIII, 17) : *Haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi, si tamen compatimur, ut et conglorificemur.*

2° Ex *utilitate tribulationum.*— Id haberi in præsenti vita congruit quod est occasio vel materia exercendæ virtutis, scil. humilitatis, patientiæ, fortitudinis in spirituali agone adversus hostem dejectum quidem, nondum tamen peremptum. Atqui hujusmodi sunt pœnalitates præsentes (concupiscentia, ægritudo, etc.), prouti sanctorum experientia attestatur ; in cujus figuram dicitur (Judic. III, 1-2) : *Hae sunt gentes quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem, et... discerent filii eorum certare cum hostibus*[1].

3° Ex *intentione baptismi.*— Nihil baptismo inesse debet quod finem ejus susceptionis corrumpat. Porro si omnes miseriæ sacramento illo tollerentur, sæpe homines ad baptismum accederent non tam futuræ vitæ gloriam quam vitæ præsentis commoda consectantes : quod aversatur Ap. dicens (1 Cor. XV, 19) : *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.*

2ª *Pars* patet, quia gratia in baptismo suscepta semen est immortalitatis.— Huc facit quod edisserit *Auctor* (a. 3 ad 3) : « Peccatum originale hoc modo processit quod primo persona infecit naturam, postmodum vero natura infecit personam. — Christus vero *inverso ordine* prius reparat id quod personæ est, et postmodum simul in omnibus reparabit id quod naturæ est. Et ideo culpam originalis peccati et etiam pœnam carentiæ visionis divinæ, quæ respiciunt personam, *sta-*

[1] — Pulchre *Catech. Trid.* (P. II, de Bapt. n. 49) : « Hujus vitæ conditio, quæ miseriarum plena est, suis voluptatibus et deliciis non caret. Quid enim nobis, qui jam per baptismum veluti palmites insiti sumus in Christum, jucundius aut optabilius esse potest, quam, cruce in humeros nostros sublata, eum *ducem* sequi, nullisque aut laboribus defatigari, aut periculis retardari, quominus ad præmium supernæ vocationis Dei omni studio contendamus ; alii virginitatis lauream, alii doctrinæ et prædicationis coronam, alii martyrii palmam, alii alia virtutum decora a Domino accepturi ? quæ quidem præclara laudis insignia nemini darentur, nisi prius nos ipsos in hujus ærumnosæ vitæ stadio exercuissemus, atque in acie invicti stetissemus ».

tim per baptismum tollit ab homine ; sed pœnalitates præsentis vitæ (sicut mors, fames, sitis et alia hujusmodi) respiciunt naturam, ex cujus principiis causantur, prout est destituta originali justitia, et ideo isti defectus non tollentur *nisi in ultima reparatione naturae* per resurrectionem gloriosam ».

ARTICULUS II.

Utrum Baptismus pro effectu habeat conferre gratiæ dona sive generalia sive specialia et aperire januam regni cœlestis.

(Art. 4-7)

Sacramentum Baptismi non removet malum a baptizato nisi quatenus *positivo* influxu bonum ejus spirituale promoveat : — quod quidem bonum reponitur tum in *medio* ad finem, tum in consequendo *fine* vitæ æternæ ; medium autem sunt tum *gratia* et *virtutes communiter* sumptæ, tum sacramentalia munera baptismo *propria*. Unde tres conclusiones.

Conclusio 1ª.— PER BAPTISMUM CONFERUNTUR GRATIA ET VIRTUTES, ETIAM PUERIS.— Est *de fide* ex *Conc. Trid.* (Sess. V, can. 5 ; Sess. VI, cap. 7 ; Sess. VII, *de sacr. in gen.* can. 6).

1ª *Pars* jam comperta est ex dictis de sacram. in gen. (Disp. I, Q. III, a. 1) : pauca addamus.

1° Legitur (Tit. III, 5-6) : *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Sp. Sancti quem effudit in nos abunde.* Porro *a*) *salus* non obtinetur nisi per gratiam ; *b*) *regeneratio* et *renovatio* requirunt esse novum priori oppositum : prius autem esse claudit privationem gratiæ ; *c*) in baptismo Sp. Sanctus *abunde effunditur*, quibus verbis merito intelliguntur virtutes et dona quasi spirituales divitiæ nobis elargitæ. — 2° *a*) Hunc baptismi effectum, scil. gratiæ et virtutum splendorem, significat naturalis *aquæ claritas* (a. 4 ad 1). *b*) Si quis autem ante baptismum per Christi fidem et votum baptismi explicitum vel implicitum justificetur, postmodum in baptismo *majorem copiam* gratiæ et virtutum consequetur (ad 2). *c*) Neque huic doctrinæ contradicit, quæ in baptizatis reperitur, difficultas ad bonum vel pronitas ad malum ; licet enim *concupiscentia*, ex qua incommoda ista oriuntur, per baptismum non extinguatur, minuitur tamen ita ut dominatum amittat (ad 3).

2ª *Pars* respicit *pueros ;* quibus gratiam et virtutes non dari nisi in perfecta ætate vi impressi characteris baptismalis,

quorumdam veterum fuit opinio (art. 6) : quæ tamen improbata est in *Conc. Vienn.* et definitive in *CC. Flor.* et *Trid.* rejecta.

Sane 1° opinio hæc falsa est *in se : a)* tum quia non agnoscit influxum gratiæ in pueros, sicut et in adultos, a Christo-capite dimanantem ; *b)* tum quia pueris post baptismum decedentibus præcludit viam salutis.— 2° Falsa est in *sua radice :* causa enim erroris extitit prætermissa distinctio, cuique tamen obvia, inter *habitum* virtutum, qui pueris infunditur, et actum seu *exercitium*, quod esse nequit nisi homo jam ratione voluntateque utatur.

Conclusio 2ª.— Baptismo ceu speciales effectus vere hæc attribuuntur, scil. incorporari Christo et Ecclesiæ, illuminari et fecundari.— Munera ista baptismo *propria* ita se habent ut primum sit *fundamentale*, alia autem quasi *consequentia.*

1ª *Pars* continetur his verbis *Conc. Flor.* (Decr. pro Arm.) : « Per ipsum (baptismum) membra Christi et de corpore efficimur Ecclesiæ ».

Et 1° id sonat quod legitur (1 Cor. XII, 13) : *In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus.*— Revera 2° *a)* baptismus imprimit *characterem.* Atqui character baptismalis veluti consecrat hominem Christo necnon Ecclesiæ per quam Christus auctoritatem suam exerit et sacra nobis dispensat. Ergo baptizatus etiam hæreticus sicut Christi, ita et Ecclesiæ potestati (saltem de jure) subjicitur. *b)* Præterea, homo per baptismum regeneratur in *spiritualem vitam*, quæ fundatur in fide Christi, ut Ap. dicit (Galat. II, 20) : *Quod nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei.* Atqui vita non est nisi membrorum Capiti unitorum, a quo sensum et motum suscipiunt. Ergo, dum aliquis ante baptismum ejusque voto fit membrum Christi spirituale, per ipsum sacramentum actu susceptum sensibiliter incorporatur Christo et Ecclesiæ visibili.

2ª *Pars* tangit gratias sacramentales baptismi quæ dicuntur *illuminatio* et *fecundatio* (prout Patres eas nominarunt).

Etenim sicut a capite naturali derivatur ad membra sensus et motus, ita a capite spirituali quod est Christus. Atqui sensus spiritualis consistit in cognitione veritatis qua mens interius *illuminatur*, spiritualis autem motus in gratiæ influxu, quo facultas bonorum operum *fecundatur.* Ergo, quemadmodum incorporari Christo-capiti specialiter baptismo tribuitur, ita illuminari et fecundari ; quæ duo sunt velut illustriores *gratiæ baptismalis adaptationes* secundum vitæ *chris-*

tianæ conditionem.— Utrumque sic declarat *Angelicus ;* et *a*) primo quoad *illuminationem :* « Lumen est quo dirigimur in visionem alicujus rei. Baptismus autem dirigit in visionem spiritualem exteriorem et interiorem. In *interiorem* quidem, in quantum baptismus dicitur sacramentum fidei, quæ oculum mentis idoneum facit ad visionem divinorum ; in *exteriorem* vero, quia baptizatis conceditur inspicere sacram eucharistiam, et non aliis, ut Dionysius dicit » (4 S. D. IV, Q. II, a. 2, sol. 3). *b*) Secundo quoad *fecundationem :* « Fecunditas dicitur dupliciter. *Uno modo* respectu fructus producendi in ipso qui dicitur fecundari : sicut operationes virtutum quidam fructus boni dicuntur ; et hoc modo fecundatur anima in baptismo, cum in eo dentur virtutes non habentibus, et augeantur habentibus. *Alio modo* respectu fructus producendi in altero, sicut cum aliquis per doctrinam et sollicitudinem pastoralem in plebe Dei fructum facit ; et hoc modo fecundatio non pertinet ad baptismum, sed magis ad sacramentum ordinis » (*l. cit.* sol. 4).

Conclusio 3ª.— ALIUS BAPTISMI EFFECTUS EST APERTIO JANUÆ REGNI CŒLESTIS ; — quod lector accipiat opus est non *in genere* (sic enim regnum cœleste per Christi passionem sufficienter omnibus seu toti naturæ humanæ apertum est), sed *in particulari*, quatenus per baptismum passio singulis applicatur.

Enimvero aperire januam regni cœlestis sibi vult removere impedimentum quo quis regnum illud introire prohibetur, scil. culpam et reatum pœnæ. Atqui duo hæc per baptismum integraliter tolluntur. Ergo.— Quapropter « quando passio Christi nondum erat realiter perfecta, sed solum in fide credentium, baptismus proportionaliter causabat januae apertionem, non quidem in re, sed *in spe ;* baptizati enim tunc decedentes ex certa spe introitum regni cœlestis expectabant » (art. 7 ad 2).

ARTICULUS III.

Utrum Baptismus habeat in omnibus æqualem effectum.

Singularis refertur *Paludani* sententia, quod *infantes* per baptismum inæqualem gratiam accipiunt pro inæquali gloria ad quam eos prædestinari affirmat.— Ad quaestionem hujus articuli enodandam, distinguere necesse est cum Auctore duplicem effectum baptismi, unum quidem *per se* ad quem baptismus institutus est, alium *per accidens* quem divina

virtus extraordinarie operatur : quo posito, ad concludendum progredimur.

Conclusio.— Effectus per se baptismi æqualis est in omnibus pueris, nec in adultis variatur ex se, sed ob diversam recipientium dispositionem ; licet effectus per accidens aliter se habeat.

1ª *Pars* (contra Paludanum) hoc argumento *S. Thomæ* adstruitur : — In pueris baptizatis nihil ex parte eorum requiritur, sed illis est quasi dispositio ad salutem *fides Ecclesiæ* et salutis principium *virtus passionis* Christi. Atqui hæc duo æqualiter referuntur ad omnes pueros : ergo (4 S. D. IV, Q. II, a. 3, sol. 3).

2ª *Pars* asseritur ex *Conc. Trid.* (Sess. VI, cap. 7), ubi mensura justitiæ (cujus baptismus instrumentum est) esse profertur « secundum propriam cujusque *dispositionem* et cooperationem ».

1° Ex *Patribus* suffragium præbet *S. Cyrill. Hieros.* qui (Catech. I, n. 5) ait : « Munda vas tuum, ut gratiam capiat abundantiorem ; remissio enim peccatorum ex æquo datur omnibus, communicatio vero Sp. Sancti secundum *proportionem uniuscujusque fidei* conceditur ».— 2° Sic arguere licet : actus agentium recipiuntur in subjectis secundum horum dispositionem ; v. g. licet ignis, quantum est de se, æqualiter ad omnes suum calorem effundat, eo magis aliquis calefit quo magis igni appropinquat. Atqui baptismus quidem de se æqualiter respicit omnes adultos, at non omnes adulti æqualiter se habent ad baptismum : quidam enim cum majori, quidam cum minori fidei et devotionis præparatione accedunt. Ergo necesse est ut quidam plus, quidam minus de gratia baptismali accipiant.

3ª *Pars* est de effectu *per accidens*, ad quem nempe baptismus non est de se ordinatus : hunc itaque dicimus non posse ulli certæ legi subjici, et *ratio* in promptu est, quia divina virtus illum in baptismo miraculose et pro arbitrio operatur, sive sit spirituale, sive corporale quoddam beneficium. Unde *S. Thomas* (art. 8) : « Tales effectus non æqualiter suscipiuntur ab omnibus baptizatis, etiamsi cum æquali devotione accedant ; sed dispensantur hujusmodi effectus secundum ordinem providentiæ divinæ ».— Hac ratione quidam narraverunt *Constantinum* in baptismo fuisse mundatum a lepra.

Solv. obj.— Obj. 1.— Eo major est effectus baptismi, quo plura peccata ab eo tolluntur. Atqui in quibusdam baptizatis

(in pueris) solum peccatum originale tollitur ; in aliis vero, plura pauciorave peccata actualia. Ergo.

Resp. *D. M ;* Eo major est *extensive*... *C ; intensive, N.*— *C. d. m :*... et hoc indicat majorem efficaciam intensivam baptismi, *N ;* majorem efficaciam *extensivam* ob subjecti conditionem, *C.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Per baptismum conferuntur gratia et virtutes. Atqui nonnulli post baptismum majorem sanctitatem et virtutem demonstrant quam alii. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m :*... quia baptismus *de se* inæqualem sanctitatis et virtutis gradum impartitur, *N ;* quia vel inæqualis est baptizandorum devotio vel diversus susceptæ gratiæ usus, *C.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Gratia per modum formæ recipitur in natura, quasi in materia, secundum ejus capacitatem. Atqui natura diversæ perfectionis est in diversis etiam pueris. Ergo.

Resp. *D. M*... prout natura supponit pro mente quæ per baptismum renovatur, *C ;* prout supponit pro corpore a mente seu ab anima rationali informato, *N.*— *D. m :*... et hæc diversitas dependet ex diversitate mentis seorsim sumptæ, *N ;* ex diversa dispositione corporum in quibus animæ ejusdem speciei sunt et agunt, *C.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS IV.

Utrum fictio impediat effectum Baptismi, adeo ut tamen ea recedente baptismus reviviscat.

(Art. 9-10)

1° *Fictus* aliquis generatim dicitur ex eo quod dicto vel facto demonstrat quod rei veritas non habet.— *a*) Si fictio sumatur pro simulata *intentione*, quæ reapse non sit, suscipiendi baptismum, irritatur profecto sacramentum, nec proinde datur reviviscentiæ locus.— *b*) Nunc vero non intentionis, sed *dispositionis* debitæ fictio consideratur : quæ esse potest vel inculpabilis et negativa seu pure *materialis*, vel culpabilis et positiva seu *formalis*.

2° Sub propositi articuli titulo duo continentur inquirenda, scil : num fictio *impediat* effectum baptismi, et si impediat, num baptismus, remota fictione, *reviviscere* valeat.— Porro, quamvis *omnes* concedant eum qui baptismum ficte suscepit, accedente pœnitentia, posse remissionem omnium peccatorum consequi (secus enim præclusa ei esset via salutis) ; discrepantia tamen opinionum est, quatenus *Vasquez* cum aliis paucis probabile censuit remissionem culpæ (contra ac remis-

sio pœnæ temporalis) adscribendam esse non ipsi baptismo reviviscenti sed pœnitentiæ, dum *communius* theologi sentiunt tum culpæ tum pœnæ reatum remitti vi baptismi, semel ac fictionis obex remotus fuerit.

Conclusio 1ª.— FICTIO PER MODUM INDISPOSITIONIS IMPEDIT EFFECTUM POTIOREM BAPTISMI SEU COLLATIONEM GRATIÆ.—Dico *effectum potiorem*, non autem omnem; siquidem, baptismo valide suscepto, character saltem, utpote qui independens a bona dispositione baptizatorum consistit, imprimitur.

1° Sp. Sanctus, disciplina seu sapientia perfectus, abhorret fictionem, juxta illud (Sap. I, 5) : *Sp. Sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Atqui effectus baptismi, maxime qui gratia constat, donum est Sp. Sancti. Ergo.— 2° Quia Deus non cogit hominem ad justitiam (Joan. Damasc.), nullus adultus per baptismum justificatur, nisi ejus *voluntas* baptismum baptismique effectum quodammodo amplectatur. Porro fictus homo interna voluntate aut baptismo aut effectui baptismi contradicit : *baptismo* quidem, si fidem (cujus est professio) rejiciat, vel sacramentum in se aut in suo ritu contemnat; *effectui* vero baptismi, si indevote accedat seu absque dolore de peccatis saltem mortalibus[1] quæ gratiæ opponuntur. Ergo[2].

Conclusio 2ª.— BAPTISMUS, REMOTA FICTIONE, REVIVISCIT SEU GRATIAM CONFERT : QUA AUTEM RATIONE, POSTMODUM EXPLICATUR.

1ª *Pars* (contra Vasquezium et alios) ostend : — 1° ex *S. Augustin* · qui (de Bapt. cont. Donat. 1. I, c. 12, n. 18 ; 1. III, c. 13, n. 18) docet baptismum inter catholicos ficte susceptum non iterari, siquidem « *valere incipiat ad salutem*, cum illa fictio veraci confessione recesserit »; nec similiter baptismum in hæresi susceptum iterandum esse, quia facta reconciliatione hominis cum Ecclesia, incipit baptismus « prodesse », « valere ad dimittenda peccata », « operari salutem ».

2° *Ratione* tum negative, tum positive.

a) *Negative* quidem : etenim consentiunt omnes, ficte baptizatum, si fictionem pœnitentia sustulerit, justificari proindeque mundari a peccato originali cæterisque peccatis baptismo anterioribus. Atqui ex una parte (docente Ecclesia)

[1] — Peccata *venialia*, utpote compossibilia cum gratia, non pertinent ad fictionem impeditivam effectus principalis baptismi (cf. a. 9 ad 3 ; Q. LXXIX, a. 8).

[2] — Cf. 4 S. D. IV, Q. III, a. 2, sol. 2.

peccata illa deleri non possunt nisi per baptismum vel baptismi votum ; ex altera parte, in casu quem expendimus, nec repeti potest baptismus, nec admittitur votum eum suscipiendi, quippe qui semel datus amplius suscipi non potest. Ergo.

b) *Positive* etiam : nam cum aliquid generatur, simul cum forma recipit effectum formæ, nisi sit aliquid impediens ; quo remoto, statim effectum illum consequitur : v. g. simul cum corpus grave producitur, movetur deorsum nisi sit obex, quo seposito jam deorsum moveri incipit. Atqui baptismus est quædam spiritualis regeneratio ; in qua character se habet veluti forma ordinata ad gratiam, peccatorum omnium remissivam, quasi ad proprium effectum. Ergo si effectum istum impediri fictione contigerit, pronum est ut, remota fictione, mox eveniat. *Minor* ut vera sit, accipienda est secundum similitudinem quamdam (*Cajet.* in art. 10) : nimirum character dicitur ordinatus ad gratiam, non *physica* lege causarum naturalium, sed *morali* quadam hujus legis imitatione qua fit ut qui characterem habet (nisi obstet fictio vel statim ac remota fuerit) gratiam infallibiliter sortiatur. Etenim per characterem aliquis efficitur christianus, per gratiam vero filius Dei adoptivus. Atqui ideo aliquis charactere, quasi christianitatis forma, christianus constituitur, ut filius Dei evadat. Ergo.

2ª *Pars* decl :

Et 1° asserimus, remota fictione, baptismum *mediante charactere* reviviscere seu gratiam conferre, non quidem per influxum primæ actionis divinæ in eodem charactere quadamtenus perseverantem, sed interveniente nova actione gratiæ baptismalis infusiva, « sive Deus utatur charactere tanquam instrumento ad illam causandam, sive conferatur ratione sacramenti prius suscepti » (Billuart, Diss. IV, a. 2).

2° In reviviscentia baptismi *dispositio baptizati* necessaria est.— *a*) Aut enim fictio fuit *materialis* tantum, quin post baptismum commissum fuerit peccatum mortale, et tunc requiritur et sufficit ea dispositio cujus defectu baptismus effectu frustratus est : v. g. attritio supernaturalis in eo cui ignoranti deerat.— *b*) Aut fictio fuit *formalis* (proptereaque sacrilegium naturâ posterius sacramento cujus est profanatio), vel saltem (cum fictione materiali) commissa fuerunt a tempore baptismi peccata mortalia, et tunc baptismus reviviscere non potest nisi peccata baptismate posteriora per sacramentum Pœnitentiæ in re vel in voto simul, imo prius natura, deleantur.

3° In hac concurrentia baptismi et pœnitentiae, *quid ad utrumque sacramentum proprie pertineat*, satis indicat *S. Thomas* (a. 10 ad 2-3) : — *a*) videlicet respectu peccatorum præcedentium baptismum baptismus est causa *per se* agens, pœnitentia vero *per accidens*, quatenus removet prohibens ; respectu autem fictionis et subsequentium peccatorum quæ sunt materia pœnitentiæ, hæc *per se* directe influit.— *b*) Unde « credimus præcedentia peccata remitti quoad culpam et pœnam totaliter (hoc enim continet gratia baptismalis), fictionem vero cum posterioribus peccatis remitti quidem quoad culpam, quoad pœnam vero nonnisi quantum sacramento pœnitentiæ remittitur » (*Cajet.* in h. 1.).

4° Probabilius videtur (contra quosdam) baptismum reviviscentem, ad quem concurrit pœnitentia et dispositio baptizati, *posse majorem gratiam* conferre quam forte sine fictione contulisset : nam major potest esse dispositio præsens ; decet autem gratiam universaliter dari pro subjecti dispositione.

Solv. obj.— Obj. 1. (cont. 1^{am} concl.).— Quicumque baptizantur, Christum induunt (Gal. III, 27). Atqui Christum induere idem est ac omnem baptismi effectum percipere. Ergo.

Resp. *D. M* :... sive per *conformitatem* gratiæ sive saltem per *configurationem* characteris, *C ;* semper utroque modo, *N.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Potest Dei virtus in baptismo voluntatem hominis mutare seu fictionem removere. Atqui effectus causæ agentis nequit impediri per id quod ab illa causa auferri potest. Ergo.

Resp. *D. M* :... potest et *debet*, quasi nempe ordinetur ad hoc ut de ficto faciat non fictum, *N ;* potest quidem sed non debet, utpote ad hoc tantum formaliter tendens ut non fictum accedentem ad baptismum justificet, *C.*— *C. d. m* :... per id quod auferri potest et debet, *C ;* per id quod auferri potest, sed permitti quandoque expedit, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3 (cont. 2^{am} concl.).— Opus mortuum, seu vita gratiæ destitutum, reviviscere non potest. Atqui baptismus ficte susceptus est opus mortuum. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m :* prout se tenet ex parte *hominis*, *C ;* prout est *in se* seu ex parte sacramenti quo Deus ceu principale agens operatur, *N.*— *Neg. conseq.*

QUÆSTIO QUINTA

DE RITIBUS AD BAPTISMUM SPECTANTIBUS

Sub hac postrema quæstione comprehendere propositum est ritus utcumque ad Baptismum pertinentes, tum illum qui *circumcisionis* nomine ad baptismum præparatorius fuit, tum eos diversos quos Ecclesia in *baptismo solemni* adhibere solet. Compresso admodum stylo materiam hanc in duobus articulis expediemus.

ARTICULUS I.

De circumcisione quæ præcessit Baptismum.

(Q. LXX)

Circa circumcisionem (suppositis iis quæ jam loquendo de *efficacia sacramentorum* attigimus) duo impræsentiarum determinanda occurrunt, nempe ejus *habitudo ad Baptismum* et ejus *convenientia*.— Aliæ quidem baptismi figuræ olim extiterunt, teste Ap. 1 Cor. X, 2 ; quod Auctor sic exponit (a. 1 ad 2) : « Protectio columnæ *nubis* et transitus *maris Rubri* fuerunt quædam figuræ nostri baptismi, quo renascimur ex aqua significata per mare Rubrum et Sp. Sancto significato per columnam nubis.» Non tamen in eis inerat ratio signaculi fidei et recipiendi sacramenti quam circumcisioni sumus vindicaturi quæque ad baptismum præparare intendebatur.

Conclusio 1ª.— CIRCUMCISIO FUIT NON SOLUM FIGURATIVA, SED ET PRÆPARATORIA BAPTISMI.— Præparationem intelligimus, non quæ esset secundum exercitium actus (prouti factum est in *baptismo Joannis*), sed quæ tum analogiâ praxis sacramentalis, tum quoque unitate professae fidei mentes præformaret.

1° Testimonium habemus Apostoli opponentis circumcisioni carnali circumcisionem baptismalem, quasi figuræ realitatem, et præviæ dispositioni terminum (Coloss. II, 11-12) : *Circumcisi estis circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi : consepulti ei in baptismo.*

2° Id fuit in Veteri Lege non solum figurativum, sed et præparatorium baptismi quod erat sacramentum in remedium

peccati originalis divinitus institutum, exhibens certam fidei professionem, qua antiqui collegio fidelium aggregabantur. Atqui hisce characteribus gaudebat circumcisio : ergo. *Maj.* constat, quia baptismo hæc tria maxime conveniunt : purgare a peccato originali ; fidei professionem exprimere (unde dicitur fidei sacramentum) ; et hominem congregationi fidelium seu Ecclesiæ associare. *Min.* decl. per partes.— *a*) Et *primo* contra quosdam tenendum est cum *Auctore* (hic. a. 4 ; 4 S. D. I, Q. II, a. 1, sol. 1) circumcisionem institutam fuisse ad delendum peccatum originale. Id enim, præter alios Patres[1], diserte tradit *S. August.* (de Nupt. et Concup. 1. II, c. 11), quod et *ratio* persuadet : siquidem, juxta doctrinam D. Thomæ de explicatione progressiva fidei in Christum venturum, congruebat dari, post tempus legis naturæ, remedium contra peccatum originale expressius protestativum illius fidei quam antea ; nullum autem aliud sacramentum ad hoc assignari potest quam circumcisio[2]. Imo hæc indole sua apte significabat originalis culpæ deletionem.— *b*) *Secundo*, circumcisionem fuisse protestationem veræ fidei testatur Ap. dicens de Abraham (Rom. IV, 11) : *Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei*, qua scil. pater ille credentium, mente cordeque Deo obsequens, credidit (inter alia) multiplicationem sui seminis, ex quo Christus erat nasciturus. « Et ut hæc protestatio et imitatio fidei Abrahæ firmaretur in cordibus Judæorum, acceperunt signum in carne sua, cujus oblivisci non possent ; unde dicitur (Gen. XVII, 13) : *Erit pactum meum in carne vestra in fœdus æternum* » (I-IIæ, Q. CII, a. 5 ad 1).— *c*) *Tertio* ex hoc consequitur quod circumcisio, propter fidem ejus cui data fuerat, distinguebat fideles ab infidelibus, illos in electum populum, characteris ad instar, jungens et aggregans. Ergo etc.

Conclusio 2ª.— CIRCUMCISIO CONVENIENS FUIT TUM QUOAD INSTITUTIONIS TEMPUS, TUM QUOAD EXECUTIONIS MODUM.

1ª *Pars* sibi vult, conveniens fuisse ut circumcisio *tempore Abrahæ*, neque ante, neque post, institueretur.

1° Namque circumcisio (ut diximus) professio erat fidei in Christum venturum. Jamvero inter antiquos patres primus

[1] — Eos vide ap. Billuart, Diss. V, a. 1

[2] — Per circumcisionem poterant *parvuli* originalis peccati, *adulti* vero et actualium peccatorum remissionem consequi, « non tamen ita quod isti liberarentur ab omni reatu pœnae, sicut in baptismo, in quo confertur copiosior gratia » (a. 4 ad 5) : « major enim est effectus rei præsentis (baptismi) quam spei » (circumcisionis) (*ibid.* c. art.)

Abraham promissionem accepit de Christo nascituro, juxta illud (Gen. XXII, 18) : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ ;* ipse etiam primus se a societate infidelium segregavit, mandante Deo (Gen. XII, 1) : *Egredere de terra tua et de cognatione tua.* Ergo.— 2° *Neque ante* congruebat circumcisionem institui. Nam « immediate post peccatum primi parentis, propter *doctrinam ipsius Adæ*, qui plene instructus fuerat de divinis, adhuc fides et ratio naturalis in tantum vigebat in homine, quod non oportebat determinari hominibus aliqua signa fidei et salutis ; sed unusquisque pro suo libito fidem suam aliquibus signis protestabatur. Sed *circa tempus Abrahæ diminuta erat fides*, plurimis ad idololatriam declinantibus ; *obscurata* etiam *erat ratio naturalis* per augmentum carnalis concupiscentiæ usque ad peccatum contra naturam » (a. 2 ad 1). Itaque tunc oportuit ad profitendum fidem et minuendum concupiscentiam ritum circumcisionis inire.— At 3° *non postea :* lex enim a Moyse substituta paterno regimini, quod prius obtinebat, tradi non debuit nisi populo jam in societatem congregato sub signo sensibili distinctivo : hoc signum fuit præaccepta circumcisio.

2ª *Pars* de modo executionis decl :

Et 1° *soli populo Judaïco* danda erat circumcisio : quippe hæc, una cum deletione peccati et fide, significabat specialem sanctitatem nascituri seminis, Christi ; unde illi tantum populo competebat ex quo Salvator oriturus erat. « Apud alios autem manebant adhuc eadem remedia quæ fuerant ante circumcisionem data, quia eis non oportebat specialia sanctitatis documenta et remedia dare » (4 S. D. I, Q. II, a. 2 ad 1).

2° Congrue etiam *maribus*, non feminis, circumcisio dabatur : *a*) tum quia peccatum originale, contra quod specialiter ordinabatur, a *patre* trahitur, non a matre ; *b*) tum quia fides significanda partim versabatur circa *paternitatem* Abrahæ respectu Christi ex eo nascituri ; *c*) tum etiam quia populi fidelis *distinctio*, quam exprimebat, principaliter sumitur ex parte virorum. *d*) Addi posset quod per hoc ostendebatur sacramenti figuralis *imperfectio* in ordine ad baptismum præfiguratum utrique sexui competentem.

3° « *Circumcisio* convenienter fiebat in *membro generationis : primo* quidem, quia signum erat fidei qua Abraham credidit Christum ex suo semine nasciturum : *secundo*, quia erat in remedium peccati originalis, quod per actum generationis traducitur ; *tertio*, quia ordinabatur ad diminutionem carnalis concupiscentiæ, quæ præcipue in membris illis viget» (a. 3 ad 1).

4° Tandem *octavus dies* non absque causa determinabatur circumcisioni : ante enim, nimia est teneritudo infantis ; postea vero, periculum fuisset ne parentes, increscente amore ad filios, eos dolori illi subtraherent.— Tamen præfatus dies imponebatur quantum ad obligationem *præcepti*, non quantum ad efficaciam sacramenti, quod valide alio tempore conferri poterat.

ARTICULUS II.

De cæremoniis ipsius Baptismi.

(Q. LXVI, a. 10 ; Q. LXXI)

Baptismi solemnis cæremonias damnarunt hæretici sæc. XVI, præsertim *Calvinus* et *Illyricus*, qui tamen (ait *Bellarm.* l. I, c. 24) non aliud argumentum proferunt nisi quod ritus isti non sint in Divinis Litteris neque præcepto neque exemplo commendati.— Pauca tantum de hac materia dicemus, in genere primum, dein in particulari, lectorem remittentes ad liturgistas vel controversistas.

Conclusio.— Quæ in ritu baptizandi observat Ecclesia convenientia sunt, sive generatim, sive particulatim spectentur.

1ª *Pars* est de cæremoniis baptismi *in genere*.

1° Referemus verba *Bellarmini* (*l. cit.*) : « Omnes ritus, quibus nunc utimur, antiquissimi sunt, et vel ex Apostolorum traditione manarunt, vel a SS. Patribus instituti sunt, quorum auctoritas, præsertim tot sæculis jam confirmata, plus apud nos valere debet, quam Novatorum clamores, cum ipsi nihil probare possint a nobis fieri contra sacras litteras ». Et procedit cl. scriptor, afferens (capp. 25-27) pro singulis ritibus testimonia antiquitatis.

2° Eorumdem rituum *convenientiam* evincit *S. Thomas* (Q. LXVI, a. 10) tripliciter, scil. ex consideratione *sacramenti*, *fidelium* instruendorum, et sacramentalis *effectus*. Illos etenim adhiberi docet propter tria : — *a*) « *primo* quidem ad excitandam devotionem fidelium et reverentiam ad *sacramentum*. Si enim simpliciter fieret ablutio in aqua absque solemnitate, de facili ab aliquibus æstimaretur quasi quædam communis ablutio.— *b*) *Secundo* ad *fidelium* instructionem. Simplices enim, qui litteris non erudiuntur, oportet erudire per aliqua sensibilia signa, puta per picturas et aliqua hujusmodi ; et per hunc modum per ea quæ in sacramentis agun-

tur, vel instruuntur, vel sollicitantur ad quærendum de his quæ per hujusmodi sensibilia signa significantur... *c*) *Tertio*, quia per orationes et benedictiones et alia hujusmodi cohibetur vis dæmonis ab impedimento sacramentalis *effectus* ».

2ª *Pars* de cæremoniis *in specie* (quia hæ vel : ntecedunt, vel comitantur, vel subsequuntur baptismum) trifariam dispertietur.

1° *De cæremoniis præviis Baptismo.*— *a*) Supposita quæ fieri debet aquæ benedictione, primum recensenda est *statio ad fores ecclesiæ* eorum qui baptismo initiandi sunt, « quod indigni sint, qui domum Dei ingrediantur, antequam a se turpissimæ servitutis jugum repulerint, et totos se Christo Domino ejusque justissimo imperio addixerint » (Catech. Trid. P. II, *de Bapt.* n. 60).—*b*) Mox baptizandis et in Christi familiam seu militiam adscribendis *nomina imponuntur ;* quæ quidem sumenda sunt, non a gentibus vel scelestis hominibus, sed potius a sanctis quorum exemplis fideles ad pie vivendum excitentur et patrociniis protegantur (Rit. Rom.; Catech. Trid. *ibid.*) — *c*) Succedit *catechismus* quo, ex præcepto Domini (Matth. XXVIII, 19-20), et prout exigit receptio ejus quod est fidei sacramentum, præcipua religionis christianæ capita exponenda sunt[1]. Et licet infantes doctrinæ capaces non sint, tamen (ut ex Aug. dicit *S. Thomas*, Q. LXXI, a. 1 ad 2) « sicut mater Ecclesia accommodat pueris baptizandis aliorum pedes, ut veniant, et aliorum cor, ut credant; ita etiam accommodat eis aliorum aures, ut audiant, et intellectum, ut per alios instruantur[2]».— *d*) *Exorcismus* sequitur cum annexis cæremoniis. Etenim congruum est ut ante baptismum removeantur impedimenta quæ ejus effectui obstare possent. Jamvero duplex est impedimentum gratiæ baptismalis percipiendæ :

[1] — « Sicut in aliis scientiis et doctrinis quædam sunt communia, quibus ignoratis necesse est artem ignorare, quædam autem propria, quæ sine ignorantia illius doctrinæ ignorari possunt ; ita etiam in doctrina fidei quædam sunt quæ *communia* dicuntur fidei rudimenta, ad quæ credenda explicite omnes tenentur, sicut est fides Trinitatis, et Incarnationis, et Passionis, et divini judicii et providentiæ Dei de factis hominum ; et talis instructio *catechismus* dicitur. De *aliis* autem debet (homo) instrui post baptismum, temporis processu » (4 S. D. VI, Q. II, a. 2, sol. 1).

[2] — Capta occasione notabimus quam exacte *S. Thomas* (a. 4 ad 3) distribuat varia *instructionis* munera ; ait enim : « Multiplex est instructio : *una* conversiva ad fidem... et potest competere cuilibet prædicatori, vel etiam cuilibet fideli. *Secunda* est instructio, qua quis eruditur de fidei rudimentis, et qualiter se debeat habere in susceptione sacramentorum, et hæc pertinet *secundario* quidem ad ministros, *principaliter* autem ad sacerdotes. *Tertia* est instructio de conversatione christianæ vitæ, et haec pertinet ad patrinos. *Quarta* est instructio de profundis mysteriis fidei et perfectione christianæ vitæ, et hæc *ex officio* pertinet ad episcopos ».

unum quidem extrinsecum, prout dæmones, pro potestate quam obtinent ex peccato originali vel etiam actuali, salutem humanam impedire conantur ; *aliud* intrinsecum, quatenus sensus hominis ad capienda divina mysteria peccato præcluduntur. « Unde convenienter ante baptismum expelluntur dæmones per exorcismos, ne salutem hominis impediant ; quam quidem expulsionem significat *exsufflatio. Benedictio* autem cum *manus impositione* præcludit expulso viam ne redire possit. *Sal* autem in os missum, et narium et aurium *sputo linitio* significat receptionem doctrinæ fidei quantum ad aures, et approbationem quantum ad nares, et confessionem quantum ad os » (art. 2). Hæc quidem (sicut et alia) non sunt prætermittenda « nisi in necessitatis articulo ; et tunc, cessante periculo, debent suppleri, ut servetur uniformitas in baptismo. *Nec frustra supplentur* post baptismum, quia sicut impeditur effectus baptismi antequam percipiatur, ita potest impediri postquam fuerit perceptus » (art. 3 ad 3).[1]

2° *De cæremoniis Baptismo conjunctis.*— *a*) Cum propior est accessus ad fontem baptismalem, locum habet *abrenuntiatio;* qua qui nomen Christo daturus est, vel per se vel per patrinum. pollicetur se diabolum et mundum deserere : frustra enim jugo se subjiceret christianæ legis, qui adversæ potestatis servitutem non excuteret.— *b*) Dein baptizandus quasi Dei athleta ungitur *oleo catechumenorum* tum in pectore tum in scapulis : in *pectore* ad recte credendum et sancte cogitandum ; in *scapulis*, ad labores vitæ et bonorum operum fortiter perferendos (Q. LXVI, a. 10 ad 2).— *c*) Jam ad ipsum baptismi fontem consistens fidei, quæ salutis lex et exordium est, *professionem* emittit proprio vel patrini ore : « non est enim inconveniens quod aliquis obligetur per alium in his quæ sunt de necessitate salutis » (Q. LXXI, a. 1 ad 3). Cæterum patrinus, pro puero respondens, non promittit eum crediturum, sed se daturum operam ut credat.— *d*) Postea baptizandus expressam suscipiendi baptismatis *voluntatem* aperit ; quia Dominus neminem, nisi corde adhærentem, in suorum numerum vult abscribi.

3° *De cæremoniis Baptismo posterioribus.*— *a*) Absoluto baptismate, « sacerdos summum baptizati *verticem chrismate* perungit, ut intelligat se ab eo die Christo capiti tamquam

[1] — Sicut catechizare ad lectores, ita exorcizare ad exorcistas *ministerialiter* pertinet (art. 4) ; sed est et superiorum ordinum. « Tamen propter ostendendam unitatem baptismi, consuetum est in Ecclesia ut totum quod ad baptismum pertinet expleatur ab uno, scil. a sacerdote ; et præcipue nunc, quando non venit magna multitudo simul ad baptismum, et sunt multi sacerdotes » (4 S. D. VI, Q. II, a. 3, sol. 3).

membrum conjunctum esse atque ejus corpori insitum, et ea re Christianum a Christo, christum vero a chrismate appellari » (*Catech. Trid.* l. cit.) — *b*) Eum postea *veste alba* induit ; quo symbolo Patres significari docent tum resurrectionis gloriam, tum nitorem ablutæ animæ, tum innocentiam novæ vitæ ducendæ.— *c*) Denique *cereus ardens* in manu baptizati traditur, « qui ostendit fidem charitate inflammatam, quam in baptismo accepit, bonorum operum studio alendam atque augendam esse » (*Catech. Trid.* ibid.).

Sermonem hunc claudemus *advertendo* ex *D. Thoma* (Q. LXXI, a. 3), eorum quæ circa baptizatum aguntur quædam esse quæ *significant* tantum quin aliquid efficiant, cujusmodi est vestis candida ; alia vero esse quæ et significant et *efficiunt* (eo sane modo quem alibi, loquendo de *sacramentalibus*, explicuimus), sive ad removenda impedimenta baptismi, sive ad gratiam baptismalem conservandam.

DISPUTATIO TERTIA

DE CONFIRMATIONE

Præfari libet verbis *D. Thomæ* qui (C. G. IV, 90) summis quasi lineamentis sacramentum illud, numero secundum, describit : « Perfectio spiritualis roboris in hoc proprie consistit quod homo fidem Christi confiteri audeat coram quibuscumque, nec inde retrahatur propter confusionem aliquam vel terrorem : fortitudo enim inordinatum timorem repellit. Sacramentum igitur, quo spirituale robur regenerato confertur, eum quodammodo instituit pro fide Christi propugnatorem. Et, quia pugnantes sub aliquo principe ejus insignia deferunt, hi qui Confirmationis sacramentum suscipiunt signo Christi insigniuntur, vid. signo Crucis, quo pugnavit et vicit ; hoc autem signum in fronte suscipiunt in signum quod publice fidem Christi confiteri non erubescant.»— Unicam *Summæ theol.* quæstionem, per duodecim articulos distributam, in duas partiemur, quarum *prima* erit de sacramento Confirmationis secundum se ; *secunda*, de pertinentibus ad dispensationem hujus sacramenti.

QUÆSTIO PRIMA

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS SECUNDUM SE

Triplici quæsito, *an*, *quid* et ad *quales effectus* sit Confirmatio, respondentes, dicemus secundum logicum Auctoris ordinem primum de *veritate* hujus sacramenti (art. 1), dein de ejus *natura* tum quoad materiam (art. 2) tum quoad formam (art. 3), postea de ejus *effectibus* qui sunt character (art. 4) et gratia (art. 5).

ARTICULUS I.

Utrum Confirmatio sit sacramentum.

1° Ut a *nomine* ipso Confirmationis notionem ducamus, sacramentum hoc multiplici voce significari consuevit : a *materia* quidem *remota*, « chrisma » vel « unguentum »; a *materia proxima*, « impositio manuum » et « unctio »; ab *effectu* vero qui est tum character tum gratia, « signaculum », « donum Spiritus », « perfectio », etc., passim apud Patres veteresque scriptores nominatur.— *Definiri* autem Confirmatio poterit : « Sacramentum Novæ Legis quo per manuum impositionem vel chrismatis unctionem, sub certa verborum forma, confertur baptizatis gratia fidei roborandæ firmiterque profitendæ.» Definitionis veritas ex totius disputationis decursu luculenter emerget.

2° Quod ad *errores* spectat, *a*) ex antiquis *Novatiani* (ut refert *Bellarm.* l. II, c. 1) confirmationem rejecerunt ; quos dein imitati sunt *Waldenses* et *Wicleffitæ*.— Mox *Novatores* (Lutherus, Calvinus, etc.) iisdem vestigiis insistentes, etsi negare non auderent fuisse in veteri Ecclesia ritum quemdam qui diceretur confirmatio, finxerunt tamen ritum illum non fuisse sacramentum a Christo institutum, sed cæremoniam pure ecclesiasticam, seu examen et catechesim puerorum in infantia baptizatorum, cui posset manuum impositio accedere[1].— Non aliter sentiunt *Protestantes moderni.*

b) Catholicorum quoque duplex opinio falsa recitatur :[2] « *quidam* enim dixerunt quod hoc sacramentum non fuit institutum nec a Christo, nec ab Apostolis, sed postea processu temporis in quodam concilio ; *alii* vero dixerunt quod fuit institutum ab Apostolis » (Q. LXXII, a. 1 ad 1).— «Sed, subdit Auctor, hoc non potest esse, quia instituere novum sacramentum pertinet ad potestatem excellentiæ, quæ competit soli Christo » (*ibid.*) : cf. Disp. I, Q. V, a. 2.

3° Duo a nobis præstanda sunt, unum præcipuum de *veritate* sacramenti Confirmationis, aliud secundarium de *tempore*

[1] — De iis Confirmationis adversariis apposite Bellarminus (*l. cit.*) : « Doctrinam suam illi tam crassis mendaciis, tantaque impudentia conviciorum et blasphemiarum onerant, ut plane perspicuum fiat eos, qui hoc sacramentum oppugnant, recipere mali spiritus plenitudinem, sicut e contrario qui illud reverenter suscipiunt, S. Spiritus plenitudinem consequuntur ».

[2] — Huc revocetur sententia nuper decr. *Lamentabili sane* a S. Officio damnata (prop. 44) : « Nihil probat ritum sacramenti confirmationis usurpatum fuisse ab Apostolis ; formalis autem distinctio duorum sacramentorum, baptismi scil. et confirmationis, haud spectat ad historiam christianismi primitivi ».

ejus institutionis : quæ una propositione bimembri determinabimus.

Conclusio.— CONFIRMATIO VERUM EST NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM, LICET DE TEMPORE QUO INSTITUTUM A CHRISTO FUERIT NON TAM PLANE CONSTET.

1ª *Pars*, multis *Conciliorum* ac RR. *Pontificum* decretis inde a primis sæculis sancita (vid. *Bellarm.* l. II, c. 3-4), contra Novatores confirmata est a *Conc. Trid.* (Sess. VII, de Conf. can. 1) : « Si quis dixerit, confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, et non potius verum et proprium sacramentum ; aut olim nihil aliud fuisse quam catechesim quamdam qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, A. S.»

1° Ex *Scriptura* arguemus.— Tria ad rationem secramenti proprie dicti requiruntur, nempe ut sit signum sensibile, gratiæ propriæ collativum, secundum divinam fixamque institutionem. Atqui tria hæc dicta in Scripturis reperiuntur de illo ritu, quem Confirmationem nominamus : ergo. *Maj.* constat ex disputatione *de Sacram. in genere ; min.* ostend. per partes : — *a*) Et *primo* legitur (Act. VIII, 12 sqq.; XIX, 1 sqq.) per *orationem* et *manuum impositionem* super baptizatos datum fuisse Sp. Sanctum ; ritu autem illo contineri signum sensibile, cuique per se apparet. Et id ad propositum satis est, cum quæstio de eo quod nomine impositionis manuum significatur magis ad essentiam confirmationis pertineat.— *b*) *Secundo*, ut elucet ex citatis Scripturæ locis, vi impositionis manuum conferebatur gratia sanctificans propria : dico *vi* impositionis manuum, siquidem et *immediata* effectus conjunctio cum signo sensibili, et particula *per*, hanc efficaciam haud obscure demonstrant ; dico *gratia sanctificans*, quippe locutiones illæ, *Sp. Sanctum dari, accipi, venire*, biblico ac theologico usu significant collationem doni sanctificantis cui inhabitatio superni Spiritus in anima annectitur (quamvis simul accipi etiam possint charismata quædam extraordinaria) ; dico rursus gratia *propria* quæ distinguatur a gratia baptismali, nam gratia illa dabatur *jam baptizatis nec a quocumque* baptizante, ad *virtutem* et *robur* secundum promissionem factam Apostolis (Act. I, 8) sed extensam ad omnes fideles (*ibid.* II, 17 sq : XV, 8).— *c*) Tandem *tertio* institutio illa erat divina et permanens : *divina* quidem, nam Apostoli non ita ordinarie et secure imposuissent manus omnibus baptizatis ad dandum Sp. Sanctum nisi Dominus hoc eis mandasset ; *permanens* vero, quia secundum Christi promissionem Sp. Sanctus fidelibus omni tem-

pore dandus erat, cujus virtute omnes ad robur indigent; unde etiam narratio Act. VIII et XIX ritum ordinarium satis per se indigitat.

2°Ex *Patribus* et antiquis scriptoribus eadem veritas certo evinci potest. Ait *Tertullianus* (de Bapt. c. 7): «Exinde, egressi de lavacro, perungimur benedicta unctione ; » et parallelismum inter baptismum et confirmationem, velut inter duo sacramenta, mox subjicit : « In nobis carnaliter currit unctio, sed spiritaliter proficit : quomodo et ipsius baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur ; spiritualis effectus, quod delictis liberamur.» *S. Cyrill. Hier.*, qui in suis catechesibus, confirmationem cum baptismo et Eucharistia connumerans, illam idcirco pro vero sacramento habet, sic loquitur (Catech. mystag. 3 de Chrismate, n. 3) : « Deum unguento visibili inungitur corpus, sancto et vivifico Spiritu anima sanctificatur.» *S. Augustinus* non minus luculenter scribit (cont. litt. Petil. l. II, n. 104) : « Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est sicut ipse baptismus »; quod sacramentum alibi (de Trin. l. XV, c. 16, n. 46) per impositionem manuum designat. — Omittimus[1] documenta liturgica *veterum Ecclesiarum* etiam *schismaticarum*[2] (cf. *Sasse*, de Conf. th. 1).

3° *Ratio* convenientiæ præsto est.— Cum sacramenta Novæ Legis ordinentur ad speciales gratias, ubi occurrit specialis gratiæ effectus vel ratio, ibi censendum est haberi speciale sacramentum. Atqui præter et post baptismum *specialis* datur gratiæ effectus vel ratio : ergo. *Min. prob.* Quia sensibilia et corporalia gerunt spiritualium et intelligibilium similitudinem, ex his quæ in vita corporali aguntur percipere possumus quid gratiæ speciale in vita spirituali existat. Atqui in vita corporali specialis quædam perfectio est quod homo ad virilem ætatem perveniat virilesque actiones exercere valeat : quod quidem ei contingit per motum augmenti, motu generationis posteriorem. Igitur et in ordine spirituali specialis gratiæ effectus est quod homo, accepta per baptismum vita regenerationis, perfectione christianæ virilitatis augeatur et novæ cujusdam pentecostes muneribus locupletetur.

2ª *Pars* est, non jam de ipsa institutione Confirmationis quam certo constat fuisse immediate factam a Christo, sed de *tempore* institutionis ; circa quod plures emissæ sunt opiniones.— Quod verius videtur, paucis aperiemus.

[1] — In scripto ab Illmo Rahmani recens invento et edito (1899), cui titulus : *Testamentum Domini Nostri J. C.*, expressa fit mentio et descriptio sacramenti Confirmationis (cf. Diss. VII, n. 5).— Hujus tamen, licet antiqui, documenti ætas inter eruditos controvertitur.

[2] — De parte biblica ac patristica hujus theseos vide plura apud Bellarminum et Drouyn.

Et 1° notentur verba *D. Thomæ* (a. 1 ad 1) : « Christus instituit hoc sacramentum, non exhibendo, sed promittendo, secundum illud Joan. XVI, 7 : *Si non abiero, Paraclitcus non veniet ad vos ; si autem abiero, mittam eum ad vos.* Et hoc ideo, quia in hoc sacramento datur plenitudo Sp. Sancti, quæ non erat danda ante Christi resurrectionem et ascensionem, secundum illud Joan. VII, 39: *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus* ».— Ex his colligimus sacramentum confirmationis non fuisse exhibitum seu *administratum* ante Christi ascensionem, licet antea fuerit institutum.

2° Dici potest quod « aliquo modo *præfiguratum* fuit hoc sacramentum in manus impositione Christi super pueros » (4 S. D. VII, Q. I, a. 2 ad 1).— At, juxta probabiliorem sententiam quam tenent *Suarez*, *Sylvius*, *Gonet*, etc., institutio Confirmationis locum habuit *in ultima cœna*, ubi etiam adventum Sp. Sancti seu effectum sacramenti promisit Dominus : in hunc sensum quadrant verba quæ tribuuntur *Fabiano* P. (Ep. 2, ad Ep. Or.[1] c. 1) : « In illa die Dominus Jesus, postquam cœnavit cum discipulis suis et lavit eorum pedes (sicut a SS. Apostolis prædecessores nostri acceperunt nobisque reliquerunt), Chrisma conficere docuit ».

Solv. obj.— Obj. 1.— Sacramenta N. L. fuerunt in V. L. præfigurata. Atqui non apparet confirmationem fuisse præfiguratam. Ergo.

Resp. *D. M* :... vel proxime et directe, vel remote et indirecte, *C ;* proxime et directe tantum, *N.*— *C. d. m :* non fuit *indirecte* figurata per unctionem Pontificum qua significabatur unctio Christi Institutoris confirmationis[2], *N ;* non fuit *directe* figurata per aliquod signum ejusdem generis, quia status Legis, utpote imperfectus, non poterat repræsentare sacramentum plenitudinis gratiæ, *C.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Sacramenta ordinantur ad hominum salutem. Atqui sine confirmatione (suscepto baptismo) potest esse salus. Ergo.

Resp. *D. M* :... tum ad salutem simpliciter, tum quoque ad perfectionem salutis, *C :* ad salutem simpliciter tantum, *N.*— *C. d. m* :... *simpliciter*, dummodo tamen non prætermittatur ex contemptu, *C ;* cum ea *perfectione* quam confirmatio adducit, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Per omnia sacramenta homo Christo, sacramentorum auctori, conformatur. Atqui confirmatione non videtur

[1] — Non diffitemur authenticitatem hujus epistolæ passim ab eruditis in dubium vocari.

[2] — 4 S. D. VII, Q. I, a. 1 ad 3.

homo conformari Christo, quippe qui non legitur esse confirmatus. Ergo.

Resp. *D. M* :... sive quaod sacramentum susceptum, sive quoad rem seu effectum sacramenti, *C* ; quoad sacramentum tantum, *N.*— *C. d. m*... secundum rationem ipsius *confirmationis*, *C* ; secundum *effectum* qui est plenitudo gratiæ, *N.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

Utrum chrisma, ab episcopo consecratum, sit conveniens materia Confirmationis.

(Q. LXXII, aa. 2-3)

1° Cum natura sacramentorum ex materia et forma coalescat, proximum est ut materiam in primis, deinde autem formam Confirmationis, inquisitioni theologicæ subjiciamus.— *Materia* vero spectari potest vel *in se* et remote, vel in sua *præparatione* per episcopalem consecrationem, vel in sua *applicatione* per chrismationem : quæ tria singillatim expendenda sunt.

2° Licet *nonnulli* catholici olim æstimaverint solam manuum impositionem, sine chrismatis unctione, esse materiam confirmationis, communi consensu theologi docent materiam *remotam* hujus sacramenti esse chrisma seu oleum balsamo admixtum et ab episcopo consecratum, *proximam* vero materiam esse unctionem seu chrismationem etiam independenter (quod tamen pauci negant) a prævia manuum impositione.— De balsamo insuper controversia est, quibusdam illud requirentibus solum ex necessitate præcepti, pluribus vero etiam ex necessitate sacramenti.— Doctrinam *S. Thomæ* trium conclusionum ambitu distributam proponemus.

Conclusio 1ª.— Chrisma vere et convenienter assignatur pro materia remota confirmationis ; num vero balsamum, quod oleo admiscetur, pertineat ad essentiam sacramenti, breviter inquiritur.

1ª *Pars* est de chrismate in genere.

Et 1° quod *vere* chrisma sit materia Confirmationis, tam distincte colligitur ex *Conc. Flor.* (Decr. pro Arm.) et *Conc. Trid.* (Sess. VII, can. 2) ut sententia opposita amplius sustineri nequeat absque erroris, imo (juxta Suarez) et hæreseos nota.— *a)* Potissimum argumentum[1] sumitur ex *traditione*

[1] — Nonnulli, quorumdam Patrum (Cyr. Hier., Ambr., Aug.) sententiis ducti, argumentum proferunt ex Scriptura (2 Cor. I, 21-22 ; 1 Joan. II, 20 et 27)—At probabile est, Patres illos nonnisi per accommodationem quamdam

quam attestantur tum Patres jam citati (art. præc.) aliique plurimi nomine *chrismatis* vel *unctionis* confirmationem designantes, tum Ecclesiæ latinæ *Ritualia* et *Euchologia* Græcorum vetustissima in quibus chrisma ceu confirmationis materia exhibetur.— *b*) Nec negotium facessit quod *Apostoli* confirmasse referantur per solam manuum impositionem. Nam (prætermisso quod chrismatis linitio est quædam manus impositio) optime rem explicat *D. Thomas* ex *privilegio* Apostolorum (a. 2 ad 1) : « Ad impositionem, inquit, manus apostolorum et etiam ad eorum prædicationem descendebat plenitudo Sp. Sancti super fideles sub visibilibus signis, sicut a principio descenderat super apostolos. Unde Petrus dicit Act. XI, 15 : *Cum cœpissem loqui, cecidit Sp. Sanctus super eos, sicut et in nos in initio.* Et ideo non erat necessaria sensibilis materia sacramentalis, ubi sensibilia signa miraculose exhibebantur divinitus. *Utebantur* tamen *apostoli communiter chrismate* in exhibitione sacramenti, quando hujusmodi visibilia signa non exhibebantur » (cf. 4 S. D. VII, Q. I, a. 2 ad 3).

2° *Convenienter* chrisma adhiberi pro materia confirmationis, ostenditur : — *a*) *Primo* quoad *oleum*. Etenim in hoc sacramento datur plenitudo Sp. Sancti. Plena autem Sp. Sancti gratia apte designatur per oleum quod pingue est, manat ac diffluit, lucet, athletas ungit. Jamvero « *proprietates* olei, quibus significatur Sp. Sanctus, magis inveniuntur in *oleo olivarum* quam in quocumque alio oleo ; unde et ipsa oliva, semper frondibus virens, virorem et misericordiam Sp. Sancti significat. Hoc etiam oleum *proprie* dicitur oleum, et maxime habetur *in usu*, ubi haberi potest » (a. 2 ad 3). Quocirca solum oleum olivarum in usum confirmationis assumitur.[1]— *b*) *Secundo* quoad *balsamum*. Nam in confirmatione homo recipit Sp. Sanctum ad robur quo, de solitaria vita egrediens, jam incipiat se exterius fidelem Deo exhibere. Porro ad hoc significandum congrue adaptatur balsamum, tum propter fragrantiam præcipui odoris quæ redundat ad alios, juxta illud (2 Cor. II, 15) : *Christi bonus odor sumus Deo*, tum propter incorruptionem quam præstat, quasi exprimens incorruptam « famam quam oportet effundere et verbis et factis fidei confessores » (4 S. *l. cit.* sol. 2).

2ª *Pars* concl. ut enodetur, *prænotandum* est catholicos omnes in eo convenire quod balsamum ad confirmationem requiritur *saltem de necessitate præcepti ;* perantiqua enim

unctionem, de qua in iis locis, confirmationi applicuisse. Cf. Cornely, *Comm.* in 2 Cor. I, 21-22 ; qui negat hunc locum intelligi posse de confirmatione.

[1] — Cf. *Semaine relig. de Montréal* (10 déc. 1917).

traditio (prout videre est penes *Bellarm.* l. II, c. 7) chrisma ex oleo balsamoque confectum commemorat, idemque a *Conc. Flor.* et *Ritualibus* præscribitur.— Verum quæstio est inter theologos agitata, num balsamum, sicut et oleum, sit de *essentia sacramenti.*

Dico igitur *probabiliorem* et *communiorem sententiam* esse, quod balsamum sit *de essentia* Confirmationis.— Nam 1° juxta ecclesiasticum loquendi usum ab antiquitate profectum, *chrisma*, uti pars materialis, ingreditur confirmationis naturam. Atqui chrisma, ex eodem usu, sumitur pro mixto ex oleo balsamoque confecto. Ergo.— 2° Quod pertinet ad *materiam* confirmationis est de ejus essentia ; siquidem id materia dicitur, quod una cum forma essentiam rei constituit. Atqui balsamum pertinet ad materiam confirmationis : hoc enim expresse docet post *S. Thomam* (4 S. D. VII, Q. I, a. 2, sol. 2) *Catech. Trid.* (P. II, de Conf. n. 6), imo et *Conc. Flor.* dicens (Dec. pro Arm.) : « Materia (confirmationis) est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, et balsamo, quod odorem significat bonæ famæ.» Ergo.— 3° Mens *D. Thomæ* amplius elucet ex eo quod (hic, art. 2 ad 4), cum proposita objectio occasionem præberet declarandi (quod erat facile responsum) balsamum non esse materiam *necessariam* confirmationis, tacita hac responsione, confugit Auctor ad aliud.— 4° Difficultatem afferre videtur decretum *Innoc. III*, qui interrogatus « si confirmationis sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non chrismate, sed oleo delinitus», respondit « quod in talibus non est aliquid iterandum, sed caute supplendum quod incaute fuerat prætermissum » (Decr. l. I, tit. 16, c. 1). Verum non immerito plerique theologi dicunt sensum decreti esse quod cæremoniæ sacramenti jam adhibitæ iterari non debent, suppleri autem privatim debet defectus substantialis, scil. omissio chrismatis utique constantis ex oleo et balsamo[1].

Conclusio 2.ª— LONGE PROBABILIUS EST QUOD CHRISMA CONFIRMATIONIS DEBEAT ESSE PRIUS AB EPISCOPO CONSECRATUM.— Dicitur ab *episcopo :* licet enim quidam arbitrentur posse simplicem sacerdotem delegari a R. P. ad chrisma conficiendum[2], contrarium tamen verius esse apparet tum ex invariabili Ecclesiæ praxi, tum ex verbis *Clementis VI* ad Patriarch. Arm. (ap. Raynaldum) « quod per nullum sacerdotem, qui non est episcopus, chrisma potest *rite* et *debite*

[1] — Vid. plura ap. Suarez, Sylvium, Billuart, etc.

[2] — Apud Bened. XIV, Syn. Diœc. l. VII, c. VIII, n. 1-2.

consecrari.»— Conclusio intelligenda est non tantum de necessitate *præcepti* quam Ritualia et Codex (can. 781) manifeste demonstrant, sed etiam de *necessitate sacramenti.*

1° *Auctoritate* persuadetur.— *a*) Semper enim Ecclesia usa est vel *omnino* utendum jussit chrismate benedicto ab episcopo : cujus rei testes existunt, præter plures Patres, ut *S. Basil.*, *S. Cyrill. Hieros.*, etc., *Innoc. I* (Ep. 25 ad Decent.) et *Eugenius IV* (Decr. pro Arm.) — *b*) Accedit *analogia* desumpta ex materia Extremæ-Unctionis ; nam a Paulo V et Greg. XVI « temeraria et errori proxima » declarata est propositio «quod sacramentum ext. unct. oleo, episcopali benedictione non consecrato, ministrari *valide* possit.»— *c*) Præterea non solum favet plana *D. Thomæ* opinio (prouti colligitur tum ex titulo, tum ex corpore art. 3), sed plerique theologi, teste Suarezio, in hanc sententiam declinant.

2° *Ratione congrua* confirmatur.— Sicuti instrumentum duplici virtute gaudet, scil. una qua est et alia qua movetur, ita materia sacramenti duplici sanctificatione indiget, nempe una qua adaptetur usui sacramentali, et alia qua ad effectum applicetur. Atqui quorumdam quidem sacramentorum (Baptismi et Eucharistiæ) materiæ ex ipso usu Christi aptitudinem acceperunt ad perfectionem sacramenti, unde de illorum necessitate non est quod materia prius benedicatur, quanquam ad solemnitatem benedicitur ; sed Christus ipse non adhibuit unctiones visibiles, « ne (ait Auctor) fieret injuria invisibili unctioni qua est *unctus præ consortibus suis*, ps. XLIV.» Ergo chrisma (sicuti et oleum infirmorum) prius debet benedici quam ad sacramentalem usum adhiberi.

Conclusio 3ª.— Manus impositio ad confirmationem essentialiter requisita non distinguitur ab ipsa chrismatione.— *Supponitur* quod Patres (una cum Scripturis) diserte tradunt, confirmationem conferri per *manus impositionem ;* et quamvis olim de ea re dubitatum fuerit, *certum* jam atque exploratum est, præsertim post *Bened. XIV* (encycl. *Ex quo primum*) et decret. S. C. *de Prop. Fide* (1840), præviam manuum impositionem non esse confirmationi essentialem, sed eam requiri et sufficere quæ in ipsa chrismatione includitur[1].

1° Id quasi *consectarium* eruitur ex eo quod supra constituimus, chrisma esse materiam remotam confirmationis : materia siquidem proxima non est nisi remotæ materiæ appli-

[1] — Cum aliqua manus impositio, ea scil. quæ unctioni nectitur, necessaria sit, ideo de necessitate sacramenti *immediate* manu ministri chrismatio fieri debet (cf. C. J. C. can. 781, n. 2), secus ac in extrema-unctione quam concedunt tradi quandoque posse *mediante* instrumento.

catio ad effectum ; unde patet mens *D. Thomæ.*— 2° *Græci* non aliam manus impositionem in confirmando adhibent quam eam quæ chrismationi annexa est. Porro, docente Bened. XIV (*l. cit.*), verum exstat in Ecclesia Greca confirmationis sacramentum, nec probabile putamus in re adeo essentiali Latinos a Græcis discrepare.— 3° Non solum quidam veteres, ut *Tertull'anus* (de Resurr. carn. c. 8), utrumque simul, nempe tum unctionem tum manus impositionem[1], pro confirmatione commemorant, sed posteriores scriptores, rem magis definientes, expresse conclusionem nostram adstruunt. Ita *auctor exegesis* (in Ps. XXVI, inter opp. *Bedæ*) : «Illa, inquit, unctio quæ per manuum impositionem fit ab episcopis et vulgo confirmatio dicitur » etc. *Rab. Maurus* (De cler. inst. l. I, c. 28) : « Episcopus baptizatum per manus impositionem cum ipso chrismate consignat ;» aliique plures, quibus accedit *Innoc. III* (Decr. l. I, t. 15 de sacr. unct., 7) dicens : « Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio ». Tandem notentur verba *Codicis* (can. 780) : « Sacramentum Confirmationis conferri debet per manus impositionem cum unctione chrismatis » etc.

Solv. obj.— Obj. 1.— Confirmatio instituta est a Christo promittente discipulis Sp. Sanctum. Atqui ipse misit eis Sp. Sanctum absque chrismatis inunctione. Ergo.

Resp. *D. M* : . . . eadem ratione conferendum Apostolis ac cæteris fidelibus, *N* ; conferendum Apostolis exceptionaliter, cæteris vero fidelibus sacramentaliter, *C.*— *D. m* : . . . quin aliquod signum sensibile chrismatis unctionem suppleret, *N ;* cum aliquo signo analogico, *C.*— *Neg. conseq.*

1° Christus, ex potestate excellentiæ quam habet, contulit Apostolis rem seu *effectum* confirmationis, scil. plenitudinem Sp. Sancti, sine sacramento, ut salvaretur eorum dignitas qui primitias Sp. S. accipiebant.— At 2° neque hoc factum est sine *analogica* similitudine cum signo sensibili confirmationis : *igneae* enim linguæ, sub quarum specie Sp. Sanctus descendit in apostolos, hoc in istis proportionaliter significabant quod oleum et balsamum significant in reliquis fidelibus.

Obj. 2.— Confirmatio, utpote baptismum perficiens, ei conformari debet. Atqui baptismi materia simplex est elementum, aqua. Ergo non convenit in confirmatione mixtio olei et balsami.

[1] — Huc certe facit descriptio ritus Confirmationis quæ legitur in superius citato documento : *Testamentum D. N. J. C. ;* ubi signate commemoratur unctio *conjunctim* cum manus impositione et formæ prolatione.

Resp. *D. M* :. . . quatenus vitam eamdem, a baptismo datam, compleat et pleniorem reddat, *C ;* quatenus eadem sit in utroque sacramento materiæ ratio et significatio, *N.*— *D. m* :. . . quia baptismus datur ad spiritualem vitam simpliciter conferendam, *C ;* datur, sicut confirmatio, ad conferendum *plenitudinem* Sp. Sancti, cujus est *multiformis operatio* per compositam materiam apte significata, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Ideo aqua assumitur ut materia sacramentalis, quia communissima est. Atqui oleum olivarum non ubique invenitur, et multo minus balsamum. Ergo.

Resp. *D. M* :. . . et quia baptismus est absolutæ necessitatis, *C ;* quasi baptismus non sit magis necessarius quam cætera sacramenta et præsertim confirmatio, *N.*— *D. m* :. . . nec facile potest ad omnia loca deferri, *N ;* ubique de facili obtineri potest, *C.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS III.

Utrum hæc sit conveniens forma Confirmationis : « *Signo te signo crucis* » etc.

1° Prænotandum est, cum forma aptetur materiæ, *opiniones* circa formam Confirmationis diversas olim fuisse pro diversitate opinionum circa ejus materiam, quam nonnulli vel totaliter vel saltem partialiter in prævia manuum impositione reponebant.— At, obtinente nunc communiter sententia quod materia confirmationis in chrismatione seu manus impositione ei consociata tota resideat, forma adæquata constituenda est, non jam in oratione comitante primam manuum impositionem, sed in verbis inter ungendum pronuntiatis.

2° Hæc ipsa forma, unctionem chrismatis concomitans, diversis verbis concipitur apud Latinos et apud Græcos. *Latina* enim forma est : « Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Sp. Sancti ;» *Graeca* vero : « Signaculum doni Sp. Sancti ». Imo (juxta *Martène,* De ant. Eccl. rit. l. I, c. 2) ipsa latina forma temporum decursu nonnullas mutationes passa est.— Quibus præmissis ad concludendum gressum facimus.

Conclusio.— Conveniens est forma confirmationis in usu apud Latinos ; nec aliter est sentiendum de ipsa, etsi minus expressa, Græcorum forma.

1ª *Pars* fulcitur auctoritate *Eugenii IV* (Decr. pro Arm.) ; qui diserte formam illam tradit.

1° *a*) Deest equidem argumentum biblicum ; at in ejus locum sufficiantur quæ *S. Thomas* (art. 4 ad 1) de *apostolis* scribit : « Quandoque, tanquam ministri sacramentorum, hoc sacramentum præbebant, et tunc sicut materia, ita et forma *ex mandato*[1] *Christi* utebantur. Multa enim servabant apostoli in sacramentorum collatione, quæ in Scripturis communiter propositis non sunt tradita.»—*b*) Forma nostra, quamvis carptim et quoad sensum ex antiquioribus *scriptoribus* (Tertull., Ambr., Aug.) colligi queat, integra tamen in eis non reperitur, tum quia in primis Ecclesiæ sæculis lex erat non patefaciendi Gentilibus arcana mysteria, tum quia res in usu positæ, uti ritus sacramentales, haud exigere videbantur scriptis consignari.— *c*) Tamen varii *ordines* confirmationem administrandi, quorum viginti tres collegit *Martène* (*op. cit.*), quique praxim Ecclesiæ inde a sæc. VIII exhibent, verbis vel sensu cum hodierno ordine romano plane consentiunt (Sasse, th. III).

2° *Congruitas* hujus formæ tum absolute, tum comparative a *D. Thoma* evincitur.

a) *Absolute* quidem his verbis (art. 4) : « Sicut forma rei naturalis dat ei speciem, ita forma sacramenti continere debet quidquid pertinet ad speciem sacramenti. Sicut autem ex supra dictis patet, in hoc sacramento datur Sp. Sanctus ad robur spiritualis pugnæ. Et ideo in hoc sacramento tria sunt necessaria, quæ continentur in forma prædicta : quorum *primum* est *causa* conferens plenitudinem roboris spiritualis, quæ est S. Trinitas, quæ exprimitur cum dicitur : *In nomine Patris* etc. *Secundum* est ipsum *robur* spirituale quod homini confertur per sacramentum materiæ visibilis ad salutem, quod quidem tangitur cum dicitur : *Confirmo te* etc. *Tertium* est *signum* quod pugnatori datur, sicut et in pugna corporali milites insigniis ducum insigniuntur, et quantum ad hoc dicitur : *Signo te signo crucis*, in quo scil. Rex noster triumphavit, ut dicitur Coloss. II.» — Hanc ipsam expositionem tradit *Catech. Rom.* (P. II, De conf. n. 9).

b) *Comparative*, seu collatâ forma Confirmationis cum forma Baptismi, idem suadetur (*ibid.* ad 3) : — Et primo pronomen *ego*, quod formæ baptismi (etsi non de necessitate) ad certificandam intentionem apponitur, recte in confirmatione omittitur, quippe quæ non nisi ab excellenti ministro exhibetur.— Ideo autem forma confirmationis *duplicem actum* promit (*confirmo* et *signo*), quia hoc sacramentum non solum ad sanctificationem internam suscipientis ordinatur, sicut bap-

[1] — Cf. Catech. Trid. P. II, *de Conf.* n. 5.

tismus, sed etiam ad externam fidei defensionem.— Tandem in solo baptizandi verbo satis intelligitur et materia seu aqua abluens et effectus salutis ; contra vero, verbum confirmandi minus expressivum est, ideoque *plurium* vocum explicatio apprime congruit.

2ª *Pars* est de *forma Græcorum.*

1° Forma hæc, testibus eruditis (Sasse, *l. cit.*), antiquissima est, Græcorum euchologiis contenta, eorumque theologorum sententiis adstructa. Unde « congregatio cardinalium, ab Urbano VIII ad examen Ritualis Græcorum deputata, circa materiam et formam confirmationis nihil innovandum censuit » (Billuart, art. 6), et *Bened. XIV* (Const. *Ex quo primum*) validam esse penes Græcos confirmationem decrevit.

2° Eadem forma formæ latinæ *quodammodo aequivalet.*— Ait *Angelicus* (4 S. D. VII, Q. I, a. 3 ad 3) : « Variatio formæ in his quæ non sunt de essentia formæ potest tolerari secundum diversas Ecclesiarum consuetudines, dummodo *substantia* formæ apud omnes servetur. » Porro forma græca a latina substantialiter non differt. *Prob :* substantia formæ sacramentalis iis verbis continetur quæ sensum, ut ita dicam, *specificum* seu cuique sacramento proprium sufficienter exprimunt, quamvis materialis ac individua vocum discrepantia habeatur. Atqui per hanc formam « signaculum doni Sp. Sancti » (subintellige « datur,» « ecce,» etc., secundum indolem linguæ græcæ) satis significatur effectus bipartitus confirmationis, nempe signatio veluti militaris (signaculum) et plenitudo gratiæ roborantis (doni Sp. Sancti) : quæ duo potissima et distinctiva sunt in forma latina (signo, confirmo). Ergo.

Coroll.— 1° Consequitur varias modificationes, quibus latina forma quandoque affecta est, quæque præfatam formæ significationem incolumem servarunt, fuisse duntaxat *accidentales.*— 2° Ad mentem *D. Thomae* est, quod verba formæ latinæ, eaque sola, quæ sensum communem Græcis et Latinis exprimunt, sint essentialia : secus enim daretur inter Græcos et Latinos diversitas substantialis, quæ tamen, juxta S. Doctorem (*l. cit.*), tolerari non potest.

ARTICULUS IV.

Utrum Confirmatio imprimat characterem, a praesupposito charactere baptismali distinctum.

(Art. 5-6)

Ad effectum Confirmationis devenimus qui duplex e sacramenti virtute efflorescit, scil. character et gratia.— *Character*

vero, de quo in præsenti articulo, gemina ratione spectari potest, nempe vel *absolute*, vet *relative* seu in ordine ad characterem baptismalem : unde duo in duabus conclusionibus determinanda.

Conclusio 1ª.— SACRAMENTUM CONFIRMATIONIS CHARACTEREM IMPRIMIT.— Hoc quidem, jam communi demonstratione constans (ex Disp. *de Sacr. in gen.*), specialius nunc evincendum est.

1° Ex *traditione ;* cujus testem appello *S. Cyrill. Hier.* (Catech. myst. IV, n. 7) : » Oleo, inquit, caput tuum impinguavit in fronte, per *signaculum* quod habes Dei, ut efficiaris *effigies* signaculi, sanctificatio Dei.»

2° Ex *effectu :* nam ideo sacramentum aliquod non iteratur, quia imprimitur character. Atqui confirmatio nequit iterari, prouti comperitur ex variis Ecclesiæ decretis (ap. *Bellarm.*, l. II, c. 11).— Nec enim quæ objiciuntur ex iteratione olim facta *impositionis manuum* (cf. *Suarez*, *Billuart*, etc.) intelligi debent de sacramento confirmationis, sed de simili quadam cæremonia qua errantium reconciliatio cum Ecclesia firmabatur.

3° Ex *natura rei.*— Cum character sit quædam spiritualis potestas qua homo ad aliquid sacrum deputatur, ubi est specialis deputatio istiusmodi, ibi et specialis character poni debet. Atqui per sacramentum Confirmationis homo *specialiter* deputatur ad aliquid sacrum exercendum : ergo. *Min. prob.* Sicut baptismus quædam est spiritualis regeneratio, ita confirmatio se habet veluti quoddam spirituale augmentum. Atqui, cum in corporali, tum in spirituali vita, alia est actio hominis mox nati, alia actio seu exercitatio competens ei qui jam ad augmentum virilis ætatis devenerit : ergo.— *Arg. evolv.* Etenim *a*) dum in baptismo homo potestatem accipit ad ea sacra quibus solitarie perficitur, in confirmatione vim obtinet fidem publice profitendi et *spiritualiter pugnandi*, quasi *ex officio*, contra religionis hostes visibiles seu persecutores, cujuscumque sint generis. *b*) In *exemplum* emicant *Apostoli* qui, ante acceptum Sp. Sanctum, trepidi clausisque januis in cœnaculo orabant, postmodum vero egressi non verebantur fidem publicare ; itidem *martyres* cujusvis ætatis et conditionis, qui Christi nomen libere ac intrepide coram inimicis confessi sunt. *c*) Modo equidem persecutorum arma mutata sunt, non consilia ; unde eodem illo, quo primitus, valenti confirmatoque opus est animo ad resistendum mundi machinationibus ; sed quod olim patientiâ defendebatur, nunc actione tuendum est ; quod tunc

exemplo, nunc calamo ; quod tunc sanguine, nunc sermone. Faxit Deus ut christiani præsentis ævi, characteris sui suique officii memores, Christi nomen et regnum artibus omnibus, militum fortissimorum ad instar, propugnent atque vindicent !

Conclusio 2ª.— CHARACTER CONFIRMATIONIS A BAPTISMALI CHARACTERE PENITUS DISTINGUITUR, ITA TAMEN UT ILLUM NECESSARIO PRÆSUPPONAT.

1ª *Pars* ponitur ad statuendum characterem confirmationis non esse solum *modum* quemdam characteris baptismalis, sed ab eo distingui ceu *rem* a re.

1° Sane characteres, utpote potentiæ quædam, distinguendi sunt pro distinctione ipsa actuum ad quos ordinantur. Atqui, ut ex dictis liquet, character baptismi et character confirmationis ad actus plane distinctos munerave specifice diversa ordinantur. Ergo (4 S. D. VII, Q. II, a. 1 sol. 2).— 2° Non diffitemur (quod *Cajetanus* in art. 5 contendit) characterem confirmationis reponi aliqualiter posse in genere potentiæ passivæ, in quantum efficit firmos falsæque verecundiæ expertes sacramentorum receptores, et christianæ religionis sectatores, ideoque sic assimilari secundum genus proximum characteri baptismali qui est potentia passiva. At cum potentia illa (confirmationis) non sit pure passiva (prout idem *Cajet.* advertit), sed simul importet vim activam[1] et propugnatricem fidei qua quis firmus Christi sectator consistat, inde habetur sufficiens ratio secernendi veluti æquo gradu et *specifice* characterem confirmationis a charactere baptismali.

2ª *Pars* ita accipienda est, quod si quis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet, sed iterum confirmandus post baptismum foret.— Est propositio *certa* ex Ecclesiæ sensu et praxi.

1° *Ratio* manifeste suppetit, quia ita se habet confirmatio ab baptismum, sicut augmentum ad generationem. Atqui nullus, ut patet, promoveri potest in augmentum perfectæ ætatis, nisi primo fuerit natus. Ergo similiter etc.— Nec 2° huic asserto adversatur quod multi *ante baptismum* Christi fidem publice confessi sint. Nam, cum Dei virtus non sit alligata sacramentis, potest sicut baptismi, ita et confirmationis effectum extrasacramentaliter conferre (supposito tamen saltem implicito sacramenti voto)[2]. Verum, quemad-

[1] — Hinc characterem illum *activam* potentiam vocat *S. Thomas* (4 S. D. VII, Q. II, a. 1 ad 3), qui tamen (III, Q. LXIII, a. 6) docet confirmationem pertinere quodammodo « ad recipientes ».

[2] — Hoc accipe eo proportionali modo quo confirmatio necessaria est : vid. infra Q. II, a. 1.

modum effectus confirmationis seu spirituale robur in charitate radicatum præsupponit effectum baptismi seu justificationem, ita sacramentum confirmationis præsupponit sacramentum baptismi (art. 6 ad 1 et 3).

ARTICULUS V.

Utrum per sacramentum Confirmationis conferatur gratia gratum faciens.

Alter ac præcipuus Confirmationis effectus sub hoc titulo discutiendus proponitur ; quem quidem, sicut et ipsum confirmationis sacramentum, *Novatores* negarunt (Bellarm. l. II, c. 2) dicentes impositionem manuum, de qua in Scripturis, non dedisse nisi dona quædam extraordinaria, scil. linguarum et miraculorum. Duo una conclusione bimembri determinabimus (quæ tamen jam supra, Disp. I, *in genere* constituta sunt), *unum* de gratia communiter sumpta, *aliud* de gratia proprie sacramentali.

Conclusio.—PER SACRAMENTUM CONFIRMATIONIS CONFERTUR SEU AUGETUR GRATIA SANCTIFICANS COMMUNITER SUMPTA ; SUPER QUAM TAMEN GRATIA SACRAMENTALIS QUIDDAM SPECIALE ADDIT PER MODUM SPIRITUALIS ROBORIS.— Utrumque continetur verbis *Eugenii IV* (Decr. pro Arm.) : « Per confirmationem *augemur* in gratia, et *roboramur* in fide ».

1ª *Pars :* — 1° *prob.* ex eo quod, ut jam diximus (art. 1), Sp. Sanctus, qui datur per impositionem manuum vel chrismationem, nequit esse simpliciter in anima sine gratia gratum faciente (cf. *de Deo trino*, Disp. X, Q. III, a. 2).— Hinc exploditur opinio superius recitata *Novatorum :* quippe *a*) dona gratis data non dicuntur in Scripturis simpliciter Sp. Sanctus ; nec mirum, cum esse possint in peccatoribus. *b*) Præterea, dona illa, quæ Scripturæ referunt, non erant communia omnibus, ut patet ex 1 Cor. XII ; at Sp. Sanctus per manus impositionem omnibus dabatur, ut constat ex Act. VIII (ap. *Bellarm.* l. cit.).

2° *Decl.* eadem pars (ex art. 7, ad 1-2).— *a*) Cum gratiæ sit non solum remittere peccatum, sed etiam promovere hominem per omnes gradus usque in vitam æternam, ad gratiam confirmationis (ut vox indicat) *per se* et directe pertinet non jam culpæ remissio, sed justitiæ augmentum et firmatio.— *b*) Idcirco sicut hoc sacramentum non datur non baptizatis, ita nec dari debet adultis *peccatoribus* nisi per pœnitentiam reparatis, qui tunc pleniorem peccati remissionem sortiun-

tur.— *c*) Attamen « si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo *non fictus* accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento consequetur remissionem peccatorum » (resp. ad 2).

2ª *Pars* ostend :

Et 1° *a*) in argumentum est ipsum confirmationis *nomen* ex eo impositum quod « hujus sacramenti virtute Deus in nobis id *confirmat* quod baptismo operari cœpit, nosque ad christianæ *soliditatis* perfectionem adducit » (Catech. Trid. P. II, *de conf.* n. 18).— *b*) Huc sane spectat *virtus ex alto* Apostolis promissa (Luc. XXIV, 49), qua constituerentur intrepidi Evangelii *testes* (Act. I, 8), quæque erat eorum ministerio ad omnes fideles transmittenda (Act. II, 17 sq ; V, 32 ; XV, 8).— *c*) Unde *veteres* confirmationem institutam dicunt modo ad *consummationem* (S. Cypr.), modo ad *christiani* perfectionem (S. Cyr. Hier.), modo ad *plenitudinem* Sp. Sancti (Raban. Maur.), modo ad *augmentum* et *robur* (Innoc. III), etc.

2° *Ratio* hoc ipsum convincit.— *a*) Nam « sacramentales gratiæ ad invicem distinctæ sunt secundum distinctionem eorum ad quæ ordinantur » (4 S. D. VII, Q. II, a. 2, sol. 2). Atqui « gratia baptismalis datur ad perficiendum in his quæ pertinent ad communem statum vitæ christianæ, gratia autem confirmationis ad perficiendum in his quæ sunt difficillima in isto statu, scil. confiteri nomen Christi contra persecutores ; ideo *speciali* gratia ad hoc indigetur ; — et propter hoc alia est gratia confirmationis a gratia baptismi, et contra alium defectum datur. Gratia enim baptismi datur contra defectum qui impedit omnem statum justitiæ in vita christiana, scil. contra peccatum originale et actuale ; gratia autem confirmationis contra defectum oppositum robori quod exigitur in confessoribus nominis Christi, scil. contra *infirmitatem* » (*ibid.*).

b) Opportune *Cajetanus* (in art. 7) : « Gratia, inquit, gratum faciens extensa ad firmandum christianum, ut libere Christum crucifixum confiteatur, secundum *essentiam* gratiæ est *ejusdem speciei* cum gratia collata in baptismo ; sed secundum *auxilium firmitatis* procedentis a gratia (quod gratia sacramentalis vocatur) *specie differt* a gratia baptismali ». — Quapropter super virtutem et donum *fortitudinis* auxiliaque ab eis communiter dimanantia aliquid *specialius* addit gratia sacramentalis confirmationis, nempe auxilium quo infirmitatis morbus, in ordine ad debitam christianæ fidei confessionem, removeatur (4 S. *l. cit.* ad 2).

QUÆSTIO SECUNDA

DE PERTINENTIBUS AD DISPENSATIONEM CONFIRMATIONIS

Dispensatio alicujus sacramenti tria importat, *subjectum*, *ministrum* et *ritum* convenientem : tria hæc de Confirmatione in tribus sequentibus articulis considerabuntur.

ARTICULUS I.

Utrum hoc sacramentum sit omnibus exhibendum ; — qua aetate et necessitate.

(Q. LXXII, a. 8)

1° Sub præsenti titulo duo disquisitioni nostræ objiciuntur, unum de proprio confirmationis *subjecto*, aliud de habitudine subjecti ad hoc sacramentum, quod est, de confirmationis *necessitate*.

2° Quod ad 1um pertinet, opinionum discrepantia magis dicenda est disciplinaris quam doctrinalis.— Quantum vero ad 2um, acerrime inter theologos disputatur. *a*) *Quidam* enim, ut *Scotus*, *P. Soto*, *Tournely*, etc., docent præcepto *divino* teneri omnes adultos ad suscipiendam confirmationem : *b*) *alii*, ut *Alex. Halensis*, *Paludanus*, *S. Alph. Lig.* etc., tuentur præceptum saltem *ecclesiasticum ; c*) *alii* demum, *D. Thomae* vestigia sectantes, nec divinum nec ecclesiasticum præceptum admittunt *per se* loquendo, etsi *per accidens* præceptum haberi posse concedant : quid sentiendum ?

Conclusio 1ª.— SACRAMENTUM CONFIRMATIONIS OMNIBUS BAPTIZATIS EXHIBERI DEBET ; QUANAM AUTEM ÆTATE ILLUD EIS MINISTRARE OPORTEAT, DETERMINANDUM SUSCIPITUR.— Dicitur « omnibus *baptizatis* »; novimus siquidem baptismum januam esse omnium sacramentorum (C. J. C. can. 786).

1ª *Pars* evincitur : — 1° ex *Scriptura*, interprete post D. Thomam *Catech. Trid.* (*l. cit.* n. 14) : « S. Lucas, cum admirabilem illam Sp. Sancti effusionem describeret, ita inquit (Act. II, 2) : *Et factus est repente de coelo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum.* Deinde paucis interjectis (*ibid.* 4) *: Et repleti sunt omnes Sp. Sancto.* Ex quibus verbis licet intelligere, quoniam domus illa S. Ecclesiæ figuram et imaginem gerebat, ad omnes fideles confirmationis sacramentum, cujus initium ab eo die dictum est, pertinere ».

2° *Ratione,* tum generaliter, tum specialiter.

a) *Generaliter* quidem : nam per confirmationem homo promovetur spiritualiter in ætatem perfectam, secundum naturæ corporeæ imitationem. Atqui de naturæ intentione est ut omnis corporaliter natus adolescat et in virum succrescat (licet corporis corruptibilitas et mors id prohibere queat). Ergo multo magis Dei, cujus perfecta sunt opera, intentio est cunctos baptizatos ad perfectionem spiritualem perducere. Porro anima, in qua baptismi et confirmationis gratia recipitur, ætatis et corruptibilitatis nescia est, valens *quocumque tempore* et spiritualem nativitatem et provectioris ætatis perfectionem consequi. Ergo omnibus omnique tempore, absolute loquendo, confirmatio ministranda est.

b) *Specialiter* id decl : — et in primis quoad *infantes* et *pueros.* Nam ætas corporalis non præjudicat perfectioni animae : unde *infantes,* etsi nondum capaces confitendi fidem, possunt per confirmationem consequi gratiæ augmentum et jus ad auxilia futuræ pugnæ vel confessioni congruentia (4 S. D. VII, Q. III, a. 2, sol. 2) ; ad hæc, multi in *puerili* ætate ex percepto Sp. Sancti robore usque ad sanguinem fortiter pro Christo certaverunt (hic, a. 8 ad 2)— Quoad *mulieres :* hæ non sunt excipiendæ, quarum nonnullæ viris ipsis fortiores in cœlestibus agonibus extiterunt. « Etiam quædam mulieres in pugna spirituali gloriosum reportaverunt ab hoste triumphum, sicut patet de b. Agnete, et b. Cæcilia, et aliis » (4 S. *l. cit.* quæstiunc. 3 ad 2).— Quoad *morituros* quoque tenendum, confirmationem non esse eis denegandam, quippe qui « quamvis abstrahantur a pugna, tamen vadunt ad locum præmii, in quo secundum mensuram gratiæ datur mensura gloriæ » (*ibid.* ad 4). Sic enim sine pugna *finem* pugnæ, scil. majorem gloriæ perfectionem, ex divina largitate ac liberalitate sortiuntur (valet eadem ratio de *perpetuo amentibus*).

2ª *Pars* versatur circa *disciplinam* Ecclesiæ de confirmandorum *aetate.*

1° Certo constat ex plurium veterum testimoniis (Tertull., Innoc. I, Greg. M., etc.,) universalem *olim* fuisse Ecclesiæ morem conferendi etiam *infantibus* confirmationem *statim post baptismum,* scil. tempore Paschæ et Pentecostes (Martène, *op. cit.*, c. 2, a. 1). Quamvis vero inde a sæc. XIII-XIV Ecclesiæ Latinæ visum fuerit paulatim ab hac consuetudine recedere, *Graeci* adhuc una cum baptismo ipsos unius diei infantes sacro chrismate consignant, dum in *Hispania* mos obtinet pueros circa secundum vel tertium ætatis annum confirmandi.

2° *Quanam de causa Latini* veterem disciplinam aliquatenus *mutaverint*, satis compertum videtur. Ex una enim parte, populo christiano insigniter multiplicato, factum est ut episcopi non tam facile se conferre possent ad distantes, in diesque numerosiores, baptismi fontes, ubi mox baptizatos confirmarent[1]; ex altera parte, dilato sacro chrismate ad tempus quo pueri jam inciperent divina beneficia pro merito æstimare, magis consulebatur reverentiæ sacramento debitæ.— Ast et *Graecis* suæ non deest consuetudinis ratio : præterquam enim apud eos confirmandi facultas præsbyteris committ·tur qui commode hoc sacramentum statim post baptismum præbere possunt, sic promptius neophytis, quidquid gratiæ communicabile est, procuratur.

3° Penes Latinos, cum alicubi (præsertim in Galliis) mos invaluerit differendi confirmationem usque ad extremam pueritiam quæstio sponte oboritur, num hæc agendi ratio *regulariter* ceu melior sit tenenda, vel potius jam inde a primo rationis usu, scil. a septennio, pueros confirmari expediat.— Postremum hoc procul omni dubio amplectendum esse, sequentia suadent : *a*) *primo* ipse ordo sacramentorum, juxta quem a primis Ecclesiæ sæculis et penes Patres et penes Doctores (puta S. Thom. III, Q. LXV, a 2) confirmatio post baptismum et ante S. Eucharistiam sæpius numeratur ; *b*) *secundo* gravissimorum theologorum sententia, *Suarezii*, *Bossuetii*, *Billuart*, *S. Alph. Lig.*, quibus præiverunt *B. Alb. Magnus* et *D. Thomas* (quanquam isti haud definierint puerilisne vel infantilis ætas confirmationi suscipiendæ magis congruat) ; *c*) *tertio* communis Ecclesiæ praxis quæ colligitur ex variis conciliis particularibus fere omnium regionum[2]: ad quam praxim etiam nonnullæ Galliarum diœceses jam redeunt ; *d*) *quarto* auctoritas *Catech. Trid.* (P. II, de conf. n. 15) de confirmationis administratione scribentis « *minus* expedire hoc fieri antequam pueri *rationis usum* habuerint ; quare, si duodecimus annus non expectandus videatur, usque ad *septimum* certe hoc sacramentum differre *maxime* convenit ;» *e*) *quinto* suffragium *Bened. XIV* (De Syn. diœc. l. VII, c. 10) qui, memoratis pluribus synodalibus decretis de non conferenda confirmatione ante septennium necnon verbis modo recitatis Catech. Trid., subdit (n. 8) : « Quæ traduntur in Catechismo, constituunt regulam ;»

[1] — Hanc rationem indicat *Angelicus* (III, Q. LXXII, a. 12 ad 1) : « Quia hoc sacramentum a solis episcopis datur, qui non sunt semper præsentes ubi presbyteri baptizant, oportuit, quantum ad communem usum, sacramentum Confirmationis etiam in alia tempora (præter Pasch. et Pentec.) differri ».

[2] — Cf. period. *Etudes religieuses*, juillet 1891, ubi præclare ac erudite res comprobatur ; *ibid.* sept. 1892 ; — etiam *L'Ami du Clergé*, 14 fév. 1895.

f) *sexto* recentissima epistola *Leonis XIII* ad episcopum Massiliensium directa (1897) qua Summus Pontifex approbat hujus præsulis propositum de ministranda confirmatione ante Eucharistiam, et utilitatem inculcat vel a teneris armandi pueros ad pugnam spiritualem[1]. *g*) *Septimo*, seriem hanc argumentorum confirmabimus admonendo multis in locis præsertim industrialibus, ubi gens in fluxu est, oriri ex dilatione confirmationis periculum ne pueri, acceptâ semel Eucharistiâ, vel nunquam vel tardius ad confirmationem suscipiendam accedant.— Hæc quidem ante disciplinam de prima communione a Pio X statutam. Ex quo enim communio cœpit primum ministrari pueris circa septimum ætatis annum, eædem rationes non sunt anteponendi Confirmationem primæ susceptioni Eucharistiæ.[2]

4° Tamen fatendum est per *exceptionem* fieri posse ut gravia motiva de judicio Ordinarii suadeant chrismatis inunctionem ultra præfixum et commune tempus differendam, quod *Catech. Trid.* (*l. cit.*) manifeste concedit.— Pariter (docente *Pontificali Rom.* et interpretante *Bened. XIV*, *l. cit.*) interdum permittitur episcopo confirmationem conferre pueris nondum rationis usu fruentibus, ipsisque recens baptizatis, puta ob mortis periculum, locorum distantiam, itineris difficultatem, etc.[3]— Hæc vero, ut dixi, exceptionem constituunt, non regulam.

Conclusio 2.ª— QUAMVIS PER ACCIDENS OMISSIO SUSCIPIENDÆ CONFIRMATIONIS POSSIT ESSE GRAVE PECCATUM, PROBABILIUS TAMEN VIDETUR NON DARI PER SE OBLIGATIONEM NISI LEVEM ILLUD SACRAMENTUM RECIPIENDI.

1ª *Pars* nullo negotio expeditur : si enim omissio illius sacramenti vel ex *contemptu* procedat, vel *scandalo* occa-

[1] — Hæc præcipua sunt e Pontificio documento accipienda : « Propositum tuum laudamus cum maxime. Quæ enim ratio istic aliisque in locis invaluerat, ea nec cum veteri congruebat constantique *Ecclesiae instituto*, nec cum *fidelium utilitatibus*. Insunt namque puerorum animis elementa cupidinum, quæ nisi maturrime eradantur, invalescunt sensim, imperitos rerum pelliciunt atque in præceps trahunt. Quam ob rem opus habent fideles, vel a teneris, virtute indui ex alto, quam sacramentum Confirmationis gignere notum est ; in quo, ut probe notat Angelicus Doctor, Sp. Sanctus datur ad robur spiritualis pugnæ et promovetur homo spiritualiter in ætatem perfectam. Porro sic confirmati adolescentuli ad capienda præcepta molliores fiunt, suscipiendæque *postmodum* Eucharistiæ aptiores, atque ex suscepta uberiora capiunt emolumenta. Quare quæ a te sapienter sunt constituta, optamus ut fideliter perpetuoque serventur ».

[2] — Cf. *Appendice au Rit. rom.*, p. 22 (Québec, 1919).

[3] — Cf. *Codex Juris Can.*, can. 788.— Episcopus Canadensis de Pontbriand confirmationem conferre solebat etiam pueris nondum rationis usum habentibus (Gosselin, *Mgr de Pontbriand*, p. 69, p. 478).

sionem præbeat, vel hominem imparem relinquat ad superanda *fidei pericula*, tunc non ambigitur quin peccatum grave haberi possit.

2ª *Pars :* — 1° suadetur ex auctoritate *D. Thomae* dicentis (4 S. D. VII, Q. III, a. 2, sol. 1) : « Suscipere baptismum est in præcepto, cum sit sacramentum necessitatis... sed sacramentum confirmationis non est necessitatis, sed utilitatis ;» et (hic, a. 1 ad 3) : « Confirmatio est de necessitate salutis, quamvis *sine ea possit esse salus*, dum tamen non prætermittatur ex contemptu sacramenti ». Angelico consentiunt insignes theologi, ut *Suarez*, *Gonet*, *Billuart*, etc.; imo satis aperte etiam *Catech. Trid.* (*l. cit.* n. 14-15).

2° Favet *ratio.*— *a*) Non enim confirmatio necessaria est necessitate *medii :* id omnes concedunt et *Codex* expresse asserit (can. 787).— *b*) Nec necessaria est necessitate *praecepti divini :* nullibi enim, neque in Scriptura, neque in traditione, tale præceptum ligans omnes fideles expressum reperitur.— *c*) Deest tandem *praeceptum ecclesiasticum*, saltem certum et evidens, quo confirmatio imponatur *sub gravi* : aliud est enim necessitatem confirmationis asserere ad hoc ut quis *perfectionem* salutis consequatur, quod quædam pontificia decreta significant nec ullus negat theologus ; aliud est statuere sacramenti illius necessitatem *simpliciter*, quod non videtur ex Ecclesiæ documentis liquido probari posse. Verba *Codicis* (can. 787), scil. « nemini licet, *oblata* occasione, illud *negligere*,» id duntaxat important quod negligens oblatam occasionem suscipiendæ Confirmationis *aliquo modo* peccat.[1]

3° Extat equidem *Benedicti XIV* Const. *Etsi pastoralis*, ubi de Græco-Italis dicitur : « Monendi sunt ab Ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri, si, cum possunt ad confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt »; quæ fere iisdem verbis continentur in quadam *Instructione S. C. de Propag. Fide* pro sacerdotibus delegatis ad conferendam confirmationem.— At (monent graves theologi) in *Const. Benedictina* non generalis, sed *particularis* quæstio agitur, nempe de Græco-Italis, qui, invalide a presbyteris confirmati, ne primam hanc chrismationem, recusata episcopali unctione, pro valida haberent, præcepto inducendi erant ad confirmationem suscipiendam.— Quantum vero ad laudatam *Instructionem* S. C. de Propag. Fide, duo advertenda sunt : *primo* sermonem fieri de iis qui *respuunt* confirmationem, respuere autem non videtur esse sine contemptu vel scandalo ; *secundo* hunc

[1] — Cf. Reverendiss. C.-N. Gariépy, *Nouveau Code de Droit canonique et Théologie morale*, pp. 45-49 (Québec, 1919).

etiam esse casum *particularem*, cum agatur de locis missionum ubi fideles, maximis fidei periculis obnoxii, specialius gratia roborante confirmationis indigent.

ARTICULUS II.

Utrum solus episcopus hoc sacramentum conferre possit.

1° *Minister* confirmationis bifariam distinguitur : alius est enim minister *ordinarius*, alius *extraordinarius*, prout vel ordinario jure vel ex delegatione confirmare valeat ; cujus distinctionis veritas ex dicendis comperta fiet.

2° *a*) Ad ordinem *presbyteralem* pertinere potestatem *ordinariam* confirmandi, docuerunt olim *quidam* presbyteri Ecclesiæ *Eugubinae* et *Calaritanae :* quos sectati sunt *Photiani* sæc. IX ; subinde *Waldenses*, *Wicleffitae*, *Hussitae ;* etiam *Lutherus* et *Calvinus* (si tamen confirmationem admittendam censerent). Nec defuit catholicus quidam, *Armachanus*, se hac in re hæreticis consocians.— *b*) Posse vero ex *delegatione* R. Pontificis *simplicem sacerdotem* confirmare, negarunt aliquando nonnulli[1] theologi, ut *Durandus*, *Estius*, *de Sainte-Beuve*, etc.; quibus tamen communior opinio, post *S. Thomam* et *S. Bonaventuram*, merito contradicit.

Conclusio 1ª.— SOLUS EPISCOPUS MINISTER EST ORDINARIUS CONFIRMATIONIS ; QUIN VALIDITAS SACRAMENTI PROHIBEATUR PER MINISTRUM HÆRETICUM, SCHISMATICUM, VEL EXCOMMUNICATUM.

1ª *Pars* est *de fide* ex *Eugenio IV* (Decr. pro Arm.) et *Conc. Trid.* (Sess. VII, can. 3) : « Si quis dixerit confirmationis *ordinarium* ministrum non esse *solum episcopum*, sed quemvis simplicem sacerdotem ; A. S.» Cf. Sess. XXIII, can. 7, et C. J. C. (can. 782).

1° Subvenit *Scripturae* testimonium. Nam (Act. VIII) missi sunt *Petrus* et *Joannes*, ut per impositionem manuum darent Sp. Sanctum iis quos Philippus diaconus in Samaria baptizaverat ; idemque factum a *b. Paulo* (Act. XIX) legitur. At nulla videtur posse fingi causa cur *soli* apostoli manus imponant, immo cur ad hoc ipsum longum iter suscipiant nisi quia hoc munus proprie pertinet ad primum gradum ecclesiasticum, scil. episcopalem.

2° « Neque ad eam rem demonstrandam desunt *SS. Patrum* atque *Pontificum*, *Urbani*, *Eusebii*, *Damasi*, *Innocentii*,

[1] — Cf. 4 S. D. VII, Q. III, a. 1, sol. 3.

Leonis clarissima testimonia ; quemadmodum ex eorum decretis perspicuum est. *Divus* quoque *Augustinus* graviter queritur de corrupta Ægyptiorum et Alexandrinorum consuetudine, quorum sacerdotes audebant confirmationis sacramentum administrare » (Catech. Trid. *l. cit.* n. 10).

3° *Rationes* congruæ ab Auctore afferuntur : — *a*) *Primo*, in quolibet opere consummatio vel perfectio supremæ arti aut virtuti competit, ut patet in extruendis ædificiis. Atqui fideles Christi sunt quoddam divinum opus, juxta illud (1 Cor. III, 9) : *Dei aedificatio estis ;* hoc autem opus, quasi *domus* per baptismum ædificata, confirmatione perficiente absolvitur et in templum Sp. S. dedicatur. Ergo confirmationis administratio supremis ministris seu episcopis reservanda erat.— *b*) Item *secundo*, epistola, quæ a notario scribitur, a domino signari debet. Atqui fideles comparantur in Scripturis (2 Cor. III, 3) *epistolae* Spiritu Dei in baptismo exaratæ et in confirmatione sub sigillo crucis signatæ. Ergo etc.— *c*) Rursus *tertio*, per confirmationem Christifideles *militiae* divinæ adscribuntur. Atqui constitutio militum pertinet ad principes seu duces (ejusdem enim est condere ac ducere milites) ; duces vero ac principes in Ecclesia sunt episcopi. Ergo (III, Q. LXV, a. 3 ad 2 ; C. G. IV, 60).

2ª *Pars* satis liquet ex alibi disputatis (Disp. I, Q. V).— Cæterum hæresis, schisma vel excommunicatio minime tollunt vim episcopalem in qua confirmandi potestas ordinaria continetur.— Quæ historice objiciuntur ex modo olim recipiendi hæreticos in Ecclesiam, soluta reperiuntur apud eruditos (vid. *Sasse*, th. VI, schol.).

Conclusio 2ª.— Potest simplex sacerdos ex delegatione communi vel peculiari Romani Pontificis esse minister extraordinarius confirmationis.— Id adeo *certum* est, ut contraria sententia *temeritate* pervicaci non careat ; ait *Conc. Flor.* (Decr. pro Arm.) : « Legitur aliquando per apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili et urgente admodum causa, simplicem sacerdotem, chrismate per episcopum confecto, hoc administrasse confirmationis sacramentum ». Tum autem *Flor.* tum *Trid. Conc.*, definiendo episcopum esse ministrum *ordinarium* hujus sacramenti, eamdem veritatem haud obscure subindicant. Tandem accedit *Codex* expresse dicens (can. 782, n. 2): « Extraordinarius minister est presbyter cui vel jure communi vel peculiari sedis Apostolicæ indulto ea facultas concessa sit.»

1° *Traditionis* sensus colligi potest ex tribus : — *a*) *primo* ex *more RR. Pontificum* qui a *S. Gregor. M.* (Ep. l. IV, ep. 26) ad nos usque pluries simplicibus presbyteris, urgente ne-

cessitate, confirmandi facultatem sunt elargiti (cf. Bened. XIV, de Syn. Diœc. l. VII, c. 7, n. 6) ; — *b*) *secundo* ex *praxi Ecclesiae Graecae*, in qua (tolerante profecto S. Sede) multo ante schisma Photii mos, etiam nunc vigens, obtinuit, ut presbyteri statim post baptismum s. Chrisma conferrent ; quin tamen unquam, dum ageretur de unione Græcorum cum Latinis, talis confirmationis validitas sive a Conciliis sive a RR. Pontificibus in dubitationem vocata fuerit[1]; — *c*) *tertio* ex *doctrina Scholae* quæ, duce *D. Thoma* (a. 11 ad 1), nonnullis exceptis antiquioribus theologis, hoc ipsum incunctanter asseruit.

2° Quo pacto illa, simplicibus sacerdotibus concessa, confirmandi facultas *explicari* debeat, quibusdam captu difficile visum est : — nobis probantur quæ de hoc argumento scribit *cl. Ferrariensis* (in C. G. IV, 60) : « Dupliciter, inquit, possumus loqui de ministro necessario, sci . aut cui soli potest convenire *abso ute* ut sacramentum ministret, aut cui soli convenit *ordinarie* et *ex officio*. Si *primo modo* loquamur, sic *sacerdos* absolute loquendo est necessarius minister confirmationis, ut declarat S. Thomas quæst. et art. præallegatis (sc. 4 S. D. VII, Q. III, a. 1) ; a solo enim sacerdote conferri potest, sive ex officio, sive ex commissione superioris conferatur. Ratio autem S. Th. in 4 Sententiarum est, quia omnis operatio sacramentalis in corpus Christi mysticum, per quam gratia datur, dependet ab operatione sacramentali super corpus Domini verum, cum gratia sacramentalis descendat in corpus mysticum a capite ; et ideo cum inferior sacerdote non habeat perficere corpus Domini verum, ei operatio sacramentalis committi non potest... Si vero loquamur *secundo modo*, sic *solus episcopus* est minister necessarius. Unde cum infertur : ergo Papa non poterit collationem alteri quam episcopo committere, negatur consequentia. Cum autem probatur : quia Papa non potest tollere id quod ad sacramenti pertinet integritatem, dicitur quod hoc utique verum est loquendo de pertinentibus ad integritatem sacramenti ex institutione Christi ; sed tunc negatur quod episcopus sit de integritate hujus sacramenti : licet enim sit minister necessarius cui hoc sacramentum conferre convenit *ex officio*, non est tamen *absolute* necessarius, ut patuit, cum alteri etiam possit ex commissione convenire, et sic non pertinet ad *absolutam* integritatem sacramenti, sed tantum ad

[1] — Interrogata an Græci schismatici, ad unitatem redeuntes, sint denuo confirmandi sub conditione, respondit *S. C. S. Offic.* (1853) « non expedire quod confirmati a sacerdotibus schismaticis denuo liniantur post reditum ad unitatem ».

integritatem sacramenti *ordinarie* collati ».— Igitur *a*) ad hoc ut quis confirmare valeat, requiritur omnino character sacerdotalis. *b*) Immo hoc de jure ordinario (propter rationes in concl. 1ª allatas) pertinet ad personam dignitate episcopali investitam. *c*) Cum tamen character sacerdotalis, quo datur potestas in verum Christi corpus, a fortiori *habilitet* (absolute et secundum se) ad conferendum sacramentum perfectivum corporis mystici (quale est confirmatio), idcirco Papa, ex plenitudine jurisdictionis qua gaudet in illud corpus mysticum, deputare potest simplicem sacerdotem ad confirmandum (cf. 4 S. D. VII, Q. III, a. 1, sol. 3).

Dixi in concl. *ex delegatione S. Pontificis*. Siquidem non solum *de facto* episcopus non permittitur sacerdotem delegare (prout declaravit *Bened. XIV*, *op. cit.* l. VII, c. 8, n. 7), verum plana *D. Thomae* sententia est (hic a. 11 ad 1) illud delegandi jus ad « plenitudinem potestatis » Papæ in Ecclesia prorsus spectare : quam sententiam amplexus est *Clemens VI* (in Litt. ad Patriarcham Armen.).[1]— Hac delegata facultate confirmandi « ipso jure gaudent, præter Cardinales, Abbas vel Prælatus nullius, Vicarius et Præfectus Apostolicus » (C. J. C. can. 782, n. 3).

ARTICULUS III.

Utrum ritus Confirmationis sit conveniens.

(Art. 9, 10, 12)

Sub extremo hujus disputationis quæsito dicendum superest de *ritu* Confirmationis ; quem Auctor tribus articulis attingit, nosque pro operis dogmatici instituto brevius expendemus.

Conclusio.— Quæ ab Ecclesia in ritu confirmationis observantur convenientia sunt.

Argumentum *a priori* deducit *S. Thomas* (a. 12) ex eo quod « ordinationes Ecclesiæ diriguntur secundum sapientiam Christi » : Ecclesia enim in disciplina generali constituenda infallibilis est.— Hoc ipsum per *inductionem* declaratur :

1° *De tempore confectionis chrismatis* hæc habet *Auctor* (a. 12 ad 3) : « Quia solemnis baptismus, ad quem requiritur

[1] — De materia hujus articuli plura videri possunt ap. Bellarminum præsertim et Billuart ; ubi diversæ objectiones diluuntur.

usus chrismatis, in vigilia Paschæ celebratur (ita olim et etiam nunc alicubi), congrue ordinatum est ut per biduum ante ab episcopo chrisma benedicatur, ut possit per diœcesim destinari. Dies etiam ille satis congruit ad materias sacramentorum benedicendas, in quo fuit Eucharistiæ sacramentum institutum, ad quod omnia alia sacramenta quodammodo ordinantur ».

2° Quod ad *dispositiones* pertinet, rursus scribit *Auctor* (*ibid.* ad 2) : « Propter multitudinem fidelium, et propter pericula imminentia, sustinetur ut hoc sacramentum, quod nonnisi ab episcopis dari potest, etiam a *non jejunis* detur vel accipiatur, quia unus episcopus, præcipue in magna diœcesi, non sufficeret ad tot homines confirmandos, si eis tempus arctaretur. Ubi tamen congrue observari potest, convenientius est ut a jejunis detur et accipiatur ».

3° Confirmandus *a*) apte ungitur *signo crucis* « tanquam verus pugil unctus ad prælium, et tanquam strenuus miles ferens in fronte regis sui signum et crucis ejus triumphale vexillum... Non enim potest crucis gloria libere prædicari, si crucis pœna et ignominia formidetur » (*S. Bonav.*, Brevil. P. VI, c. 8).— *b*) *In fronte* vero fit chrismatio duplici ex motivo : *primo*, quia signum militis produci exterius debet ; inter omnia autem loca corporis humani maxime frons eminet, quæ fere nunquam obtegitur. *Secundo*, quia homo impeditur a libera nominis Christi confessione propter timorem et verecundiam : quæ duo cum in fronte apparere soleant, ad illa propulsanda crux fronti imprimitur (*S. Thom.*, a. 9).

4° Non abs re *patrini* confirmandis adhibentur. Etenim hoc sacramentum homini confertur ad robur pugnæ spiritualis et spiritualis ætatis perfectionem. Porro utrumque patrinos exigit quasi *eruditores* a quibus homo de certaminis arte instruatur et *sustentatores* quorum ope mediante imbecillis adhuc ad sacramenti perfectionem accedere valeat (art. 10).[1]

5° « Deinde qui unctus et confirmatus est, ut meminerit se tanquam fortem athletam paratum esse oportere ad omnia adversa invicto animo pro Christi nomine ferenda, manu leviter *in maxilla* ab episcopo cæditur » (Catech. Trid. *l. cit.* n. 20).— « Postremo autem *pax* ei datur, ut intelligat se gratiæ cœlestis plenitudinem et pacem *quae exsuperat omnem sensum* (Phil. IV, 7) consecutum esse » (*ibid.*).

6° Tandem « illud solemni religione in Ecclesia Dei servatum est, ut in *Pentecoste* præcipue hoc sacramentum administraretur, quod hoc maxime die Apostoli Sp. Sancti virtute

[1] — De patrinorum munere, cf. C. J. C. (can. 793-796).

roborati et confirmati sint» (*ibid.*).— Attamen, ut scimus, id non ita necessarium asseritur, quin et aliis temporibus confirmatio conferri possit.

DISPUTATIO QUARTA

QUÆSTIO UNICA

DE EUCHARISTIÆ GENERICA NOTIONE ET EXISTENTIA

Proximo gressu, nec sine trepido reverentique animo, accedimus ad augustissimum illud atque sacratissimum *Eucharistiae* sacramentum in quo, uti loquitur *Doctor Seraphicus* (Brevil. P. VI, c. 9), « continetur verum Christi corpus et caro immaculata, ut se nobis diffundens, et nos invicem uniens et in se transformans per ardentissimam caritatem, per quam se nobis dedit, se pro nobis obtulit, et se nobis reddidit, et nobiscum existit usque ad finem mundi ». Unde recte scribit *Catech. Trid.* (P. II, de Euch. n. 1) : « Ex omnibus sacris mysteriis, quæ nobis tanquam divinæ gratiæ certissima instrumenta Dominus Salvator noster commendavit, nullum est quod cum SS. Eucharistiæ sacramento comparari queat »; siquidem in eo Christus « divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum » (*Conc. Trid.* Sess. XIII, cap. 2).

Tractatio ista momentosissima in *quinque disputationes* a nobis partietur. Cum enim Eucharistia spectari possit vel ut sacramentum, vel ut sacrificium, primo de *sacramento*, deinde de *sacrificio* eucharistico sermonem habebimus. Sacramentum vero ipsum ad quatuor præcipua reduci potest capita, quatenus inspiciatur vel *in genere*, vel secundum *partes* suas *essentiales* (materiam et formam), vel secundum *effectus*, vel denique secundum *subjectum* utens et *ministrum* conficientem.

Sub prima disputatione *quaestio unica* se offert de generica Eucharistiæ notione et existentia, in quatuor articulos dispertienda. Quippe esse Eucharistiæ considerari expedit aut *absolute* (art. 1-2), aut secundum *necessitatis* modum (art. 3),

aut secundum institutionis *tempus* (art. 4) ; absolute vero vel quoad *sacramentum* ipsum (art. 1), vel quoad *unitatem* (art. 2) quæ est prima entis passio : patet articulorum connexio.

ARTICULUS I.

Utrum Eucharistia sit sacramentum.

(Q. LXXIII, aa. 1, 4, 6).

1° A recensendis hujus sacramenti *nominibus* præfari juverit : — *a*) Inter quæ certe eminet nomen *Eucharistia*, quod audit sive *gratiarum actio* a Christo illud sacramentum instituente perfecta et a sacrificio eucharistico Deo Patri exhibita, sive *bona gratia* antonomastice dicta ex ipso gratiæ fonte inibi contento; —*b*) præterea ratione *ritus* consecrativi vocatur Eucharistia *benedictio*, *fractio panis*, *missa*, *oblatio*, *sacrificium*, *memoriale passionis Domini* ; — *c*) ratione *materiae*, *eulogia*, *donum*, *panis coelestis* vel *dominicus* vel *angelicus* vel *substantialis*, *calix benedictionis*, etc.; — *d*) ratione *rei contentae*, *corpus* vel *sanguis Christi*, *sanctissimum sacramentum*, *mysterium fidei*, etc.; — *e*) ratione *effectuum*, *convivium*, *communio* et *synaxis* (quatenus nos Christo copulat et in unum coagmentat), sacramentum *pacis* et *caritatis*, *viaticum*, etc.;— *f*) tandem ratione *adjunctorum institutionis* et *celebrationis*, *coena*, *mensa Domini*, *agapa*, *sacramentum altaris*, etc., (cf. art. 4).

2° *a*) Inter *haereticos* pauci sunt qui sacramentum Eucharistiæ, utcumque sit, omnino inficiati sint. Verum cum *Calvinistae* negantes realem Christi præsentiam in Eucharistia, tum quoque *Lutherani* quorum caput illam præsentiam admisit, aliique sectarii, in ea opinione fuerunt atque sunt ut existiment sacramentum Eucharistiæ non esse rem permanentem, sed *in usu* vel in actione transeunte consistere (Bellarm. de Euch. l. IV, c. 1) ; eaque sententia communior est in cœtu *Anglicano* antiritualistico[1].— *b*) *Catholici* vero dum consentiunt in hac rejicienda opinione (quæ adorationis cultum consecratis hostiis adimit), circa explicandam sacramenti essentiam scinduntur : *quidam* enim in speciebus consecratis, *quidam* in corpore Christi, *quidam* vero in corpore et speciebus simul illam reponunt.

3° Duo nobis præstanda occurrunt ; quorum *unum* est existentiam sacramenti Eucharistiæ adstruere, *aliud* ejus essentiam contra hæreticos nonnullosque catholicos in com-

[1] — Cf. *Charge delivered at his first Visitation*, by Frederick, Arch. of Canterbury (1898), c. 1.

muni determinare, adeo ut pateat veritas hujus *definitionis :* Eucharistia est « sacramentum continens sub speciebus consecratis panis et vini corpus et sanguinem Christi ad spiritualem animæ refectionem ».

Conclusio 1ª.— SS. Eucharistia verum est Novæ Legis sacramentum; prouti *fide* constat ex C. *Flor.* (Decr. pro Arm.) et ex *Trid.* (Sess. VII, can. 1 ; Sess. XIII).

1° Sane sacramentum est signum sensibile et practicum gratiæ, permanenter a Christo institutum. Atqui tria hæc de Eucharistia verificantur, ut *Scripturae* ostendunt ; legitur enim (Matth. XXVI, 26) : *Accepit Jesus panem, et benedixit... et ait : Accipite et comedite : hoc est corpus meum ;* — (Joan. VI, 55) : *Qui manducat meam carnem... habet vitam aeternam ;* — (Luc. XXII, 19) : *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo.

2° E *traditione* pauca depromere sufficiet ; res enim est universim attestata. Ait *S. Hilarius Pict.* (de Trin. l. VIII, c. 13) Christum in Eucharistia dari « sub *sacramento* nobis communicandæ carnis» suæ. *S. Ambrosius* (l. de Myst. c. 9, n. 58) : « In illo *sacramento* Christus est, quia corpus est Christi ». Et *S. August.* (Ep. 54 ad Januar. c. 6) : « Placuit Spiritui S., ut in honorem tanti *sacramenti* in os Christiani prius dominicum corpus intraret quam ceteri cibi ».

3° Suum quoque *Archaeologia* affert suffragium. Plures enim sub certis symbolis detectæ sunt in vetustioribus monumentis *repraesentationes eucharisticae,* quarum indoles sacramentalis ex hoc (missis aliis) apparet quod Baptismo ibidem etiam figurato connectuntur.— Porro inter has repræsentationes eminet antiquissima omnium, ad primam usque sæculi II partem assurgens, dicta *Fractio panis ;* ubi mysterium Eucharistiæ significatur non solum per symbolum (sat commune olim) multiplicationis panum et piscium, verum etiam per panis fractionem qua sacramentum illud designari antiquitus consueverat[1].

4° *Ratione* conf : sacramenta enim Ecclesiæ ordinantur ad subveniendum homini in vita spirituali secundum quamdam vitæ corporalis proportionem. Atqui sicut ad vitam corporalem requiritur generatio per quam homo vitam accipit et augmentum quo perfectionem vitæ consequitur, ita etiam requiritur alimentum quo in vita conservetur. Igitur, secundum

[1] — Cf. *Fractio panis,* la plus ancienne représentation du sacrif. eucharist. à la « Capella Greca » découverte et expliquée par Mgr J. Wilpert (1896) ; — item H. Marucchi, *Eléments d'Archéologie chrétienne* (1899), l. IV, chap. 5.

proportionalem legem, in vita spirituali oportuit esse non solum *generationem* per sacramentum baptismi et *augmentum* per sacramentum confirmationis, sed et spiritualem *alimoniam* per sacramentum Eucharistiæ ; ex quo fiat « ut, sicut homo per esum pomi vetiti perdidit vitam, ita recuperet per esum ligni vitæ spiritualis » (Alb. Magn., 4 S. D. VIII, a. 1).

5° Accedunt *figurae* quarum præcipuæ saltem, cum sacramenta extiterint, *sacramentum* eucharisticum demonstrant. Eas eleganter exponit *Aquinas* scribens (art. 6) : « In hoc sacramento tria considerare possumus: scil. id quod est sacramentum tantum, quod est panis et vinum ; et id quod est res et sacramentum, scil. corpus Christi verum ; et quod est res tantum, scil. effectus hujus sacramenti.— Quantum igitur ad id quod est sacramentum tantum, potissima figura fuit hujus sacramenti *oblatio Melchisedech*, qui obtulit panem et vinum. Quantum autem ad ipsum Christum passum, qui continetur in hoc sacramento, figuræ eius fuerunt *omnia sacrificia* V. T., præcipue sacrificium *expiationis* quod erat solemnissimum. Quantum autem ad effectum, fuit præcipua ejus *figura manna* quod *habebat in se omnis saporis suavitatem*, ut dicitur Sap. XVI, 20, sicut et gratia hujus sacramenti quantum ad omnia reficit mentem.— Sed *agnus paschalis* quantum ad hæc tria præfigurabat hoc sacramentum : quantum enim ad *primum*, quia manducabatur cum panibus azymis, secundum illud Ex. XII, 8: *Edent carnes... et azymos panes ;* quantum vero ad *secundum*, quia immolabatur ab omni multitudine filiorum Israel quarta decima luna, quod fuit figura passionis Christi, qui propter innocentiam dicitur agnus ; quantum vero ad *effectum*, quia per sanguinem agni paschalis protecti sunt filii Israel a devastante angelo, et educti de Ægyptiaca servitute ; et quantum ad hoc ponitur *praecipua figura* hujus sacramenti agnus paschalis, quia secundum omnia ipsum repræsentat ».

Conclusio 2ª.— Essentia sacramenti Eucharistiæ reponenda non est in usu vel actione transeunte, sed in speciebus consecratis corpus Christi continentibus.— Quæstio non est de sacramento *in fieri* (quo sub respectu illud consecratione vel transsubstantiatione perfici, infra manifestabitur), sed de sacramento *in facto esse*.

1ª *Pars de fide* est ex *CC. Later.* (c. *Firmiter*), *Flor.* (Decr. pro Arm.) et *Trid.* (Sess. XIII, can. 4) : « Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ sacramento non esse corpus et sanguinem D. N. J. C., sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post ; et in hostiis seu

particulis consecratis, quæ post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini ; A. S.».

1° Ex *Scriptura* arguimus : — Verba Domini instituentis Eucharistiam (*Hoc est corpus, Hic est sanguis*) prius dicta sunt quam fieret actio manducandi et bibendi. Jam vero mox atque prolata sunt, vera fuerunt. Ergo ante illam actionem fuit vere corpus Domini, et proinde sacramentum.— Nec valet *responsio haereticorum* (veterum ac modernorum) *negantium* verba Christi *praecessisse* sumentium usum, vel asserentium *promissionem* tantum corporis et sanguinis Domini eis inesse. *a*) Nam ideo cibus et potus tradebatur Apostolis, *quia* præcontinebatur corpus et sanguis Christi ; quæ præcontinentia satis indicatur per particulam causalem *enim* (hic est enim sanguis etc.) *b*) Nec promissio tantum consistere potest cum verbo *de praesenti*, *hoc est corpus*, etc., sed ad eam requireretur verbum futuri temporis. Cum autem forma consecratoria efficiat quod significat, sequitur vere fuisse corpus Christi ubi verba illud esse significantia prolata fuerunt.

2° Suffragatur tum loquendi ratio *Patrum* passim dicentium Eucharistiam seu corpus Domini offerri, confici, portari, manducari, quæ nullo modo conveniunt actioni, sed rei permanenti, tum perantiqua *Ecclesiae praxis*, juxta quam Eucharistia non solum in templis, sed et domi (prout peculiaris temporum illorum conditio suadebat) asservabatur, adorabatur, necnon ad ægrotos et absentes deferebatur. Hanc consuetudinem ipse *Calvinus* (Inst. l. IV, c. 17) fateri coactus est ; licet novitatem magis quam antiquitatem sequi elegerit.

3° Succedit *rationis* confirmatio.— *Primo* Eucharistia, ut ex dictis constat, se habet per modum spiritualis *cibi*. Atqui cibus quiddam est permanens et usui præexistens, etsi ad ipsum ordinatus : ergo.— *Secundo* idem decl. ex *differentiis* quæ intersunt Eucharistiam inter et cætera sacramenta, quæque a *D. Thoma* (veluti novatoribus in antecessum respondente) consueta perspicientiâ assignantur (art. 1 ad 3) : « Sacramentum, inquit, dicitur ex eo quod continet aliquid sacrum : potest autem aliquid esse sacrum dupliciter, scil. absolute et in ordine ad aliud. *a*) Hæc autem est differentia inter Eucharistiam et alia sacramenta habentia materiam sensibilem, quod Eucharistia continet aliquid sacrum *absolute*, scil. ipsum corpus Christi ; aqua vero baptismi continet aliquid sacrum *in ordine ad aliud*, scil. virtutem ad sanctificandum ; et eadem ratio est de chrismate et similibus. *b*) Et ideo sacramentum Eucharistiæ perficitur in ipsa *consecratione* materiæ ; alia vero sacramenta perficiuntur in *applicatione* materiæ ad hominem sanctificandum. *c*) Et ex

hoc etiam consequitur alia differentia : nam in sacramento Eucharistiæ id quod est *res et sacramentum*, est in ipsa materia ; id autem quod est *res tantum*, est in suscipiente, scil. gratia quæ confertur ; in baptismo autem utrumque est in suscipiente », scil. character et gratia[1].

2ª *Pars* est de quæstione agitata inter catholicos, quid *essentialiter* rationem sacramenti eucharistici constituat.— Circa quod ipsi thomistæ dividuntur, *Sylvio* v. g. stante pro *corpore Christi* sub speciebus, *Billuart* vero pro *speciebus* corpus Christi connotantibus : sensum nostrum, pro ingenii modulo, sequentibus animadversionibus pandemus.

1° Largiuntur aut largiri omnes debent tum species consecratas tum corpus Christi sub speciebus *aliqualiter* saltem ad essentiam sacramenti pertinere ; quippe expresse scribit *S. Thomas* (4 S. D. VIII, Q. I, a. 1 ad 2) : « Ex speciebus et corpore Christi fit unum sacramentum ». Et card. *Cajetanus* (in Q. LXXV, a. 1) : « Dicimus ex corpore Christi et accidentibus panis constare unum sacramentum, non præcise sicut ex signo et signato, sed quodam *ineffabili modo* qui a sacro Conc. Later. vocatus est *ex continente et contento* ».

2° Cum sacramentum in genere sit *signum* practicum seu *efficax* gratiæ, ratio sacramenti in Eucharistia sub utroque respectu considerari potest.— *a*) Quatenus est *signum* utique sensibile, sacramentum eucharisticum profecto constituitur directe seu in recto per *species* panis et vini, non utcumque sumptas, sed *consecratas*, in quantum forma consecrationis, actu quidem præterita, tamen intelligitur *virtute* perseverans in speciebus ordinem dicentibus ad corpus Christi sub eis contentum : ratio asserti est, quia solæ species sunt signum per se sensibile, significans et continens corpus Christi ; quas idcirco *Angelicus* vocat (art. 6) « sacramentum tantum ».— *b*) Quatenus vero sacramentum est signum *efficax gratiae*, sic Eucharistia quidpiam singulare præ cæteris sacramentis sibi vindicat ; siquidem (ut docet *S. Thom.* a. 1 ad 2) loco virtutis divinæ aliis signis sacramentalibus impressæ habetur hic ipsum Christi corpus quod « immediate per seipsum fructum confert sacramenti » (*Cajet.* in Q. LXXX, a. 12), dum species non agunt nisi tanquam conditio *sine qua non* aut signum devotionem excitans (*ibid.*). Unde, sicut virtus Dei transiens est de essentia aliorum sacramentorum N. L., ita et multo magis Christi corpus immediate operativum gratiæ pertinet ad essentiam sacramenti eucharistici. Dicitur vero ab *Auctore* corpus Christi « res et sacramentum », secundum

[1] — De hoc argumento cf. Bellarm. l. IV, cc. 2-5.

quod est effectus consecrationis seu sacramenti *in fieri ;* at cum simul id proprium habeat ut sit « in ipsa materia » (a. 1 ad 3), non in suscipiente, satis insinuatur quod modo declaravimus, nempe corpori Christi quadamtenus competere vim constitutivam sacramenti eucharistici.

3° Tamen, *simpliciter* et absolute loquendo, ratio sacramenti prius ac magis se tenet ex parte signi *per se* sensibilis quam ex parte ejus quo invisibiliter operante efficax redditur seu ad agendum determinatur, ideoque *verius* est dicere sacramentum Eucharistiæ consistere in speciebus consecratis continentibus corpus Christi quam in corpore Christi sub speciebus contento ; quæ sententia est *Catech. Trid.* (P. II, de Euch. n. 8) : « Ipsæ, inquit, panis et vini species veram et absolutam hujus nominis (sci]. sacramenti) rationem habent ».

Solv obj. — Obj. 1. (cont. 1am concl.).— Ad idem non debent ordinari duo sacramenta. Atqui jam Confirmatio ad perfectionem hominis ordinatur. Ergo Eucharistia, hominis perfectiva, superfluit.

Resp. *C. M.*— *D. m :*... ad perfectionem intraneam *augmenti* qua homo viriliter operari valeat, *C ;* ad perfectionem *alimenti* extrinsecus advenientis qua homo in suo robore conservetur et Auctori suo arctius conjungatur, quæque idcirco recte dicitur « perfectio omnium perfectionum » (4 S. D. VIII, Q. I, a. 1, ad 1), *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— In quolibet sacramento N. L. elementum visibile producit invisibilem effectum. Atqui in Eucharistia species sensibiles panis et vini nihil efficiunt. Ergo.

Resp. *D. M :*... ex se, *N ;* virtute divina sibi impressa, *C.*— *D. m :* verba sensibilia non habent vim *instrumentalem* ad opus consecrationis, *N ;* species ipsæ consecratæ nihil efficiunt, *S. d :* ex se, *C ; virtute corporis Christi* sibi præsentis immediateque influentis, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3. (cont. 2am concl.).— Sacramenta pendent a divina institutione. Atqui Christus instituendo Eucharistiam jussit panem benedici et manducari, non autem in pixide servari etc. Ergo. (Ita Novatores).

Resp. *C. M.*— *D. m :*... jussit *continuo* manducari, *N ;* jussit manducari *opportuno tempore,* ad quod sane requiritur ut cibus eucharisticus semper sit paratus, *C.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

Utrum hoc sacramentum sit unum vel plura.

Quæstio hæc, in se metaphysica, intime tamen cum dogmate de *septenario* sacramentorum numero connectitur.— Præcipua quidem intentio articuli est inquirere de unitate vel pluralitate *specifica*, verum secundario etiam *numerica* unitas vel pluralitas sub considerationem cadit.

Conclusio.— UNUM SPECIE EST SACRAMENTUM EUCHARISTIÆ ; QUOD NIHILOMINUS NUMERO MULTIPLICARI POTEST.

1ª *Pars* (in qua agitur non de physica, sed de *sacramentali* specie), paucis dissentientibus theologis, *certa* affirmanda est ex definitionibus *Conciliorum* statuentium simpliciter *septem* esse sacramenta.

1° *Indicium* hujus veritatis colligitur ex *Scriptura* (1 Cor. X, 17) : *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Ubi duo accipimus : *a*) *primum*, quod sacramentum panis eucharistici dicitur simpliciter *unum ; b*) *secundum*, quod asseritur *unus* principalior effectus, scil. ecclesiastica unitas per charitatem eucharisticam effecta, unde inferre licet unitatem causæ sacramentalis.— Idem expresse docetur a *Catech. Trid.* (P. II, de Euch. n. 10), et communi ore propugnatur una cum *Angelico* a gravioribus theologis cujusque scholæ, quales sunt *Alb. Magnus*, *S. Bonaventura*, *Suarez*, *Joan. a S. Thoma*, *Billuart*, etc.

2° *Ratione* sic proceditur.— Illius sacramenti unitas specifica admittenda est, quod etsi ex pluribus integretur, tamen ad unum specie finem essentialiter ordinatur. Atqui hujusmodi est sacramentum Eucharistiæ : ergo. *Maj. decl.* Unum multipliciter dicitur : aliud est enim unum *naturale*, sive sit unitas *simplicitatis*, qualis convenit rei indivisibili, v. g. animæ, sive sit unitas *compositionis*, qualis convenit corpori vel continuo ; aliud est quoque unum *artificiale* seu per modum ordinis, cujusmodi est unitas domus ex pluribus partibus conflatæ ad unum inhabitationis finem. Porro unitas sacramenti, quod est quoddam artefactum spirituale, ad istud postremum genus pertinet ; ideoque formaliter seu specifice unum est, secundum quod omnia, ex quibus significandi ac efficiendi ratio sacramentalis integratur, ad unum eumdemque finem tendunt. *Min. ostend.* Sacramentum Eucharistiæ ex divina institutione deputatum est ad cibationem seu refectionem spiritualem, quæ per refectionem corporalem significatur. Atqui refectio corporalis, una formaliter

manens, duo requirit, scil. cibum qui est alimentum siccum, et potum qui est alimentum humidum ; ex quibus totalis et adæquata cena resultat. Igitur ad integritatem sacramenti eucharistici duo concurrunt, scil. spiritualis cibus et spiritualis potus, secundum illud (Joan. VI, 56) : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus ;* quæ duo in unum cœleste convivium et unum specie sacramentum coëunt.

2ª *Pars* sic breviter evinci potest.

Sacramentum Eucharistiæ, ut constat, institutum est per modum spiritualis refectionis, ad quam præcipue ac essentialiter ordinatur. Atqui refectio spiritualis, suam unitatem specificam retinens, potest tamen numero multiplicari pro diversitate subjectorum, ea lege qua accidentia numericam pluralitatem ex diversis subjectis sortiuntur : ergo. *Min. decl.* Duplex distingui potest subjectum refectionis vel convivii, *locus* in quo instruitur seu præparatur, et *persona* sumens. Porro manifestum est utrumque diversificari posse. Igitur si convivium spectetur ratione loci et quasi in *actu primo*, sic tot distingui poterunt sacramenta Eucharistiæ quot diversa loca seu altaria in quibus hostia vel hostiæ consecratæ habebuntur ; si vero spectari velit ratione personæ sumentis et quasi in *actu secundo*, sic tot erunt sacramenta quot actuales refectiones (quicumque sit hostiarum simul vel continuatim sumptarum numerus)[1].

Solv. obj.— Obj. 1.— Dicitur in collecta : « Purificent nos, Domine, sacramenta quæ sumpsimus ». Atqui id respicit Eucharistiæ susceptionem. Ergo.

Resp. *D. M :*... et hoc quia sacramentum Eucharistiæ *materialiter* multiplex est, *C ;* nec in eadem collecta sacramentum illud in singulari ponitur, ad demonstrandum quod sit perfective et *simpliciter* unum, *N.— C. m.— Neg. conseq.*

Obj. 2.— Multiplicata ratione signi, multiplicatur sacramentum. Atqui plura sunt signa in Eucharistia, scil. panis et vinum. Ergo.

Resp. *D. M :* Multiplicata ratione signi *totalis* et adæquati... *C ; partialis* et inadæquati, *N.— C. d. m.— Neg. conseq.*

Obj. 3.— Eucharistiæ sacramentum perficitur consecratione materiæ. Atqui duplex est materiæ consecratio. Ergo.

Resp. *C. M.— D. m :*... ita ut unaquæque species consecrata *corpus Christi* integrum contineat, *C ;* adeo ut unaquæque integraliter et perfecte significet *refectionem* spiritualem, *N.— Neg. conseq.*

[1] — Vid. ampliora ap. Joan. a S. Thoma, Gonet, etc.

ARTICULUS III.

Utrum Eucharistia sit de necessitate salutis.

1° In mentem revocetur vulgata, aliasque a nobis tradita, necessitatis partitio in necessitatem *medii* et necessitatem *praecepti ;* de qua postrema cum Auctor inferius agat (Disp. VII, Q. I), solam nunc *medii* necessitatem in controversiam adducimus.

2° Hæretici quidam autumarunt realem susceptionem Eucharistiæ esse omnibus necessarium medium ad salutem : in quo errore versati sunt *Armeni* qui propterea simul cum baptismo Eucharistiam parvulis dabant, necnon (ut ferunt) nonnulli *Graeci* schismatici, *Jacobitae* et *Nestoriani ;* eademque ex opinione profectus videtur abusus eorum[1] qui vel post mortem seu *defunctis* Eucharistiam tribuebant (Suarez, Disp. XL, sect. 2, n. 1).

3° Quædam ex *Auctore* sunt *praesupponenda : — a) primo*, quod *res* seu *effectus* Eucharistiæ *in sui initio* omnino requiritur ad salutem, quandoquidem sic consistit in prima gratia qua homo Christo incorporatur. *b) Secundo*, quod quia antecedens sacramentum, ut baptismus vel pœnitentia, necesssarium est ad salutem atque, ceu medium ad finem, ad Eucharistiam ordinatur, idcirco Eucharistia *secundum se* sumpta dici potest etiam ad salutem necessaria in *voto implicito*, scil. in eo voto quod veluti imbibitur in receptione unius sacramenti ad aliud ordinati. *c) Tertio*, quod *proprius* Eucharistiæ *effectus* obtineri *potest* cum solo voto sacramenti, sicuti effectus baptismi ex ejusdem voto. *d) Quarto*, imo quod Eucharistia *debet* re vel voto suscipi (regulariter loquendo) ad consequendum effectum illum spiritualis *perfectionis*, quem Deus mediante hoc sacramento habendum disposuit.— At versanda nunc quæstio est, num Eucharistia re vel voto strictius dicto sit medium *salutis* necessarium.

Conclusio.— Sacramentum Eucharistiæ non est absolute seu necessitate medii necessarium ad salutem ;

[1] — His ferme consentit *Rosminius*, cujus sequens propositio (32a inter propp. proscriptas a S. Off., 1887) sua se absurditate condemnat : « Quoniam qui non manducat carnem Filii hominis et bibit ejus sanguinem, non habet vitam in se, et nihilominus qui moriuntur cum baptismate aquæ, sanguinis aut desiderii, certo consequuntur vitam æternam ; dicendum est his qui in hac vita non comederunt corpus et sanguinem Christi, subministrari hunc cœlestem cibum in *futura vita*, ipso mortis instanti. Hinc etiam *sanctis V. T.* potuit Christus descendens ad inferos seipsum communicare sub speciebus panis et vini, ut aptos eos redderet ad visionem Dei.»

QUANQUAM DICI POTEST ALIQUO MODO VEL ETIAM MORALITER NECESSARIUM AD DIU PERSEVERANDUM IN GRATIA SALUTIS.

1ª *Pars* est *de fide* quoad *infantes* ex *Conc. Trid.* (Sess. XXI, can. 4) : « Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem ; A. S : » cf. *ibid.* cap. 4 ; — quoad *adultos* vero *certa* dicenda est.

1° Sane ex *traditione* luculentum subit *S. Fulgentii* suffragium qui, mentem *S. Augustini* declarans, ait (Ep. 12 ad Ferrand. n. 26) : « Arbitror disputationem nostram præclari Doctoris Augustini sermone firmatam, nec cuiquam esse aliquatenus ambigendum, tunc *unumquemque fidelium* corporis sanguinisque dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illo panis calicisve consortio, etiamsi, antequam panem illum comedat et calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat ».— Verba hæc clavem subministrant ad solvendam dubitationem seu æquivocationem ortam ex dictis quorumdam Patrum, maxime *S. Augustini*, quibus prima fronte videretur asseri necessitatem Eucharistiæ ad salutem parvulorum. Augustinus enim (prouti patet ex tract. 26 in Joan. n. 15 et 18 ; De pecc. mer. et rem. l. III, c. 4, n. 8 ; etc.) ideo necessarium esse dixit manducare Christi carnem et bibere ejus sanguinem, quia prospiciebat manducationem vel potionem *spiritualem* sitam in *conjunctione cum Christo*, sine qua nec infantes salvari possunt (cf. *Sasse*, th. XVII, sch. 2).

2° Ex *Ecclesiae sensu* sic ratiocinatur *S. Thomas* (4 S. D. IX, Q. I, a. 1) : « *a*) *Pueri* baptizati salutem consequuntur, cum gratia in baptismo detur. Sed eis non datur corpus Christi manducandum. Ergo manducatio prædicta non est de necessitate salutis ».— *b*) « Præterea baptismi *ministerium*, propter hoc quod est de necessitate salutis, omnibus est concessum in casu necessitatis. Sed hoc sacramentum per solos sacerdotes perfici potest. Ergo non est sacramentum necessitatis » (*ibid.*).

3° Efficax *ratio* ab eodem *Angelico* profertur (*ibid.* sol. 2) : « Gratia est sufficiens causa gloriæ ; unde omne illud sine quo potest haberi gratia, non est de necessitate salutis. Hoc autem sacramentum gratiam præsupponit, quia præsupponit baptismum, in quo gratia datur ; nec debet (ut pœnitentia) peccato præveniri, quod gratiam privet ; et ideo quantum est de se, non est de necessitate salutis ». Nimirum Eucharistia subaudit primam gratiam sive originalis sive actualis peccati reparatricem ; neque etiam necessaria est, *absolute*

loquendo, ad perseverantiam : præterquam quod enim potest quis mori statim post acceptum baptisma, plura sunt alia media, puta oratio, pœnitentiæ sacramentum, quæ animam ad perseverandum in bono juvare efficaciter possunt.

2ª *Pars* haud dubia esse videtur.

Nam 1° clare edocetur a *S. Cypriano* (l. de Orat. dom. n. 18) ; ubi, explicans petitionem illam « *Panem nostrum* quotidianum da nobis hodie » de cibo eucharistico, subdit : « Timendum est et orandum, ne dum quis abstentus separatur a Christi corpore, procul remaneat a salute ».— Nec 2° minus aperte loquitur *D. Thomas* dicens (4 S. D. XII, Q. III, a. 2 ad 1) quod, præcisione facta ab omni præcepto, sacramentum Eucharistiæ « necessarium esset non simpliciter, ut sine quo non esset salus, sed ex supposi ione finis, si scil. homo in vita spirituali *firmus persistere* vellet.» *Ratio* est quam ipse tradit (in corp. art.) : « Quia enim in quotidiana pugna sumus, vita spiritualis in nobis evanesceret, nisi aliquando cibum vitæ sumeremus ».

Solv. obj.— Obj. 1.— Dicit Dominus (Joan. VI, 54) : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Atqui in Eucharistia, manducatur caro Christi et bibitur ejus sanguis. Ergo.

Resp. *D. M :* et hæc, adultis dicta, intelligenda sunt de necessitate *præcepti* divini, *C ;* de necessitate *absoluta*, *S. d :* quoad manducationem *sacramentalem*, *N ;* quoad manducationem *spiritualem* quæ fieri debet *initialiter* in baptismo, antequam unio seu incorporatio cum Christo eucharistice *consummetur*, *C.— D. m :* sacramentaliter, *C ;* spiritualiter tantum, *N.— Neg. conseq.*

Obj. 2.—Sacramentum Eucharistiæ est quoddam spirituale alimentum. Atqui alimentum corporale est de necessitate corporalis salutis. Ergo.

Resp. *D. M:*. . . quin dentur alia gratiæ media, *N;* quatenus singulariter sub alimenti specie institutum est, *S. d :* et in hoc differt ab alimento corporali quod, nedum convertatur in hominem, ipsum in se spiritualiter convertit, ideoque *voto* mentis implicito vel explicito assequibile est, *C ;* nequit effectum suum producere quin *realiter*, ut alimentum corporale, sumatur, *N.— D. m :*. . . quocumque vitæ instanti, *N ;* protracto vitæ spatio, *C.— Neg. conseq.*

Obj. 3.— Eucharistia, non minus quam baptismus, efficaciam ducit ex passione Christi. Atqui baptismus est absolute necessarius. Ergo.

Resp. *D. M :...* et eadem ratione, *N ;* diversa ratione, nempe ut *consummetur* unio ad Christum passum quæ per baptismum *regenerationis* modo *inchoatur*, *C.— D. m :...* quia vita spiritualis, *simpliciter* dicta, omnino necessaria est, *C ;* æque necessaria est perfectio seu consummatio illius vitæ, *N.— Neg. conseq.*

ARTICULUS IV.

Utrum institutio hujus sacramenti fuerit conveniens.

Quamvis in confesso sit apud omnes Christum instituisse SS. Eucharistiam in *ultima cœna*, disputatur tamen inter *Graecos* et *Latinos* qua die cœnam celebraverit. Græci enim, ut fermentati panis usum tueantur, dicunt Christum uno die anticipasse solemnitatem paschalem, ideoque cœnam habuisse ante vesperam feriæ quintæ ; Latini vero, e contra, tenent hac vespera, qua jam incipiebat paschalis solemnitas, cœnam a Domino celebratam fuisse.— Quo in proposito scite scribit *Billuart* (Diss. II, a. 3) : « Probabile est Christum triplicem cœnam pridie mortis habuisse : primam *legalem* in qua comedit agnum paschalem ; secundam *communem* et usualem ; tertiam *sacramentalem ;* ita ut in cœna usuali, vel immediate post ipsam, Eucharistiam instituerit. Dicitur enim Eucharistiam instituisse *coenantibus discipulis* (Matth. XXVI), *postquam coenavit* (Luc. XXII), *postquam coenatum est* (in Can. missæ) ; quod vix intelligi potest de esu agni paschalis qui in S. Scriptura non dicitur cœna, sed phase seu pascha ».

Conclusio.— Convenienter Christus sacramentum Eucharistiæ instituit in ultima cœna : tenendumque est hanc cœnam locum habuisse feria quinta ad vesperam.

1ª *Pars* ab *Auctore* declaratur tribus congruentiis, in quibus non solum Angelici Doctoris præstans ingenium, sed et cultoris Jesu-Hostiæ flagrans studium effulget.

1ª *ratio* ex *continentia* sacramenti : — Cum ad perfectionem nostram conferat realis quædam nostri Capitis cum membris suis conjunctio, tunc congruebat Christum se, realiter in Eucharistia contentum, in sacramentali specie hominibus exhibere, quando jamjam erat ab eis in propria specie discessurus ; « sicut (ait S. Th.) in absentia imperatoris exhibetur veneranda ejus imago.» Atqui cœna, de qua loquimur, immediate præcessit Christi mortem, per quam Ecclesia corporali ejus præsentia erat destituenda. Ergo.

2ª *ratio* ex *repraesentatione* sacramenti : — Sacramentum novum veteri succedens, ut memoriale foret præteritæ pas-

sionis quam vetus illud futuram præfigurabat, non erat instituendum nisi imminente ipsa passione et post celebrationem prioris sacramenti. Atqui in N. T. sacramentum Eucharistiæ se habet tanquam repræsentativum et rememorativum signum passionis Domini, quam in V. T. agnus paschalis præfigurabat. Ergo etc. *Maj. expl.* verbis *Angelici* (4 S. D. VIII, Q. I, a. 3, quæstiunc. 3 ad 1) : « Imminente passione corda discipulorum magis erant affecta ad passionem quam passione jam peracta, quando jam erant immemores pressuræ passionis propter gaudium resurrectionis ; et ideo memoriale passionis magis erat eis proponendum *ante* quam post. Nec tunc erat memoriale, sed magis instituebatur ut in memoriam in posterum celebrandum.»

3ª *ratio* ex *veneratione* debita sacramento : — Sacramentum corporis et sanguinis Domini, utpote maximo cultu dignum, eo tempore debuit institui quo majorem sibi firmioremque animi gratitudinem ac venerationem conciliaret. Atqui, ut pulchre observat *Auctor*, « ea quæ ultimo dicuntur, maxime ab amicis recedentibus, magis memoriæ commendantur, præsertim quia tunc magis inflammatur affectus ad amicos ; ea vero ad quæ magis afficimur, profundius animo imprimuntur.» Cum ergo SS. Eucharistiæ institutio fuerit Christi in nos supremum atque imperiturum amicitiæ testimonium, conveniens fuit ut in ultimo discessu tanti Amici locum haberet.

2ª *Pars* de *exacta die*, qua Christus cœnam eucharisticam habuit, paucis (contra Græcos) absolvetur[1].

1ª Juxta tres Evangelistas (Matth. XXVI, 17 ; Marc. XIV, 12 ; Luc. XXII, 7) Christus ultimam cœnam paschalem celebravit *prima die azymorum ;* et additur *quando pascha immolabant* Judæi (Marc.), quando *necesse erat occidi pascha* (Luc.). Atqui prima dies azymorum, in qua secundum morem Judæorum necesse erat occidi pascha, erat primi mensis (i. e. nisan) dies seu luna decima quarta sub vespere, ut satis liquet ex antiqua Lege (Ex. XII, 6 ; XXIII, 5 ; Num. XXVIII, 16) : quæ dies, omnibus ex narratione evangelica fatentibus, anno mortis Christi coincidit cum feria quinta. Ergo.

2° « Quod si quis *Joan. Evangelistae* auctoritatem opponat, qui hæc omnia *ante festum diem Paschae* acta esse commemorat, ea ratio facile dissolvi potest. Etenim quem primum azymorum diem cœteri Evangelistæ appellarunt, quod feria quinta vesperi dies festi azymorum inciperent, quo tempore

[1] — Qui de hac quæstione historico-biblica plura cupit, adeat, si libet, Bellarm. l. IV, c. 8-9, c. 8-9 ; — Billuart, Diss. II, a. 3 ; — etiam S. Thom., III, Q. XLVI, a. 9 ad 1 ; etc.

Salvator noster Pascha celebravit, eum ipsum diem Joannes (XIII, 1) pridie Paschæ fuisse describit ; ut qui *diei naturalis* spatium, quod ab oriente sole inchoatur, in primis notandum existimavit » (*Catech. Trid.* n. 14).

———

DISPUTATIO QUINTA

DE PARTIBUS ESSENTIALIBUS SEU DE MATERIA ET FORMA EUCHARISTIÆ

Juxta præscriptum ab Angelico Duce ordinem (quem nimia theologorum pars, non sine magno logicæ claritudinis dispendio, penitus deturbant), determinata quæstione *an* sit et *quid* in genere sit sacramentum Eucharistiæ, procedendum est ad ejus naturam intimius pervestigandam. Id autem fieri rite nequit nisi in trutinam vocentur *partes* veluti *physicæ* sacramenti, scil. materia et forma, ex quibus Eucharistia, haud secus ac reliqua sacramenta, componitur, quæque conceptui ejus metaphysico quodammodo substernuntur.

Porro *materia* alia est *remota* et secundum suam *speciem* sumpta (Q. I), alia *proxima* et in *applicatione* ad sacramentum spectata. Rursus materia *proxima* referri potest ad sacramentum eucharisticum vel *in fieri* (Q. II), vel in *facto esse* et hoc sive quoad *rem* contentam (Q. III), sive quoad *species* seu accidentia continentia (Q. IV). Denique succedit sermo habendus de *forma* (Q. V) : quinque ergo versandæ sunt quæstiones.

QUÆSTIO PRIMA

DE MATERIA EUCHARISTIÆ REMOTA ET QUANTUM AD SPECIEM

Totum argumentum hujus quæstionis commode reduci poterit ad quatuor articulos sequenti nexu adstrictos. Materia enim Eucharistiæ considerari potest vel *unite* (art. 1), vel *distribute ;* distribute vero sive quoad *panem* (art. 2), sive quoad *vinum* (art. 3), sive quoad *aquam* vino permiscendam (art. 4) : cuncta sub his capitibus comprehenduntur.

ARTICULUS I.

Utrum et in qua quantitate materia hujus sacramenti sit panis et vinum.

(Q. LXXIV, aa. 1-2)

Titulus, ut patet, duo determinanda offert circa materiam Eucharistiæ in genere, unum de ejus *substantia*, aliud de ejus *quantitate* seu determinatione.— *a*) Tres præcipuæ hæreses (ut absurdiores alias, imo et turpes, taceamus) recitantur in proposito : quidam enim, quos vocant *Artotyritas*, Eucharistiam conficiebant in pane et caseo ad similitudinem oblationum de fructibus terræ et ovium primitus celebratarum ; alii, scil. *Cataphrygæ* et *Pepusiani*, panem ad hoc assumebant ex farina et sanguine infantis subactum ; alii demum, nempe *Aquarii*, quibus jungunt *Ebionitas*, *Encratitas*, etc., sive sub specie sobrietatis sive alio ex motivo aquam vino substituebant. *b*) Quod ad *quantitatem* pertinet, *nonnulli* (teste Auctore) dixerunt per se requiri in sacramento Eucharistiæ certam materiæ mensuram, ita ut sacerdos non posset v. g. consecrare totum vinum quod est in dolio.

Conclusio 1ª.— Panis et vinum sunt materia, eaque conveniens, sacramenti Eucharistiæ.— Hæc est *fidei* doctrina sancita in *CC. Later. IV*, *Flor.*, et *Trid.* (Sess. XIII).

1° Enimvero, *a*) præter argumentum desumptum ex *oblatione Melchisedech* quæ in pane et vino facta refertur quæque *figura* Eucharistiæ exstitit, *b*) suppetit manifestissima *Christi institutio* quam narrant sacri auctores, maxime Matth. XXVI, 26-29 et Luc. XXII, 18-20 ; *c*) item favet, una cum *Patrum* sententiis, constans *praxis Ecclesiæ* tum Orientalis tum Occidentalis.

2° Quatuor *rationes convenientiæ* afferri possunt : — *a*) et *prima* quidem ex *usu sacramenti*. Eucharistiæ enim usus est cibatio seu manducatio spiritualis, sicut baptismi usus est spiritualis ablutio. Atqui, quemadmodum corporalis ablutio communiter fit in aqua (quæ idcirco in materiam baptismi assumitur), ita pane et vino ceu frequentiori cibo et potu homines communius reficiuntur. Ergo etc.

b) *Secunda* ratio ducitur ex *repræsentatione sacramenti*. Siquidem constat Eucharistiam se habere quasi memoriale passionis Domini. Porro in passione dominica scimus sanguinem fuisse a corpore verberibus contrito separatum. Apte igitur, ad hoc repræsentandum mysterium, seorsum sumitur in Eucharistia panis ut sacramentum corporis et

vinum ut sacramentum sanguinis ; eo magis quod « grana in area conculcantur, et panis in fornace decoquitur, et vinum in torculari exprimitur : quæ omnia competunt ad repræsentandum passionem » (4 S. D. XI, Q. II, a. 1, sol. 2).

c) *Tertia* ratio est ex *effectu immediato :* sacramentum enim eucharisticum proxime ordinatur ad hoc ut in unoquoque sumentium et animam reficiat et corpus etiam in præsenti vita, secundum quod operibus spiritualibus animæ cooperatur. Atqui, licet tum corpus tum sanguis Christi ad salutem tum animæ tum corporis valeant, tamen per appropriationem quamdam magis corpus Christi sub specie panis saluti corporis, magis vero sanguis Christi sub specie vini saluti animæ procurandæ congruit. Ergo.

d) *Quarta* ratio sequitur ex *effectu mediato :* quippe per Eucharistiam ea generatur gratiæ vis quæ sumentem non solum in se, sed et per respectum ad totum Ecclesiæ corpus virtute veri corporis Christi sanctificat. Atqui huic significandæ unitati mystici Christi corporis, ex diversis fidelibus consurgentis, apprime convenit tum panis qui conficitur ex diversis granis, tum vinum quod ex multis uvis confluit. Ergo.

Conclusio 2ª.— Dici nequit materiam Eucharistiæ esse per se seu directa institutione Christi determinatam ; bene tamen determinatio requiritur per respectum ad sacerdotem, cui materia illa moraliter præsens esse debet, et cujus intentione in individuo definienda est.

1ª *Pars* sic ex *D. Thoma* persuadetur.— In omnibus ex materia formaque constantibus determinatio materiæ (quæ detur) accipienda est vel ratione formæ, vel ratione finis. Atqui neutro ex capite *per se* definitur quanta esse debeat eucharisticæ materiæ quantitas : ergo. *Min. decl : a*) Et quoad *formam* quidem, cuique consideranti patet per verba *hoc est*, etc., *h c est* etc., nequaquam determinari sive parvam sive magnam panis vel vini quantitatem. *b*) Quoad *finem* vero, ita ratiocinamur : finis Eucharistiæ est fidelium usus. Ergo ex hac parte quantitas materiæ eucharisticæ determinanda foret per respectum ad usum fidelium. Atqui non usus fidelium *præsentium* hanc determinationem efficit, quandoquidem nemo negat posse sacerdotem consecrare plures hostias quam adsint fideles ; neque multo minus usus fidelium *absolute*, quorum indeterminatus est numerus. Ergo.

2ª *Pars* subit qua duplex determinationis ratio asseritur, una ex *præsentia*, altera ex *designatione*.

1° Dico materiam Eucharistiæ talem esse oportere quæ sacerdoti consecranti sit *moraliter præsens ;* moraliter, inquam, seu ex communi hominum judicio. Audiatur *Angelicus* (4 S. D. XI, Q. II, a. 1, qu. 3 ad 1) : « Non posset (ait de sacerdote) consecrare totum panem qui est in una civitate simul, vel qui est in foro (saltem spatioso) ; quia ipsa forma *pronomine demonstrativo* utens ostendit quod materia consecranda debet esse *coram sacerdote.* Unde sacerdos existens in domo sua non posset consecrare panem qui est in altari ». Quapropter verum maneat qualemcumque panis ac vini quantitatem consecrari valide posse, dummodo tamen non sit tam *magna* ut limites humanæ præsentiæ exeat, nec tam *parva* ut humanorum sensuum captum effugiat.

2° Subjicio necessarium esse ut sacerdos *intentione* sua definiat qualem *in individuo* materiam consecrare velit. *Ratio* summa est, quia actiones versantur circa singularia. Porro ex institutione Christi non ad quemcumque, nec ad Deum ipsum, sed ad sacerdotem, Dei ministrum intelligentem et liberum, pertinet designare *singulariter* materiam circa quam velit sacramentaliter agere. Cf. quæ dicta sunt, dum ageretur de *intentione* ministri sacramentorum (Disp. I, Q. V, a. 5)[1].

Solv. obj.— Obj. 1 (cont. 1am concl.).— Sacramentum Eucharistiæ ubique celebrandum est. Atqui in quibusdam terris non reperitur nec conveniens panis neque vinum. Ergo.

Resp. *D. M :...* quoad fieri possit, *C ;* quasi talis sit necessitas ut, deficiente una partiali materia, *liceat* nihilominus sacramentum celebrare (vid. infra, Q. V, a. 4), *N.*— *D. m :...* tamen de facili ad omnes terras deferri possunt, *C ;* secus, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Sacramentum Eucharistiæ competit sanis et infirmis. Atqui quibusdam infirmis vinum nocivum est. Ergo.

Resp. *D. M :...* quasi sit necessario sub utraque specie sumendum, *N ;* ita ut sufficiat sub specie panis illud accipere (cf. Disp. VII, Q. I, a. 6), *C.*— *Trans. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3 (cont. 2am concl.).— Opera gratiæ non sunt minus ordinata quam opera naturæ. Atqui omnium naturâ constantium fixa est mensura. Ergo.

Resp. *D. M :...* ea ordinis ratione quæ propriæ indoli propriove fini respondeat, *C ;* eadem prorsus ordinis lege, *N.*— *D. m :...* pro exigentia determinatæ *formæ naturalis, C ;* et forma vel finis Eucharistiæ eamdem de se determinationem involvit, *N.*— *Neg. conseq.*

[1] — Corollaria practica ex posito principio defluentia videre est penes casuistas morales.

Obj. 4.— Ministris Ecclesiæ non est a Christo data potestas ea perficiendi quæ in irrisionem fidei vel sacramentorum vergant. Atqui potestas consecrandi v. g. totum panem qui alicubi venditur, si daretur, vergeret in irrisionem sacramenti. Ergo.

Resp. *D. M* :... *per se* et vi institutionis, ordinantis potestatem ad proprium effectum, *C ;* per *accidens* et secundum potestatis abusum seu deviationem in malum finem, *N.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

Utrum requiratur ad materiam hujus sacramenti quod sit panis triticeus necnon azymus.

(Art. 3-4).

Determinata in genere duplici materia Eucharistiæ, ulterius inquirendum est qualis *in specie* unaquæque esse debeat. — Et primo quod ad *panem* spectat, cum omnibus theologis compertum sit illum *triticeum* esse oportere, sola dissensio esse potest de iis quæ pertineant necne ad panem sic nuncupatum.— Gravis vero a *Graecis* contra Latinos accusatio jamdudum mota est (quam et hodie refovent)[1], usum *panis azymi* novitatem esse veteri consuetudini contrariam omnique reprehensione dignam.— Duo doctrinæ capita in distinctis conclusionibus constituemus.

Conclusio 1ª.— Propria materia Eucharistiæ est panis triticeus, ita confectus ut vere seu simpliciter panis rationem habeat.— Cf. C. J. C. (can. 815, n. 1).

1ª *Pars* accipi debet de *necessitate sacramenti*, non præcepti tantum, potestque dici *proxima fidei ;* siquidem *Conc. Flor.* (Decr. pro Arm.) verba sunt quod Eucharistiæ « materia est panis triticeus », et *Miss. Rom.* (De defect. III) ulterius declarat sine hoc pane « non confici sacramentum ».

1° In Veteri Testamento referuntur (apud *Suarezium* in h. l.) multa *vaticinia*, quibus (interprete præsertim S. Hieronymo) sub nomine *frumenti* vel cibi *ex adipe frumenti* adumbratur sacramentum Eucharistiæ ex pane triticeo confectum. « Id etiam *figurâ* declaratur ; præceptum enim a Domino fuerat[2] ut panes propositionis, qui hoc sacramentum significabant, ex simila conficerentur » (Catech. Trid. n. 12).— In N. T. Chri-

[1] — Cf. *Litt. encycl. patriarch. et synod.* Anthimii VII ad Leonem XIII (1895).

[2] — Lev. XXIV, 5.

stus non absque symbolico respectu ad Eucharistiam (Hier., S. Bonav., S. Thom.) se comparat grano frumenti dicens (Joan. XII, 24-25) : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet ;* scilicet, sicuti ex frumento materiali sub terris corrupto uberrimæ prodeunt segetes, ita ex frumento spirituali sub speciebus consecratis veluti emortuo mirabilissima vegetatio efflorescit qua homines in totidem quasi deos transformantur. Cæterum, omnes admittunt Christum in pane triticeo, qui paschali esui deserviebat, sacramentum sui corporis *instituisse.*

2° Præter *praxim* in universa Ecclesia vigentem consecrandi panem triticeum, vetustæ *traditionis* suffragia peti possent ex *S. Irenaeo* (cont. hær. l. IV, c. 18, n. 4), ex *Clemente Alex.* (Strom. l. IV, c. 11), ex *Orig.* (in Gen. hom. 12, n. 5), necnon ex *Conc. Chalced.* (act. III) ubi Ischirion diaconus conquestus est, Dioscori avaritia factum esse ut incruentum missæ sacrificium non offerretur, defectu scil. tritici quod a Dioscoro maximo pretio vendebatur (ap. *Sasse*, th. XI).

3° *a*) *Rationes* convenientiæ sunt, quia (ut ait *S. Bonaventura* in hoc Angelico consentiens) panis triticeus est cibus magis conveniens, cibus efficax, cibus sanans, cibus omnibus communis (4 D. XI, p. 2, a. 1, q. 1).

b) Hinc excluditur ex *mente D. Thomæ* quicumque panis a tritici specie, naturalistarum judicio, essentialiter deficiens. — Ipse autem S. Doctor arcendum ratus est cum panem *hordeaceum* significandæ Christi suavitati minus congruum, tum quoque panem confectum ex *spelta* vel *farre* cujus similitudo exterior cum tritico magis propinquitatem quam identitatem speciei promere videtur. *Siligo*, quam Auctor ceu viliorem tritici varietatem admittit, materia dubia a plerisque pronuntiatur.— *Permixtio* vel *corruptio* quæ debiti panis speciem non solvat, etsi ejusdem panis usum *illicitum* reddere queat, non tamen sacramentum irritat ; secus, si usque ad mutationem speciei deveniat (art. 3 ad 3-4).

2ª *Pars* id enunciat, ad sacramentum Eucharistiæ requiri ut panis adhibitus *vere* seu *simpliciter* talis dici possit. Jamvero hoc importat non solum triticum quasi materiam ex qua fiat, sed etiam *aquam naturalem* farinæ mixtam et *ignis* calorem quo massa assetur.— *a*) De conditione aquæ ait *S. Thomas* (art. 7 ad 3) : « Quia admixtio aquæ ad farinam est de necessitate hujus sacramenti, utpote constituens substantiam panis, si farinæ admisceretur aqua rosacea vel quicumque alius liquor quam *vera aqua*, non posset ex eo confici sacramentum, quia non esset verus panis ».— *b*) Conditionem ignis pariter indicat *Angelicus* (Q. LXXV, a. 6 ad 1)

dicens de arte quod « producit formam substantialem panis virtute *ignis* decoquentis materiam ex farina et aqua confectam ».

Conclusio 2ª.— QUAMVIS IN UTROQUE PANE, AZYMO ET FERMENTATO, EUCHARISTIA CONFICI QUEAT, NEC IDCIRCO DAMNARI POSSIT GRÆCA CONSUETUDO UTENDI FERMENTATO, RECTE, IMO RECTIUS, LATINI AZYMO TANTUM UTUNTUR.

1ª *Pars* constat ex *Conc. Florentino* dicente (Decr. un. Græc.): « Definimus in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici ».— *Ratio* est, quia ex Christi institutione id duntaxat tanquam *essentiale* accepimus, panem *verum* esse materiam Eucharistiæ. Atqui differentia azymi et fermentati veritatem panis non tollit ; siquidem accidentaliter tantum se habet. Ergo.

2ª *Pars* nititur eodem decreto *Flor.*, ubi statuitur sacerdotes Eucharistiam « conficere *debere*, unumquemque juxta suæ Ecclesiæ, sive occidentalis, sive orientalis, consuetudinem »; quibus verbis consonat *Codex* (can. 816).— Sane *a*) hoc pertinet ad *varietatem rituum* quæ, nedum Ecclesiæ pulchritudinem offendat, illam potius ditat et exornat. *b*) Nec pani fermentato, a Græcis adhibito, desunt *congruentiae*, quarum præcipua est quod, ex tritico fermentoque coalescens, mysterium Christi geminâ naturâ constantis repræsentare potest.

3ª *Pars* dirigitur contra Græcos.

Et 1° consuetudo latina de pane azymo innititur *exemplo Christi*.— *a*) Christus enim (ut jam alibi asseruimus) sacramentum Eucharistiæ instituit *prima die azymorum*, quando nihil fermentatum in domibus Judæorum esse debebat.— *b*) Imo, etiamsi (ut Græci volunt) una die antevertisset festum paschale, magna adhuc esset *praesumptio* institutæ Eucharistiæ in azymo : quippe « Christus non venit legem solvere, sed implere, ut dicitur Matth. V, 17. Sed secundum legem agnus paschalis comedebatur cum azymis, ut patet Ex. XII. Ergo Christus agnum paschalem cum azymis comedit » (4 S. D. XI, Q. II, a. 2) ; nec apparet qua de causa fermentatum azymo in Eucharistia conficienda mox subrogasset.

2° Favet usus azymi *antiquitas*, quæ probabilissime usque ad ætatem apostolicam assurgit (etsi non omnes eruditi in describenda vice *historica* illius ritus consentiant)[1]. Præ

[1] — Quænam, tempore S. Thomæ, esset de ea re communis opinio, sequens narratio (qualiscumque sit ejus valor criticus) indicat : « Dominus in azymo confecit, ut ex tribus Evangelistis habetur manifeste ; et ita in primitiva Ecclesia Apostoli celebrabant ; quem morem Romana Ecclesia ab Apo-

aliis testimoniis veterum, inter quos *Alcuinus*, *Rab. Maurus* cæterique plures, illud antiquius eligimus *legatorum S. Agathonis P.* in Syn. Cptana III, ubi (prout refert Card. Humbertus adv. Nicetam Pect.) dixerunt : « Oblatio, quæ in sacrificium altaris offertur, nullam commixtionem aut corruptionem fermenti debet habere : sicut B. Virgo Maria absque omni corruptione Christum concepit et peperit, sic et oblatio munda debet esse a fermento ». (Ap. *de Augustinis*, de Euch. th. VIII).

3° *a*) Ex his verbis *primam* colligimus rationem congruentiæ, quatenus nempe panis azymus magis convenit ad repræsentandum corpus Christi sine corruptione conceptum. — *b*) *Altera* ratio ab Auctore subjicitur, quia videlicet hoc magis competit sinceritati fidelium quæ requiritur ad usum hujus sacramenti, secundum illud (1 Cor. V, 7-8) : *Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur... in azymis sinceritatis et veritatis.*

His omnibus perspectis, *S. Thomas* Latinorum usum dicit *rationabiliorem.*

Solv. obj. (cont. 2am concl.).— Obj. 1.— Legalia non sunt observanda tempore gratiæ. Atqui usus azymorum fuit legalis quædam cæremonia. Ergo.

Resp. *D. M :... formaliter* seu quatenus legalia sunt, *C ; materialiter*, quasi res in usu apud Judæos non possint nunc secundum Christi institutionem adhiberi, *N.*— *D. m :...* nec usus fermenti, *N ;* Judæi panes primitiarum fermentatos offerebant, *C.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Eucharistia est sacramentum charitatis. Atqui *charitatis* fervor significatur per fermentum. Ergo.

Resp. *D. M :...* necnon puritatis et incorruptionis, *C ;* secus, *N.*— *D. m :...* admixta tamen *corruptionis* significatione ; *C ;* simpliciter, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Accidentia non variantia speciem attendi non debent, sicut patet de aqua in baptismo quæ potest esse vel salsa vel dulcis. Aqui azymum et fermentatum sunt accidentia non variantia speciem. Ergo.

Resp. *Trans. M.*— *D. m :...* et ideo perperam Græci Latinos criminantur de usu azymi, *C ;* ratio fermenti, etsi de

stolis, qui ipsam fundaverunt, accepit, ut Innoc. III dicit (l. IV de Myst. Miss. c. 4). Sed postea, ut dicit Leo P. IX (Ep. ad Mich. Cptanum), imminente hæresi *Ebionitarum*, qui dicebant simul cum Evangelio legalia observanda, ss. patres, ne eis consentire viderentur, voluerunt *ad tempus* instinctu Sp. Sancti ex fermento confici sacramentum: postea cessante illa hæresi, Ecclesia Rom. ad pristinum morem rediit ; Græci autem servare voluerunt morem ad tempus a patribus introductum, ulterius addentes non posse confici nisi de fermentato » (4 S. D. XI, Q. II, a. 2, sol. 3).

se non varians speciem, nequit ad hanc speciei corruptionem conducere, *N.*— *Neg. conseq.*[1]

ARTICULUS III.

Utrum vinum vitis sit propria materia hujus sacramenti.

Secunda Eucharistiæ materia discutienda profertur : — circa quam hic narratur *error*, nempe quosdam sæc. VII extitisse qui non vinum ex uvis expressum, sed *uvas integras* offerrent, quique idcirco a Conc. IV Bracarensi damnati sunt. Posterius etiam fuerunt in Dania qui, deficiente vino, siccas uvas vel fæces uvi aqua mersas adhiberent : eos Alex. III graviter reprehendit.

Conclusio.— ALTERA MATERIA PARTIALIS SACRAMENTI EUCHARISTIÆ EST SOLUM VINUM DE VITE, IN EO STATU EXISTENS UT PROPRIE VINUM DICIQUEAT.— Dico *solum vinum de vite*, ad excludendum quodcumque vinum arte confectum ex diversis fructibus præter uvas. Cf. C. J. C. (can. 815, n. 2).

1ª *Pars* asserta reperitur in *C. Flor.* (Decr. pro Arm.).

1° In V. T. veritatis hujus indicium deprehendi potest in verbis Jacob (Gen. XLIX, 11) : *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvae pallium suum;* ubi affinitas inter vinum uvæ et Christi sanguinem prophetice præsignatur.— In N. T. *a*) sicut Dominus se comparaverat grano frumenti, ita etiam se viti comparavit (Joan. XV, 1) : *Ego sum vitis vera :* quibus comparationibus utraque materia Eucharistiæ insinuata censeri potest. *b*) At vinum vitis de hac esse materia, clarius colligitur ex eo quod Salvator dixit circa hujus sacramenti institutionem (Matth. XXVI, 29) : *Non bibam amodo de hoc genimine vitis.*

2° Summum argumentum est *Ecclesiae sensus*, qualis elucescit tum ex *liturgiis* et universa *praxi*, tum ex *Patrum* et *Doctorum* documentis. In re tam aperta sat esto memorare verba *S. Cyrill. Hier.* (Catech. myst. IV, n. 2) : « Aquam olim in vinum, quod sanguini affine est, in Cana Galilææ transmutavit ; et non est dignus cui credamus, quando vinum in sanguinem transmutat » ?

3° *a*) *Ratione* sic arguitur : ad materiam sacramentorum assumitur id quod *proprie* et *communiter* in tali specie ponitur. Atqui proprie et communiter vinum dicitur quod de vite est ; alii vero liquores vinum nuncupantur secundum

[1] — Plures objectiones solutas invenies penes S. Thom. 4 S. *l. cit ;* — de Augustinis, *l. cit.*

quid et analogice seu ob similitudinem quamdam cum vino vitis. Ergo.— *b*) Præterea vinum vitis, utpote calefactivum maximeque lætificum, juxta illud (Ps. CIII, 15): *Vinum lætificat cor hominis*, apprime congruit significando effectui Eucharistiæ quæ amorem Dei fovet et « lætificat caritate inebriatos » (4 S. D. XI, Q. II, a. 1, sol. 2).

2ª *Pars* declaratur.

Cum ex dictis compertum habeamus vinum eucharisticum illud esse quod *proprie* et *simpliciter*, communi hominum æstimatione, vini nomen vindicet, sequentia statuere fas erit : — 1° Succus *intra uvas* non est consecrabilis, siquidem (ut ait *Cajet.* in h. art.) « uva non continet vinum sub forma potabili, sed manducabili ».— 2° *Agresta* seu succus ex immaturis uvis expressus nequit pariter consecrari, propterea quod est in via generationis, ideoque nondum speciem vini habet.— 3° At *mustum* seu succus ex *maturis* uvis recens expressus nondumque fermentatus, de consensu *D. Thomae* omniumque theologorum[1], jam communi æstimatione ad speciem vini devenit[2], prout ejus dulcedo attestatur, potestque esse materia valida sacramenti, etsi non licita (nisi in necessitate) ob liquidi impuritatem. Huc facit illud *Julii I* (de Consecr. D. II, c. 7) : « Si necesse sit, botrus in calice comprimatur et aqua misceatur ». Conf. ex *Rubr. Miss.* (De defectibus, etc., t. IV, n. 2) : « Si fuerit... mustum de uvis *tunc* expressum... conficitur sacramentum, sed conficiens graviter peccat.»— 4° Certo constat vinum ex *uvis passis* expressum posse in Eucharistia adhiberi, « dummodo ex colore, odore et gustu dignoscatur esse verum vinum » (S. Off. 1706.)— 5° Nil ad valorem sacramenti refert, albumne sit vinum, an rubrum ; gallicum, italicum, etc.; nec enim *color* nec *origo* probibent ne proprie sit vinum de vite.— 6° Licet de vino *acescenti* tantum seu in via ad corruptionem valide (quanquam haud licite) confici valeat sacramentum, secus est de *aceto* seu vino penitus corrupto.— 7° Disputatio est de vino *congelato ;* quod tamen esse consecrabile, longe probabilius censemus : siquidem proprie ac essentialiter vinum est, *per se* et ab intrinseco potabile (contra ac uvæ integræ). Nec enim status *fluens*, qui est quidpiam accidentarium, requiritur ad Eucharistiam, sicut ad baptismum : is quippe perficitur in usu, illa vero in consecratione materiæ. *Conf.* ex

[1] — Suarez, Disp. XLV, sect. 1, n. 6.

[2] — Mustum *simpliciter* est vinum, non tamen *perfectum :* ad quam perfectionem chimici respicere videntur, quando requirunt ad rationem vini fermentationem (cf. *Revue thomiste*, an. 1901, pag. 346).

Rubr. Miss., ubi supponitur sub speciebus congelatis manere corpus Christi[1].

ARTICULUS IV.

Utrum et quanta sit aqua vino permiscenda ; — in quid convertatur.

(Art. 6-8)

Postremo loco dicendum superest de *aqua* quæ vino eucharistico misceri solet.

1° *a*) *Armeni* monophysitæ sensisse feruntur, purum vinum sine aqua esse consecrandum, ne mixtio aquæ unionem duarum naturarum in Christo significare videretur. *Lutherani* et *Calvinistae* Armenos imitantur (Bellar. l. IV, c. 10).— *b*) In aliud extremum *quidam* abierunt dicentes, mixtionem aquæ esse non solum de necessitate præcepti, sed etiam de necessitate sacramenti : quod tamen communiter rejicitur.— *c*) Demum de aqua sic vino admixta controversia est inter theologos, quid evadat, numque præsertim *immediate* vertatur in sanguinem Christi, vel *mediate* tantum, scil. postquam in vinum conversa fuerit.

2° Quæ sub præsenti articulo ex doctrina D. Thomæ determinanda occurrunt, duabus conclusionibus comprehendemus : quarum una de quæstione *an* mixtio facienda sit, altera de quæstione *qualiter* mixtio se habeat.

Conclusio 1ª.— CONVENIENTER PRÆCEPTUM EST UT AQUA VINO ANTE CONSECRATIONEM EUCHARISTICAM MISCEATUR, LICET HOC NON SIT DE NECESSITATE SACRAMENTI.

1ª *Pars* innititur definitionibus Conciliorum, maxime *Flor.* necnon *Trid.* (Sess. XXII, can. 9) : « Si quis dixerit... aquam non miscendam esse vino in calice, eo quod sit contra Christi institutionem ; A. S.»

Et 1° non sine causa fundamentum hujus præcepti petitur ex *Christi exemplo : a*) « probabiliter enim creditur quod Dominus hoc sacramentum instituerit in vino aqua permixto *secundum morem illius terrae* » (art. 6). *b*) Quin imo plures veteres expresse id, quasi extra omne dubium positum, attestantur ; inter quos *S. Irenaeus*, *S. Cyprianus*, *S. Basilius*, patres *Conc. Carthag. III*, etc. (ap. Bellarm. *l. cit.*).

[1] — De vini conditione chimica plura recentia decreta *S. Off.* referunt auctores, utputa Haine, *Theol. Mor. elem.;* Gasparri, *Tract. can. de SS. Euch.;* etc.

2° Ut laud. *Bellarminus* erudite ostendit, *Ecclesiae sensum* et *praxim* demonstrant testimonia Patrum omnium regionum ; in exemplum sit *S. Ambrosius* (de Sacram. l. IV, c. 5, n. 23) : « Ante verba Christi, inquit, calix est vini et aquæ plenus ; ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit ».

3° *Rationes congruae* haud desiderantur : — nam ex *parte Christi* spectata, mixtio illa convenit *a*) tum repræsentandæ unioni in ipso humanæ naturæ cum divina, *b*) tum præsertim rememorandæ ejus passioni in qua sanguis et aqua ex latere Domini profluxisse leguntur.— *Ex parte* vero *fidelium* et *effectus* sacramenti non minus conveniens est eadem mixtio : quippe per eam apta significatur conjunctio populi christiani cum Christo capite, secundum quod aqua populum, vinum vero Christum seu Christi sanguinem demonstrat.

2ª *Pars*, supposito *ecclesiastico praecepto* de miscenda aqua, negat hoc esse de necessitate sacramenti : — quod *certo* apparet ex *Rubr. Miss. Rom.* (tit. 4) necnon ex decr. *S. C. de Prop. Fid.* (1635), ubi etiam negatur *praeceptum divinum*.

1° Sane nihil est in Scriptura nec in traditione quod talem necessitatem (sicut et Christi præceptum) adstruat. Verba enim *S. Cypriani* (Ep. 63 ad Cæcilium, n. 13) quod « offerri aqua sola non potest, quomodo *nec vinum solum potest* » intelligenda non sunt de eodem impossibilitatis genere, sed eo sensu quod tum vinum tum aqua requiritur, unum de necessitate sacramenti, aliud vero de necessitate præcepti ecclesiastici. Hanc esse laud. Patris mentem, certiores nos faciunt quæ subdit : « Si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse » etc.; ex quibus colligitur aquam non requiri ad validitatem consecrationis.— 2° Id tantum in sacramentis seu signis sacramentalibus absolute necessarium est, cujus significatio est omnino essentialis. Atqui, ut patet ex dictis (art. 1-3), significatio materiæ eucharisticæ *essentialiter* salvatur per panem et vinum ; aqua vero, quæ vino veluti contingenter adjungitur, non addit nisi accidentalem, *contingentem* et mysticam significationem : unde non seorsim, sed una cum vino consecratur. Ergo.

Conclusio 2ª.— EXPENSIS QUIBUSDAM OPINIONIBUS, STATUITUR TANQUAM PROBABILIUS AQUAM VINO ADJUNCTAM EATENUS IN SANGUINEM VERTI QUATENUS PRIUS IN VINUM IPSUM TRANSEAT, IDEOQUE PARUM DE ILLA VINO ESSE APPONENDUM.

1ª *Pars* declaranda est recensione ac trutinâ *trium opinionum* quæ hac super re invaluerunt.

1ª *opinio* est, quod aqua adjuncta vino, post ejusdem vini consecrationem, per se seu in sua natura semper manet, sanguini circumfusa. At positio ista *improbabilis* videtur : *a*) siquidem, juxta communem sensum quem *S. Thomas* (art. 8) *Ambrosii* suffragio confirmat, in sacramento altaris post consecrationem nihil est nisi corpus et sanguis Christi. *b*) Unde totum id quod pyxide vel calice continetur, veneratione latriæ solet adorari. *c*) *Conc. Trid.* etiam dicit post consecrationem remanere *duntaxat* species panis et vini (Sess. XIII, can. 2). *d*) Tandem « sufficit ad sacramenti hujus (dominicæ scil. passionis) significationem quod sentiatur aqua *cum* apponitur vino, non autem oportet quod sit sensibilis post mixtionem » (art. 8 ad 1).

2ª *opinio* fuit, quod sicut vinum convertitur in sanguinem, ita aqua vino apposita convertitur in aquam quæ de latere Christi fluxit.— Sed (ne plura dicamus) huic opinioni obstat consecrationis forma divinitus præscripta, qua nempe vinum quidem seorsum a pane, non autem aqua seorsum a vino consecratur. Est igitur sententia illa « pia potius cogitatio quam theologica ratio » (Bened. XIV).

3ª *opinio* vult aquam vino appositam *immediate*, seu quin in vinum prius transeat, in sanguinem Domini converti. — Hæc tamen sententia minime satisfacit : *a*) *primo* quia, juxta fidei definitiones, *solum vinum* (cum pane) est materia sacramenti Eucharistiæ ; unde Julius I (de Consecr. D. II, c. 7) : « Præter panem et vinum *aliud* offerri non licet ». *b*) *Secundo* quia præfata sententia et Patribus et maxime scholasticis fere omnibus adversatur (ut demonstrat *Sylvius* in h. l.).

2ª *Pars* veriorem sententiam effert, nempe eatenus aquam vino adjunctam verti in sanguinem quatenus prævie (quod verisimile est) in vinum utcumque transeat.— Nam cum vinum secundum se jam aliquantulum aquæ præcontineat, pronus naturæ cursus est ut aqua adjuncta in vinum transeat seu in statum aquæ inibi praexistentis reducatur.— Hæc communior est *Scholarum* sensus, cui suffragatur *Catech. Trid.* inquiens (P. II, de Euch. n. 18) : « Ecclesiasticorum omnium sententia et judicio aqua illa in vinum convertitur ».— Accedit *Innoc. III* auctoritas qui, relatis diversis opinionibus (Decr. l. III, t. 41, c. 6), concludit : « Inter opiniones prædictas illa *probabilior* judicatur (hanc autem prius exposuerat, secundum quod aqua mixta vino in vinum transeat) quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari, ut ex-

pressius eluceat proprietas sacramenti. Nam... ideo vino aqua unitur, ut Christo populus adunetur : per hoc enim quod suscepit ipse de nostro, et accepimus ipsi de suo, tam insolubili nexu conjungimur, ut qui est unum cum Patre per ineffabilem unitatem, fiat unum nobiscum per admirabilem unionem, ac per hoc, ipso communiter mediante, cum Patre unum efficimur ».

3ª *Pars* ex dictis veluti *consectarium* profluit : ideo enim aqua vino mixta in vinum converti ante consecrationem censetur, quia non est tantæ quantitatis quæ vini speciem solvere valeat, sed ad eam trahitur ; secus vero contingeret, prævalente aqua. Atqui deficiente specie vini, non perficitur ejus consecratio. Ut ergo periculum hoc arceatur, tutius est, præsertim si vinum debile sit, *parum* de aqua effundere.— Unde non solum hoc in *Miss. Romano* præscribitur, sed jamdudum *Julius I* (l. cit.) damnaverat usum reservantium per totum annum pannum lineum musto intinctum temporeque sacrificii ejus partem aqua lavantium quam postea offerrent. *Honorius III* (Decr. l. III, t. 41, c. 13) contra inolescentem abusum decrevit « secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis » plus de vino quam de aqua in sacrificio esse ponendum. Tandem in *Conc. Flor.* (Decr. pro Arm.) statutum invenitur quod « aqua *modicissima* admisceri debet ». Quibus verbis iisdem utitur *Codex* (can. 814).

QUÆSTIO SECUNDA

DE CONVERSIONE PANIS ET VINI IN CORPUS ET SANGUINEM CHRISTI

Hactenus de materia remota Eucharistiæ ; nunc de materia ejus *proxima*, et in primis secundum quod respicit *fieri* hujus sacramenti seu conversionem consecrandi actu perfectam.— Logica quæstionis partitio sic accipienda videtur, ut primum *de termino ad quem* huius conversionis ceu ratione ejus specificativa agamus (art. 1), deinde de *ipsa conversione* (art. 2-7) : hæc autem spectari poterit vel secundum *rem* (art. 2-6), vel secundum *loquendi modum* (art. 7) ; secundum rem, aut *absolute* (art. 2-5), aut relative seu quoad *tempus* (art. 6) ; absolute vero, tum ex parte *ejus quod convertitur* nec post consecrationem permanens (art. 2) nec annihilatum (art. 3), tum ex parte *conversionis formaliter* sumptæ (art. 4), tum denique ex parte *eorum quae* facta consecratione *supersint* (art. 5).

ARTICULUS I.

Utrum in hoc sacramento sit corpus Christi secundum veritatem ; — seu de praesentia reali.

1° Gravissima hoc titulo versanda proponitur quæstio inter hæreticos et catholicos pluribus abhinc sæculis agitata ; — de qua vel ab initio præmonere juverit dubium moveri circa *realem* Christi præsentiam in sacramento Eucharistiæ, non vero circa *modum* quo hæc præsentia fiat.

2° Omnes hæretici, qui a primis Ecclesiæ sæculis veritatem Incarnationis denegavere, eo ipso *indirecte* realitatem præsentiæ eucharisticæ sunt inficiati ; ac eos dumtaxat recensebimus qui *directe* huic dogmati repugnarunt.

a) Inter *antiquos* primi (teste *Bellarm.* de Euch. l. I, c. 1) Eucharistiæ oppugnatores fuerunt sæc. VIII *Iconomachi* dicentes sacramentum illud unicam esse Christi imaginem ab ipso institutam.— *Scotus Erigena* sæc. IX de eodem dogmate hæretice sensit et scripsit ; cujus liber in pluribus synodis proscriptus est.— Apertius hæresim protulit sæc. XI *Berengarius*, qui primum docuit non esse Christum in Eucharistia nisi tanquam in signo, dehinc vero (referentibus ejus discipulis) errorem forte eo coegit quod negaret tantum præsentiæ realis modum seu transsubstantiationem, ponens Christum simul cum pane et vino : cæterum et præsentiam realem et transmutationem panis in corpus Christi in Conc. Rom. sub Greg. VII confiteri coactus est.— Sæc. XII-XIII *Henriciani*, *Petrobrusiani*, *Albigenses*, etc., majori opinionum pervicacia veritatem corporis et sanguinis Christi in Eucharistia de medio tollere præsumpserunt.— Eadem hæreticalis molitio *Wicleffitis* sæc. XIV tribuitur.

b) Horum antecessorum grassantibus erroribus pronum erat ut *Novatores* sæc. XVI assensum præberent.— Post quasdam ancipites *Lutheri* sententias (ipse enim nunquam aperte præsentiam realem negavit), *Sacramentarii*, quo nomine designantur *Carolostadius*, *Zwinglius*, *Œcolampadius*, *Buc rus*, etc., palam asseruerunt Christum figurate tantum seu symbolice esse in sacramento Eucharistiæ, nec proinde sub speciebus panis et vini adorari posse.— *Calvinus* mediam tenere viam Lutherum inter et Sacramentarios suscepit, quamvis ad istos propius accederet : negabat enim contra Lutherum Christi corpus alibi esse quam in cœlo ; nec tamen cum Sacramentariis dicebat symbola tantum nobis in Eucharistia dari, sed contendebat quamdam vim seu virtutem ex Christi carne ad nos derivari, ita ut fide mediante

efficiamur corporis Christi participes.— Inde ab Henrici VIII morte haud dissimilis doctrina in *Ecclesia Anglicana* obtinere cœpit (cf. Sasse, *de Euch.* P. I).

c) Attamen, labente sæc. XIX, fidem realis præsentiæ inter Anglicanos restaurare conati sunt *Tractariani* (quos et *Puseistas* dixerunt et nunc, re doctrinali in rem ritualem evoluta, *Ritualistas* vocant). Neque duces Ecclesiæ officialis[1] omnino abjiciunt doctrinam Lutheranam de reali aliqua præsentia transeunte, quamvis ei Calvinianam vel Zwinglianam præferant. Extra Angliam moderni protestantes de ea re divisi manent in Lutheranos et Calvinistas vel Sacramentarios (etsi gubernium Borussiæ reconciliationem aliquam sub « Evangeliorum » titulo tentaverit) ; nec etiam desunt qui sacram Eucharistiam, sicut et reliqua dogmata, rationalismo pantheistico subjiciant.[2]

3° Res cum sit permagni momenti prorsusque *fundamentalis* in vera Christi religione, eam fusiori calamo pertractabimus ; qua declarata, duo *corollaria* de adoratione Christi sub speciebus consecratis breviter adjiciemus.

Conclusio.— Christus secundum verum corpus et sanguinem præsens existit in sacramento Eucharistiæ.— Id *fide* assertum est præsertim in *C. Trid.* (Sess. XIII, can. 1) : « Si quis negaverit, in ss. Euch. sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate D. N. J. C., ac proinde totum Christum, sed dixerit tantum modo esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute ; A. S.». Ubi Concilium apposite distinguit tria illa ; *vere*, *realiter*, *substantialiter* : *vere*, contra præsentiam mere *figuralem* ; *realiter*, contra præsentiam per *fidem* tantum ; *substantialiter*, contra præsentiam solius *virtutis* a Christo derivatæ.— Multipliciter argumentabimur :

1° Ex *S. Scriptura*, quo de fonte quatuor eruuntur, *figurae*, *promissio*, *institutio* et *usus*.

Arg. 1um ex *figuris*.— Figuræ suapte natura inferiores esse debent rebus figuratis, sicut umbra corpore et imago veritate. Atqui quæ in V. L. sacramentum Eucharistiæ præfigurarunt, vel excellentiora, vel saltem non inferiora sunt simplici et naturali pane significante corpus Christi. Igitur Eucharistia non simplex panis et signum, sed ipsum Christi corpus dicenda est. *Min. decl.* Figuræ Eucharistiæ (quas Patres agnoverunt) ad duplicem classem reduci possunt : *una* enim com-

[1] — Cf. declar. Archiep. Cantuar., *Charge delivered at his first visitation* (1898).

[2] — Cf. Chs Hodge, *Syst. Theol.*, P. III, c. 20.

plectitur panem Melchisedech, panem propositionis, panem primitiarum, et panem angelicum Eliæ subministratum ; *altera* comprehendit agnum paschalem, sanguinem Testamenti et manna Judæis in deserto datum. Porro consideranti cuique planum est has figuras, si comparatio fiat sub ea ratione qua figuræ sunt, scil. intrinsece et ex parte rerum, vel æquales Eucharistiæ vel ea præstantiores esse. Ergo. (Leg. *Bellarminus* qui l. I, c. 3-4, hoc argumentum evolvit et contra adversarios defendit).

Arg. 2um ex *promissione* (Joan. VI).— Caput istud in tres partes dispesci solet : 1^a^ pars enim (v. 1-21) narrat miracula Christi multiplicantis panes et ambulantis super aquas ; 2^a^ pars (v. 22-47) sermonem profert de pane vitæ quem se esse eloquitur Christus ; 3^a^ pars (v. 48 sqq.) continet factam a Christo suæ carnis et sanguinis promissionem. Porro de *prima* parte nulla controversia est. Nec etiam quæstio nunc movetur de *secunda :* quanquam enim nonnulli theologi contendant jam ibi de una Eucharistia orationem haberi, probabilius videtur panem vitæ, de quo est sermo, referri ad Christum absolute sumptum et ad omne id quo anima credens in Christo assequendo juvatur[1]. Verum *tertia* pars (contra hæreticos, eam explicantes de spirituali manducatione per fidem, et paucos catholicos motivo ductos tuendi veritatem de non præcepta communione sub utraque specie) censenda est claudere formalem Eucharistiæ promissionem ; adeo ut in eodem capite sexto progressio fiat de cibo carnali ad spiritualem et de spirituali ad sacramentalem.

Hisce præhabitis, sic *argumentum* conficio : Christus solemniter promisit se daturum suam carnem in cibum et suum sanguinem in potum ; quod quidem proprie acceptum nihil est aliud quam præsentia realis in Eucharistia. Atqui verba Christi intelligi debent *sensu proprio :* ergo. *Min. evincitur :— a)* Ex *usu temporis futuri.* Postquam Christus dixerat de dono Patris in præsenti : *Pater meus dat vobis panem de coelo verum*, scil. Verbum incarnatum, de dono suo ait in futuro : *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Jamvero manducatio metaphorica per fidem res est omnium temporum. Ergo hic de propria, non de metaphorica manducatione agitur.— *b)* Ex *distinctione cibi promissi.* Expresse enim Christus pluriesque distinguit inter *manducare* et *bibere*, inter *carnem* et *sanguinem* ceu *cibum* et *potum.* Atqui spiritualis perceptio Christi per fidem nequaquam eget tali distinctione ; imo eam uti futilem et insulsam abnuit. Ergo.

[1] — Ita Knabenbauer, *Curs. Script. Sac., Comm.* in h. l., pp. 223-224 et 233.

— *c*) Ex *parallelismo biblico:* facta enim collatione verborum hujus capitis cum verbis cœnæ, « tanta est similitudo, ut plane clamare videatur divina Scriptura ibi reddi quod hic fuit promissum » (Bellarm., c. 5). Nimirum illa loca se mutua locutionum consonantiâ illustrant.— *d*) Ex *responso Christi ad attonitos Judaeos.* Judæi enim, audito Christo, ideo litigasse ad invicem referuntur, quia *realem* carnis manducationem ab eo proponi intellexerunt. Porro Christus, nedum eorum sententiam correxerit (quod in hypothesi adversariorum certe pro more fecisset), illam iterum inculcavit, non solum repetitis iisdem verbis, sed adjecta adjuratione *amen, amen,* proprio, non figurato, sermoni congruente, adhibita etiam emphasi quadam (*caro mea vere est cibus*), et vindicata excellentia hujus cibi præ *manna ;* quæ omnia sensum proprium palam ostendunt.— *e*) Ex *altero responso ad discipulos.* Discipuli enim ipsi, verba Domini secundum *realem* significationem accipientes, offensionem ceperunt; quorum opinionem Dominus non correxit, sed arguit eorum dubitationem provocando præsertim ad *miraculum* suæ ascensionis. At quis credat Dominum, qui tantopere sitiebat hominum salutem, passurum fuisse ut tot discipuli ab ipso discederent, si potuisset uno verbo, scil. dicendo se figurate loqui, eos retinere? — *f*) Ex *auctoritate Ecclesiae* (C. Nicæn. II, act. 6 ; Trid. Sess. XIII, cap. 2), *Patrum* (Bellarm. c. 5), et fere omnium *theologorum* plus minusve diserte adhibentium verba Joan. VI ad probandam vel asserendam realem Christi præsentiam in Eucharistia ; unde verissime *Knabenbauer* (*Comm.* in Joan. p. 237) : « Profecto, inquit de Christo, si de Eucharistia loqui illamque depingere voluit, non potuit uti verbis clarioribus ».

Arg. 3um ex *verbis institutionis* (Matth. XXVI, 26-28 ; Marc. XIV, 22-24 ; Luc. XXII, 19-20 ; 1 Cor. XI, 24-25).— Verba illa, *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus,* « cum propriam et apertissimam significationem præ se ferant secundum quam a patribus intellecta sunt ; indignissimum sane flagitium est, ea a quibusdam contentiosis et pravis hominibus ad fictitios et imaginarios tropos, quibus veritas carnis et sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesiæ sensum detorqueri » (*Conc. Trid.* Sess. XIII, cap. 1). Proinde contra *Novatorum* commentum, quod Christus nihil aliud voluerit nisi panem et vinum instituere in signum seu *symbolum* corporis et sanguinis sui in cruce oblati et *fide* percipiendi, demonstrandus est *proprius* verborum institutionis sensus, ex quo præsentia realis consequitur.— *Prob.* tum negative, tum positive :

Negative quidem.— Nam juxta vulgatam scripturalis interpretationis regulam[1], «verba Sac. Scripturæ tamdiu accipienda sunt in sua propria et ordinaria significatione, donec aliqua *manifesta ratio* nos doceat figurate esse accipienda »; quæ ratio sumi potest vel ex ipsius Scripturæ *declaratione*, vel ex loquentis *scopo*, vel ex *rei natura*. Atqui neque ex uno neque ex alio fonte (ut solutio difficultatum compertum faciet) ulla duci potest solida ratio quæ nos edoceat deserendum esse sensum proprium : ergo.

Positive id ipsum suadetur quinque momentis : — *a*) nempe ex *materia* de qua agitur. Christus enim verbis cœnæ condebat testamentum, novum fœdus dicabat, sacramentum instituebat, legem promulgabat, denique dogma gravioris momenti tradebat. Atqui cuncta hæc requirunt planam admodum locutionem quæ vel propria sit, vel, si quando figuras admittat, ita tamen concepta sit aut aliis ex locis illustretur ut nulli æquivocationi ansam præbeat. Ergo, cum in præsentiarum figura (si daretur) foret prorsus insueta nec ullo loco explicata, standum est pro locutione propria.— *b*) Ex *verborum textu et contextu*. Nam *primo*, juxta vim græcæ versionis (cf. Franzelin, th. IV), Christus emphatice dixit : hoc *ipsum* corpus meum, *ipsum* quod pro vobis datur ; hic est *ipse* sanguis meus, *ipse* novi testamenti etc. Porro emphatica hæc repetitio nequaquam quadrat cum metaphora, sed proprietatem sermonis clare subindicat. Eo magis *secundo*, quia contextus importat : corpus *quod pro vobis* tradetur, sanguis *qui pro multis effundetur* etc.: quæ quidem haud obscure ostendunt corpus et sanguinem datum in Eucharistia ipsum esse reale corpus realemque sanguinem oblatum in cruce.— *c*) Ex *auditorum conditione*. Sermo enim directus ad homines simplices, illiteratos, et rebus mirabilibus assuetos, etiamsi rem mysterii plenam contineat, pronum est ut litteraliter intelligatur ac intelligi debeat, nisi ex loquendi usu vel loquentis declaratione sensus metaphoricus pateat. Atqui Apostoli, quibus Christus Eucharistiam tradidit, præfatæ erant conditionis ; neque, ut jam notavimus, sufficiens indicium dabatur figuratæ locutionis. Ergo.— *d*) Ex *Christi loquentis indole*. Christus summe sapiens, bonus et verax, ita loqui censendus est ut, in re præsertim gravissima, omne erroris vel deceptionis periculum ab audientium mente arceat. Atqui si verba instituendæ Eucharistiæ non proprium, sed figuratum sensum haberent, Christus, veluti oratione ad decipiendum composita, cum Apostolis, tum quoque toti in futurum Ecclesiæ illusisset :

[1] — Ubaldi, *Introd. ad sac. Script.*, vol. III, P. II, Sect. I, c. 1, a. 4.

quod vel cogitare impium est. Ergo.— *e*) Ex *Scriptorum inspiratorum consensu.* Tres evangelistæ, Matthæus, Marcus, Lucas, quibus consentit S. Paulus, fere iisdem verbis institutionem Eucharistiæ referunt. Atqui hic universalis consensus diversorum auctorum, tantum mysterium quasi eadem verborum formula attestantium, proprietatem sermonis Christi subaudit et arguit ; maxime cum in rebus obscuris soleant auctores illi se invicem supplere et explicare. Ergo.

Arg. 4um ex *verbis ad usum spectantibus :* — unde tres rationes potissimas[1] eruimus.

a) Legitur enim (1 Cor. X, 16) : *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est ?* His itaque verbis significatur (quod et aliunde constat), consecrationem omnino necessariam esse ad sacramentum Euch. conficiendum. At talis consecratio, etsi forte utilis, necessaria tamen non esset, si sacramentum non contineret nisi figuram vel repræsentationem sanguinis Domini : quippe ad hanc repræsentationis vim conferendam sufficeret, si non analogia naturalis, saltem primæva Christi institutio seu benedictio. Igitur communicatio veri sanguinis per calicem eucharisticum habetur.— *b*) Rursus dicitur (1 Cor. XI, 27) : *Quicumque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini*, etc. Igitur, ut gravis hæc admonitio satis indicat, præter dispositionem communiter requisitam in aliis sacramentis, ne in vacuum recipiantur, postulat Eucharistia singularem quamdam reverentiam et puritatem : qua deficiente, homo fit *reus corporis* Domini et *judicium sibi manducat.* Porro nulla assignari potest ratio gravioris illius et funestioris peccati nisi continentia realis Christi corporis circa quod peccatur. Ergo.— *c*) Præterea (1 Cor. XI, 29) : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* « Sed, inquit *S. Th.* (4 S. D. X, Q. I, a. 1), si esset corpus Christi ibi secundum solam significationem, non oporteret dijudicare hunc cibum ab aliis ; quia quilibet panis eadem ratione significat corpus Christi. Ergo oportet ponere quod sit ibi verum corpus Christi ».[2]

2° Ex *constanti Ecclesiae suasione*, quæ *praescriptione, liturgiis*, maximeque *Patribus* asseritur.

[1] — Plura de hoc argumento videre est penes sæpe laud. Bellarminum, cap. 12-13.

[2] — De S. Scripturæ vi probante in ordine ad præsentiam realem temerarie prorsus locutus est P. Batiffol in opere *Etudes d'histoire et de théologie positive*, 2ème série : *L'Eucharistie, la présence réelle et la transubstantiation*, Paris, 1905 ; quem scriptorem severe carpit clariss. P. Billot in opusc. *De inspiratione S. Scripturae theologica disquisitio*, 1906 (pp. 158-161).

Arg. 1um ex *praescriptione.*— Quando Berengarius sæc. XI verba Christi in sensum metaphoricum flectere aggressus est, tota ubique Orientis et Occidentis Ecclesia dogma præsentiæ realis, tanquam thesaurum divina hæreditate acceptum, servabat (quod item Novatorum ætate obtinebat). Atqui fides, quam sæc. XI Ecclesia tuebatur, omnium temporum fides est, ita ut impossibile sit aliquam in hac parte contigisse mutationem. Ergo. *Maj.* constat tum ex *Conciliis* contra Berengarium convocatis, tum ex variis *scriptoribus* qui ejus assertionem profligarunt, præsertim ex *Lanfranco* et *Guitmundo* (de Augustinis, P. I, art. 4). *Min. decl :* nam *a*) laudati auctores ad antiquitatem doctrinæ catholicæ provocant. *b*) Nec intelligibile est quod unius vel alterius novatoris commento tota Ecclesia in tam horrendam idololatriam, qualis esset noster Eucharistiæ cultus in hypothesi adversariorum, pertrahi potuerit. *c*) Maxime, si attendatur et Latinos et Græcos, et catholicos et hæreticos, in profitendo eodem illo dogmate consensisse. *d*) Quod si revera tanta fidei mutatio contigisset, quidni ullum hujus rei vestigium historicum comperiretur ? (vid. Drouyn, l. IV, Q. VI, s. 1, cap. 1 ; Billuart, Diss. I, a. 3)[1].

Arg. 2um ex *liturgiis.*— Liturgia est expressio dogmatis et fidei. Porro liturgiæ vetustissimæ tum Occidentis tum Orientis (quas *de Augustinis, l. cit.* commemorat) in præsentiam realem aut asserendam aut præsupponendam conveniunt ; v. g. Christus dicitur *transformare, convertere, transmutare* panem et vinum in suum corpus et sanguinem aut *poni in os* sumentis vel *integrum se praebere* in singulis, etc.— Eo quoque spectat *ritus suscipiendi* Eucharistiam, cujus descriptio incongrua prorsus foret nisi augustissimi corporis Christi realem in illo sacramento existentiam admitteremus. Sic *S. Cyrillus Hier.* de sacra liturgia scribens (Catech. Mystag. V), post monitum de suscipiendo summa cum cautione corpore Christi-Regis, subdit (n. 22) : « Tum vero post communionem corporis Christi, accede et ad sanguinis poculum ; non extendens manus, sed *pronus* et *adorationis ac venerationis in modum* » etc.

Arg. 3um ex *Patribus.*— Cum *Calvinus* (teste *Bellarm.*, l. II) audacter affirmaverit « vetustos omnes scriptores, qui totis quinque sæculis post Apostolos vixerunt, uno ore sibi patrocinari » nec moderni dissimiliter sentiant, operæ pretium est veterum sententias diligenter interrogare.— Ne tamen nimius sim limitesque assignatos prætergrediar, ad *summa*

[1] — Cf. Disp. I, Q. VI, a. 1 ; ubi præscriptionis vis in lucem promitur.

capita voces testium, e singulis ætatibus productorum, reducam ; nonnullaque dein *criteria generalia* ad obscuriora loca explananda subjiciam.

Veterum suffragia.— A primis Ecclesiæ temporibus Patres disertis verbis dogma præsentiæ realis professi sunt, quippe docuerunt : — *a) primo*, Eucharistiam esse *carnem Servatoris quae* pro nobis *passa est* (S. Ign. M., ep. ad Smyrn. c. 7), nec non sanguinem qui *ex latere fluxit* (Chrys., hom. 24 in 1 Cor.), ita ut *de veritate carnis et sanguinis* non relictus sit ambigendi locus (Hilar. Pict., de Trin. l. VIII, c. 14)[1]; — *b) secundo*, non esse *communem* panem (S. Justini M., Apol. l. I), nam *qui videtur panis, panis non est*, etiamsi gustu sentiatur, sed *corpus Christi* (S. Cyrill. Hier., Catech. myst. IV, n. 9) ; — *c) tertio, non esse figuram* corporis neque sanguinis (Macar. Magn.), cum *Dominus dixerit*, non : *hoc est figura corporis mei*, sed: hoc est corpus meum (Joan. Damasc., de Fid. Orth. l. IV, c. 13) ; — *d) quarto*, in Euch. *panem*, qui verbo Dei sanctificatur, *in corpus Dei Verbi transmutari* (Greg. Nyss. Orat. Catech. c. 37), quatenus Filius panem *realiter effecit* corpus suum (S. Ephrem S. serm. 4) ; — *e) quinto, carnem* nostram ita *corpore Domini et sanguine ali* (S. Iren., c. Hær. l. IV), quod *totum unus, totum duo*, totum plures *sine diminutione* percipiunt (S. Isid. Hisp., serm. de corp. et sang. Dom.) ; — *f) sexto*, per Euch. Christum nobis uniri *non tantum secundum relationem quamdam affectualem*, sed et secundum *participationem physicam* (S. Cyril. Alex., in Joan. XV, 1), quasi *visceribus misceatur* (Greg. Nyss. l. cit.) ; — *g) septimo*, Euch. esse *admirabile mysterium* (Clem. Alex., Pædag. l. I, c. 6), de quo dictum est: *Vidi sanguinem et expavi*; *vidi corpus et obstupui* (S. Isaac. Mag.), unde illud capere non potest *nisi sola fides* (Joan. Damasc., *l. cit.*) ; — *h) octavo*, possibilitatem tanti mysterii suaderi ex præstantioribus divinæ omnipotentiæ operibus, qualia sunt v. g. creatio *ex nihilo*, formatio corporis Christi *ex virgine* (S. Ambr., l. de Myst. c. 8 et 9) ; nam qui producit *de terra panem*, de pane efficit proprium corpus, et qui *de aqua vinum fecit*, facit

[1] — Inscriptio *Abercii*, in christiana archæologia celebris, quæque ad finem sæc. II ascendit, sat clare alludit ad præsentiam Christi eucharisticam sub symbolo *Piscis* præcellentis. Quæ enim inibi dicuntur de pane et vino manifeste ostendunt versari sermonem (vv. 13-16) circa Eucharistiæ convivium. Porro Abercius testatur in eo convivio sibi oblatum fuisse piscem *eum ipsum* quem immaculata Virgo edidit (cf. Vacant, *Dictionnaire de Théol. cath.*, pp. 57-66).— Ab ea traditione omnino dissonat sententia Batiffol in opere citato, nempe quod corpus Christi in Eucharistia non sit eius corpus *historicum*, sed aliud nescio quid materiae expers ; de quo cf. Billot, opusc. *De insp. S. Script.*, pp. 162-163.

et de vino sanguinem suum (S. Gaudent., in Exod. tr. 2) : — *i*) *nono* demum tam communis erat in præsentiam realem consensio, ut hæc veritas assumi a Patribus potuerit quasi *disputationis principium* omnibus compertum contra hæreses maxime circa Incarnationem exortas (ap. Franzelin, th. IX)[1].

Criteria ad quosdam vel res intelligendos.— Diffitendum non est plures veterum sententias, in re quam tractamus, subobscuras vel ambiguas esse ; quibus proclive erat ut hæretici abuterentur. Idcirco valde expedit (præter *speciales* explicationes quibusdam locis dandas) *generaliora criteria* interpretationis statuere, quæ cum diversimode ab auctoribus proponantur, hæc sequenti ratione adstruenda eligimus : — *Criterium* 1[um] ex *securitate fidei*. Cum in primis Ecclesiæ sæculis nemo esset qui directe saltem dogma præsentiæ realis impeteret, mirum non est Patres, tuta vigente fide, neque ex professo materiam hanc pertractasse, neque eam verborum proprietatem semper adhibuisse quæ nunc, post exortas hæreses, apud theologos usuvenit : qua de causa plures protulerunt sententias quæ, etsi in sensu auctorum verissimæ sint, explicatione tamen indigent, ne in hæreticum sensum pertrahantur.— *Criterium* 2[um] ex *disciplina arcani*. Lex illa, maxime circa sacratissimum Euch. sacramentum obtinens, prohibebat ne tantum mysterium, utpote vera Ecclesiæ margarita, absque necessitate profanis seu non initiatis proderetur. Unde factum est ut sæpe veteres (inter quos præprimis *S. August.*) in scriptis publicis non nisi obvelato sermone quem tamen initiati caperent, præsentiam realem assererent. Audi *Origenem* (in Lev. hom. IX, n. 10) : « Novit, inquit, qui mysteriis imbutus est, et carnem et sanguinem Verbi Dei ; non ergo immoremur in his, quæ scientibus nota sunt et ignorantibus patere non possunt ».— *Criterium* 3[um] ex *peculiari hujus sacramenti indole*, quæ satis implexa est potestque spectari vel secundum *species* continentes corpus Christi, vel secundum *corpus* in statu sacramentali existens, vel secundum *effectus*, vel secundum *usum*. *a*) Prouti Eucharistia sumatur ex parte *specierum* visibilium seu *accidentium remanentium*, dici potuit a Patribus *figura* seu *signum* corporis Christi, quin tamen excluderetur realitas existentis corporis ; pariter, pro occasione vel exigentia sermonis, appellari potuit *panis*, scil. apparens. *b*) Ratione *status* eucharistici, corpus Christi quandoque dictum est non solum *figura passionis*, sed et *symbo-*

[1] — Qui plura de Patribus expetit, adeat in primis cl. *Bellarminum* (de Euch. l. II), ubi singula sæcula a primo deinceps in præsentiæ realis testificationem vocantur, necnom *Sasse* (de Euch. th. III) qui critices accuratione commendatur.

lum sui ipsius in propria specie ; non tamen negabatur essentialis identitas. *c*) Item spectatis *effectibus*, Eucharistia dici potest *signum salutis*, figura seu mysterium *corporis Christi mystici* ad quod devinciendum ordinatur. *d*) Tandem, si respiciatur *usus*, ne manducatio corporis Christi anthropophagiam redoleat, optime spiritualis vocatur et a Patribus vocata est, integra manente veritate seu realitate præsentiæ Christi in sacramento[1].

3° Ex *diversis rationibus*.

Historia in primis firmum præbet argumentum : quippe vera miracula, cum a Deo sint, perfici sane non possunt nisi in veritatis confirmationem. Porro plura in vita sanctorum leguntur *facta miraculosa* quæ circa Eucharistiæ celebrationem contigerunt, quæque realem Christi eucharistici præsentiam produnt. Unum e multis accipe : « B. Basilio in die Paschæ mysteria celebrante, hebræus quidam se sicut christianus populo commiscuit, officii volens explorare mysterium : qui vidit infantem partiri in manibus Basilii, et communicantibus omnibus, venit ipse, et data ei hostia vere caro est facta. Et servans reliquias abiit in domum suam ostendens uxori suæ, narrans quæ propriis oculis viderat. Credens ergo ait : Vere horribile et admirabile est christianorum sacramentum. In crastino venit ad Basilium, et baptizatus est cum omni domo sua» (*S. Thom.*, Opusc. LVII, cap. 11[2]).

Theologia item plura rationum momenta suppeditat : — *a*) quorum 1um est *ex parte Christi* seu summæ ejus in nos dilectionis. Nam « quia maxime proprium amicitiæ est convivere amicis, inquit *S. Thomas* h. art., suî præsentiam corporalem nobis (Christus) repromittit in præmium, dicens Matth. XXIV, 28 : *Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilae*. Interim tamen nec sua præsentia corporali nos in hac peregrinatione destituit ; sed per veritatem corporis et sanguinis sui nos sibi conjungit in hoc sacramento ».— 2um est *ex parte hominis*. Præsentia enim realis congruit tum perficiendæ *fidei* quæ, sicut est de Divinitate invisibili, ita et de Christi humanitate invisibiliter nobis sub speciebus consecratis exhibita, tum sublevandæ *spei* quæ robur obtinet ex tam familiari Salvatoris conjunctione, tum inflammandæ *caritati* quam tantæ bonitatis testimonium tamque benigna Dei apud homines conversatio non potest non accendere sive erga Christum ipsum sive erga fideles Christo ca-

[1] — De his criteriis seu regulis cfr. Billuart, art. 4 ; Franzelin, th. X ; etc.

[2] — Cf. de Augustinis, th. III, ubi alia miracula fide digna referuntur ; — item *Les Questions actuelles*, 17 sept. 1904, ubi narratur apparitio habita in insula dicta *de la Réunion*.

piti copulatos[1].— 3um sumitur *ex parte sacramentorum :* horum enim perfectivum et veluti consummativum est sacramentum Eucharistiæ. Jamvero in reliquis sacramentis Christus continetur secundum virtutem suam seu *participative* tantum. Ergo conveniens est ut in uno nobiliori *per essentiam* contineatur (4 S. D. X, Q. un. a. 1).

Corollaria :

1° Colligitur ex dictis merito Eucharistiam fidelibus ad *adorandum* exponi, juxta decr. *Trid.* (Sess. XIII, cap. 5) : « Nullus dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles, pro more in catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic ss. sacramento in veneratione exhibeant. Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum : nam illum eumdem Deum praesentem in eo adesse credimus quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dicit : *Et adorent eum omnes Angeli Dei* (Heb. I, 6), quem Magi procidentes adoraverunt, quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur ».

2° Pariter colligitur convenienter institutum fuisse *festum Corporis Christi.* « Declarat præterea S. Synodus (*ibid.*), pie et religiose admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam et festo die præcelsum hoc et venerabile sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur, utque in processionibus reverenter et honorifice illud per vias et loca publica circumferretur. Æquissimum est enim sacros aliquos statutos esse dies, cum christiani omnes singulari ac rara quadam significatione gratos et memores testentur animos erga communem Dominum et Redemptorem pro tam ineffabili et plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria et triumphus repræsentatur. Atque sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio et hæresi triumphum agere, ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris, et in tanta universæ Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati et fracti tabescant, vel pudore affecti et confusi aliquando resipiscant[2].»

[1] — « Quia tempori gratiæ consonat, quod sacramentum communionis et dilectionis non tantum sit communionem et dilectionem significans, verum etiam ad illam inflammans, ut efficiat quod figurat ; et quod maxime nos inflammat ad dilectionem mutuam, et maxime unit membra, est unitas capitis, a quo per vim amoris diffusivam, unitivam et transformativan manat in nos dilectio mutua ; hinc est quod in hoc sacramento continetur *verum* Christi corpus » (*S. Bonaventura*, Brevil. P. VI, c. 9).

[2] — De his cf. Gasparri, *Tractatus canonicus de SS. Eucharistia*, cap. X.

Solv. obj. quæ ex triplici capite petuntur, scil. ex Scriptura, traditione et ratione.

Obj. 1 (ex Scriptura).— Protestantes, inter alia plura, hæc contra præsentiam realem urgent ; (Matth. XXVI, 11) : *Semper pauperes habetis vobiscum*, ait Christus ad discipulos, *me autem non semper habetis ;* — (Joan. VI, 64) : *Spiritus est qui vivificat*, ait idem Christus ad explicanda verba promissionis Eucharistiæ, *caro non prodest quidquam ;* — (1 Cor. X, 4) : *Petra autem erat Christus*, ubi aliisque in locis biblicis apparet quod verbum *est* sumitur pro *significat* seu figuratæ est locutionis. Simili modo igitur verba institutionis « hoc *est* corpus meum » accipienda sunt ; eo magis, quia verba sequentia « hoc facite *in meam commemorationem* » rem absentem indigitare videntur.

Resp.— Ad 1um dicendum, Dominum loqui de præsentia sua *visibili* et secundum eum statum in quo aliquid *utilitatis corporalis* ab hominibus obtinere poterat : id patet ex occasione verborum, scil. ex obsequio unctionis a Maria præstito, quod Christus, etsi præsens in Eucharistia, non potest amplius recipere.— Ad 2um dico, Christum per hæc verba utique correxisse errorem Capharnaïtarum . At vero Capharnaïtæ errabant, non quod *veram* Christi *carnem* nobis ab ipso promitti æstimarent, sed quia cogitabant eam *carnali modo* manducandam, quasi scindenda esset in partes, coquenda, etc. Unde hanc carnalem et veluti animalem intelligentiam removere voluit Christus, non realitatem sui corporis in sacramento. Idque eo verius elucet quod post datam explicationem, nondum sublato mysterio, multi discipuli veritatis difficultate oppressi a Christo discesserunt.— Ad 3um respondeo, *a*) ex aliquot exemplis non posse colligi quod ubique verbum *est* claudat figuratam locutionem, sed attendendum est ad loquendi usum et sermonis circumstantias. *b*) Porro exempla, quæ adversarii proferunt, vel ex natura rei, vel ex usu, vel ex datis explicationibus, manifeste tropum seu figuram continent ; nil vero est in præsenti materia quod tropicum sensum indicet. *c*) Quæ enim sequuntur « hoc facite in meam commemorationem », non ad statum Christi eucharisticum, sed ad ejus passionem Eucharistiæ mysterio commemorandam referuntur.

Obj. 2 (ex traditione).— Pleraque dubia ex hoc capite provenientia jam *implicite*, statuendo scil. criteria quædam generalia, præoccupavimus : pauca tantum heic producemus. *S. Augustinus* (quem idcirco adversarii suum esse clamitant) docet (in Ps. XCVIII, n. 9) sacramentum corporis Christi « spiritualiter » esse intelligendum ; item (in Joan. tr. XXX,

n. 1) corpus, in quo Christus resurrexit, « uno loco esse», scil. sursum ; rursus (Ep. 98 ad Bonif. n. 9) sacramentum Euch. « secundum quemdam modum » dici corpus Christi. — *Facundus*, ep. *Hermianensis*, (Pro defens. trium capitul. l. IX, c. 5) scribit de Christo euch., « non quod proprie corpus ejus sit panis et poculum sanguis, sed quod in se *mysterium* corporis ejus sanguinisque contineant ».— Sæc. IX cum Paschasius Radbertus docuerat (l. de corp. et sang. Domini) in Eucharistia esse « idem realiter corpus, *quod natum est* ex M. Virgine », nonnulli doctores, ut *Rhabanus M.*, *Ratramnus*, aliique, hanc doctrinam improbarunt.

Resp.— 1° Ad *S. Augustinum* quod spectat, *a*) ipse certo præsentiam realem docuit loco quem adversarii opponunt (in Ps. XCVIII, n. 9) ; quippe ibi dicit : « Ipsam *carnem* nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius *adoraverit* ». Itaque ideo S. Doctor tradit sacramentum Euch. « spiritualiter » intelligendum, quia Christus in eo est *invisibiliter*, et *virtute divina*, non carnea, animam nutrit. *b*) Christi autem corpus gloriosum utique sursum est et in uno loco secundum quod videtur in *propria specie ;* at simul esse dicitur *sacramentaliter* sub speciebus consecratis. *c*) Hunc singularem essendi modum, salva tamen identitate substantiæ, significare vult Augustinus, quandocumque Eucharistiam appellat corpus Christi « quodammodo » vel « secundum quemdam modum ».— 2° Quod pertinet ad *Facundium Herm.*, *a*) adverti primum potest hunc auctorem non esse magnæ notæ. *b*) Præterea, nec citata ejus verba contra nos quidquam probant : quamvis enim sacramentum Euch. sumptum pro *speciebus* dicatur (et vere) non esse corpus Christi, corpus illud tamen, quasi reconditum mysterium, *continere* asseritur.— 3° Tandem controversia, quæ orta refertur ex verbis *S. Paschasii*, nequaquam in dubium vocabat ipsum dogma præsentiæ realis, sed erat de solo *loquendi modo*, ut patet ex propositione improbata (præpostere tamen) et relatione historiæ (ap. Sasse, th. IV, schol. 1)[1].

Obj. 3 (ex ratione).— Nullum corpus potest esse simul in pluribus locis. Atqui corpus Christi modo est in cœlo. Ergo.

Resp. *D. M* :. . . circumscriptive, *C ;* in uno loco circumscriptive et in aliis sacramentaliter, *N*.— *C. m.*— *Neg. conseq.*

1° Præsumendum non est arcanum sacræ Euch. mysterium, altissimis mysteriis non impar, modulo humanæ rationis metiri. « Licet autem divina virtus sublimius et secretius in

[1] — Objectiones ex Scriptura et traditione petitas fuse doc'eque expendit Bellarminus (*de Euch.*, l. I-II), pressius vero Billuart, Knoll, de Augustinis, etc.

hoc sacramento operetur quam ab homine perquiri possit, ne tamen doctrina Ecclesiæ circa hoc sacramentum infidelibus impossibilis videatur, conandum est ad hoc quod omnis impossibilitas excludatur » (C. G. IV, 63).— 2° Itaque *a*) dupliciter corpus intelligitur esse in loco : *circumscriptive* quidem, quatenus suis dimensionibus loco commensuratur ; *sacramentaliter* vero (quod profecto est modus singularis), in quantum comparatur ad locum non mediantibus propriis, sed alienis dimensionibus, quibus subsit, quin tamen sit earum subjectum. *b*) Porro primo modo seu *circumscriptive* (juxta veriorem *D. Thomae* doctrinam) nullum corpus potest esse simul, neque naturaliter, neque miraculose, in pluribus locis : implicat enim aliquid circumscribi limitibus loci et tamen esse extra locum illum[1]. *c*) Verum corpus quod sit circumscriptive in uno loco, minime repugnat esse *sacramentaliter* simul in aliis locis ; etenim duplex est quantitatis corporeæ actus seu effectus, unus *internus* et *primarius*, scil. dispositio partium ad invicem et in toto, alter magis *externus* et *secundarius*, scil. dispositio seu extensio partium per respectum ad locum. Jamvero virtute divina effici potest ut quantitas, retinens primarium actum prorsus inseparabilem, prohibeatur tamen ab exercendo actu secundario qui in commensuratione ad locum consistit : id namque non est simpliciter repugnans. *d*) Itaque in hoc casu corpus comparatur ad locum non propriis, sed alienis dimensionibus quibus subest, nec multiplicari debet pro numero locorum circumscribentium hujusmodi dimensiones : hac ratione supernaturali et sacramentali, idem Christi corpus, quin cœlum derelinquat, in diversis ponitur altaribus (solutio hæc melius ex dicendis apparebit ; cf. *Bellarm.*, l. III, c. 6)[2].

[1] — « Unum corpus esse localiter in duobus locis implicat contradictionem, quia de ratione loci est quod sit terminus locati ; terminus autem est extra quem nihil est rei : unde nihil locati potest esse in loco exteriori ; quod si ponatur esse in duobus locis, sequitur quod sit extra suum locum, et ita sequitur quod sit locatum et non locatum » (Quodl. I, art. 22 ad 1 ; cf. Quodl. III, a. 2).— Igitur (monet *Lorenzelli, Phil. theor. inst.*, vol. II, P. III, lect. 3) « apparitiones sanctorum adhuc viventium seu *bilocationes* evenisse censentur ministerio Angelorum, qui illos sanctos repræsentabant, eorumque nomine res gerebant ».

[2] — Plures objectiones ex ratione ductas solvit S. Thomas 4 S. D. X, Q. I, a. 1 ; — pleræque aliæ ipso futurarum quæstionum decursu ventilabuntur.

ARTICULUS II.

Utrum in hoc sacramento remaneat substantia panis et vini post consecrationem.

1° Quæstioni *an* Christus sit realiter præsens in sacramento Eucharistiæ logice succedit altera, *quomodo* præsens fiat ; unde agendum occurrit de *conversione* per quam hæc præsentia constituitur.— Id autem primo considerandum est ex parte *ejus quod convertitur*, scil. ex parte substantiæ panis et vini : de qua inquirimus num *permaneat* post consecrationem (art. præs.) vel annihiletur (art. seq.), ut sic sternatur via ad conversionem seu transsubstantiationem mox stabiliendam.

2° *Quidam* (ait *Auctor*) posuerunt post consecrationem substantiam panis et vini in hoc sacramento remanere. Cui errori variis sub formis adstipulati sunt : *a*) nonnulli *Berengariani* et cum eis, ut fertur, *Rupertus Tuitiensis*, docentes naturam panis et vini in Eucharistia Verbo divino hypostatice uniri, unde *impanatores* dicti sunt ; — *b*) *Lutherani* post Lutherum, tenentes panem, etiam citra unionem hypostaticam (quam tamen quidam ex eis admittunt,) corpori Christi conjungi, ex quo sunt *consubstantiatores* nuncupati ; — *c*) præterea, *quidam recentiores* eam Eucharistiæ notionem sibi fingentes, quasi « corpus Christi sustentet *naturam panis*, quæ hoc ipso et absque alia sui mutatione desinit esse *susbtantia*, quia jam non est in se sed in alio sustentante, ad instar supernaturalis *accidentis* ».

Conclusio.— FALSUM PRORSUS EST QUOD SUBSTANTIA PANIS ET VINI SIMUL CUM CHRISTI CORPORE ET SANGUINE POST CONSECRATIONEM REMANEAT, QUOCUMQUE MODO HÆC PERMANENTIA PONATUR.

1ª *Pars*, quæ generalis est, *fide* asseritur maxime ex C. *Trid.* (Sess. XIII, can. 2) : « Si quis dixerit, in sacrosancto Euch. sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine D. N. J. C.... A. S.».

1° Mentem *Patrum* paucis declarat *Sasse* (th. VI) : « Constat, inquit, eos credidisse, rem ipsam quæ est panis et vinum seu *substantiam* panis et vini esse desinere. Docent enim post consecrationem qui videtur panis, panem non esse, etiamsi gustu ita sentiatur, sed corpus Christi ; et quod videtur vinum, vinum non esse, etiamsi gustus id velit, sed sanguinem Christi (S. Cyr. Hier.) ; non esse id quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit (S. Ambr., Auct. lib. de

Sacr.) ; non esse panem communem, sed corpus Christi (S. Justin.) ; pro pane qui antea erat, jam esse in altari positum corpus Christi, pro vino in calice esse sanguinem Domini (S. Jacob Sarug., S. Isaac M.) ».

2° Aperte consonat *Ecclesiae praxis* quæ et *cultu* et *ritu* manifestatur.— *a*) Secundum usum probatum Ecclesiæ, ita *de facto* ss. Eucharistiam veneramur ut totum id quod est sub speciebus adoremus : huic autem cultui latriæ penitus contrariatur sententia de permanente panis et vini substantia quam adorare certo fas non est.— *b*) Eadem sententia æque adversatur ritui Ecclesiæ vetantis ne post corporalem cibum corpus Christi sumatur, cum tamen post unam hostiam consecratam liceat aliam sumere.

3° Arguit *S. Thomas* tum ex veritate formæ eucharisticæ, tum ex veritate ipsius sacramenti.

Primo ex *veritate formae.*— « Pronomen *hoc*, cum sit demonstrativum ad sensum, demonstrat substantiam sub speciebus *immediate* latentem. Sed si substantia panis ibi remaneret, ipsa sola immediate accidentibus subesset, quia eis afficeretur. Ergo ad ipsam ferretur demonstratio hujus pronominis, *hoc*, cum dicitur : *Hoc est corpus meum ;* et sic locutio esset falsa : quod est inconveniens et hæreticum » (4 S. D. XI, Q. I, a. 1).

Secundo ex *veritate sacramenti.*— Ad hanc enim veritatem pertinet ut verum Christi corpus in Eucharistia existat, ubi ante consecrationem non erat. Atqui ita incipit esse corpus Christi in Eucharistia ut substantia panis simul esse desinat. Ergo. *Min ostend :*

a) *Praesupposito* eo quod fides docet, nempe corpus Christi in cœlo manens consequi simul in diversis altaribus præsentialitatem sub speciebus consecratis, sic *procedimus*[1] : nequit Christi corpus fieri præsens sub his speciebus nisi vel per aliquam suî mutationem adductivam aut productivam, vel per mutationem seu conversionem alterius, scil. substantiæ panis, in ipsum ; disjunctio completa videtur, eamque habet *Catech. Trid.* (de Euch. n. 37). Atqui non incipit corpus Christi esse præsens in sacramento per ullam suî realem mutationem : ergo per conversionem substantiæ panis in ipsum. Porro quod convertitur in aliud, facta conversione, amplius non manet : ergo. *Arg. evolv :* — Dico imprimis corpus Christi non posse fieri præsens per *mutationem adductivam* seu *localem : primo*, quia secundum legem transitus de loco

[1] — Ex plana mente *D. Thomae*, III, Q. LXXV, a. 2-3 ; C. G. IV, 63 ; 4 S. D. XI, Q. I, a. 1.

ad locum desineret esse in cœlo ; *secundo*, quia motus localis per media instantaneus esse non potest, dum consecratio in ultimo instanti prolationis verborum perficitur ; *tertio*, quia impossibile est unum motum ejusdem corporis localiter moti terminari simul ad diversa loca seu altaria, cum tamen in pluribus locis seu altaribus corpus Christi sub sacramento Eucharistiæ simul esse incipiat.— Dico rursus præsentiam sacramentalem Christi non posse explicari per aliquam *productionem* seu *reproductionem* simpliciter *corporis Christi :* non enim producitur aut reproducitur *esse substantiale* ac *individuum* corporis quod jam existit ; id repugnat[1], haud secus ac, quæ a nonnullis asseritur, corporis ejusdem *multilocatio* seu positio simultanea in diversis *locis*.[2]— Neque productio duntaxat secundum *essendi modum sacramentalem*, qua nempe corpus Christi in cœlo manens, nec in se de novo effectum, contineri incipiat sub speciebus diverse localisatis, problema solvere potest, nisi intelligatur veluti *conversiva* substantiæ panis in substantiam præfati corporis eoque ipso constitutiva *relationis continentiae* dimensionum remanentium ad corpus sibi noviter subjectum : ideo enim prisci doctores tantum operæ dederunt conversioni illi declarandæ, ut Christi præsentiam sub speciebus sacramentalibus verificarent ; ea autem sublatâ, assignare non est (saltem secundum potentiam Dei ordinatam ministerio causarum secundarum utentem) rationem verisimilem præsentiæ Christi sacramentalis.

b) Rem ita confirmat et enucleat *Ferrariensis* (in C. G. IV, 63) : « Convenienter, ait, ex eo quod corpus Christi non incipit esse sub sacramento per motum localem, infert *S. Thomas* oportere hoc esse per conversionem substantiæ panis in ipsum, quia duobus tantum modis possumus intelligere corpus Christi esse *simul cum dimensionibus panis :* aut scil. manente substantia panis illis dimensionibus conjuncta, ita quod corpus Christi simul diceretur esse cum substantia panis, sicut duo corpora dicuntur simul esse in eodem loco, quo modo Christo ingrediente ad discipulos januis clausis simul erant corpus Christi et janua ; aut transeunte substantia panis et sub ejus dimensionibus substantia corporis Christi succedente. *Primum* non potest esse nisi per motum localem corporis Christi accedentis ad locum panis, sicut

[1]—Individuatio corporum sumitur ex materia; quæ cum non eadem numero sit nec esse possit in pluribus individuis, sequitur idem individuum produci vel reproduci non posse etiam miraculose.

[2]— De *adductione, productione* vel *reproductione* (quam tenent) corporis Christi sub sacramento Eucharistiæ, iterum ac proprius agetur in art. 4.

accessit ad januas, quia corpus existens in uno loco non potest occupare locum corporis existentis in alio loco, nisi ad illum locum localiter moveatur, cum idem corpus non possit esse simul in pluribus locis. *Secundum* autem esse non potest, nisi substantia panis in substantiam corporis Christi convertatur, quia si annihilaretur panis substantia, aut in aliam substantiam converteretur, nulla esset ratio quare corpus Christi manens in cœlo deberet sub dimensionibus panis contineri. Si ergo, secundum ea quæ fides tenet, non possit dici corpus Christi incipere esse in sacramento per motum localem ipsius corporis Christi, cum proprium locum non derelinquat, relinquitur oportere dici quod incipiat esse in sacramento per conversionem substantiæ panis in ipsum[1]» : qua ex conversione consequitur substantiæ panis desitio.— Hæc ex dicendis majorem lucem mutuabuntur.

2ª *Pars* additur specialiter contra *falsas sententias* superius relatas.

1° Cuique comperitur opinionem *consubstantiatorum*, seu eorum qui Christum eucharisticum ponunt *cum* pane, *sub* pane vel *in* pane, e diametro opponi thesi mox adstructæ, ideoque iis confutari argumentis quæ in medium produximus.

2° Nec minus falsa est sententia *impanatorum :* — quippe *a*) *primo* de pane tunc, non obstante hypostatica ejus unione cum Verbo Dei, diceretur quod post consecrationem remaneat ; id vero sufficienter exclusum est.— *b*) *Secundo* talis unio, nec in Scripturis, nec in traditione fundata, inaudita est novitas, eo absurdior quod toties repeteretur quoties hostiæ consecrantur.— *c*) *Tertio* in mente saltem quorumdam impanatorum corpus Christi eucharisticum aliud non esset quam panis (cum vino) hypostatice assumptus. Hoc vero plane contrariatur persuasioni Ecclesiæ quod idem numero Christi corpus ex Virgine natum sub speciebus consecratis existit.

3° Sententia *recentiorum* (quam damnavit *S. Off.* 1875)[2], præter communia, quibus obnoxia est, inconvenientia, duo manifestius falsa secumfert : — siquidem *a*) imprimis natura substantialis, quoadusque existat, nequit ab actu subsistendi per se desistere nisi alteri supposito hypostatice uniatur ; hanc autem unionem removimus.— *b*) Planior adhuc liquet absurditas ejus quod additur, naturam panis sortiri rationem supernaturalis *accidentis ;* quippe, cum essentiæ sint immutabiles,

[1] — Cf. de hoc arg. Cajetanum (in art. 1-2), qui *D. Thomam* contra ar gutias Scoti defendit ; — item Billot (*Comm.* in III, Q. LXXV,) qui moder nos et speciatim Suarezium reprehendit.

[2] — Acta S. Sedis, vol. XI, pp. 606-607.

nec metaphysice fieri potest quod natura substantiæ in accidentis naturam transeat.

Solv. obj.— Obj. 1.— Teste Damasceno (Orth. Fid. IV, 13), Deus in Eucharistia divinitatem suam pani et vino conjunxit seu conjugavit. Atqui conjugatio est rerum actu existentium. Ergo.

Resp. *D. M* :... conjugavit divinitatem, i. e. divinitatis *virtutem*, pani et vino ut faceret inde corpus et sanguinem suum, *C ;* panem et vinum divinitati *associavit*, *N.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Inter Ecclesiæ sacramenta debet esse conformitas. Atqui in aliis sacramentis, v. g. in baptismo et confirmatione, substantia materiæ manet. Ergo.

Resp. *D. M* :... conformitas *generica*, *C ;* specifica, *N.*— *D. m* :... quia in eis non est Christus realiter, sed secundum *virtutem* tantum, *C ;* eadem præsentia *substantiali* Christus est in Eucharistia et in aliis sacramentis, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Panis et vinum assumuntur in Eucharistia ad significandum, præ aliis, spiritualem fidelium cibationem et unitatem. Atqui hæc significatio pertinet ad ipsam substantiam panis et vini. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... ad substantiam quæ idcirco ipsa remaneat, *N ;* quæ ex speciebus suis remanentibus satis dignoscatur, *C.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS III.

Utrum substantia panis vel vini post consecrationem annihiletur.

Cum exploratum habeamus panis et vini substantiam, facta consecratione, haud superesse, sponte dubium se offert num annihiletur vel in materiam elementarem utcumque resolvatur.— Quidam *veteres* ex negata conversione substantiæ panis et vini in corpus et sanguinem Christi ducti sunt ad unum aliudve asserendum ; nec sententiam annihilationis, cui *Scotus* adhæsisse videtur, improbabilem reputat *Suarez* (Disp. L, sect. 7), quamvis oppositum verius esse dicat. Immo eamdem *moderni* plures, licet verbo tenus abjiciant, re tamen seu indebito explicandi modo admittunt.— Mentem *D. Thomæ* veterumque scholasticorum sequenti conclusione promemus.

Conclusio.— Substantia panis et vini post consecrationem neque in pristinam materiam resolvitur, neque

ANNIHILATUR.— Utrumque *certum* dici potest, utpote ex certis principiis assertum.

1ª *Pars* de *resolutione in pristinam materiam* ostend :

Resolutio hæc, si daretur, fieret vel in materiam primam, vel in corpus aliquod elementare. Atqui neutrum affirmari potest : ergo.— Non 1ᵘᵐ ; siquidem materia, sine forma qua actuetur et in specie determinata ponatur, existere nequit. — Non 2ᵘᵐ : nam *a*) *primo*, cum ex dictis constet nihil post consecrationem sub speciebus sacramenti remanere nisi corpus Christi, dicendum foret elementa materialia, in quæ substantia panis et vini resolveretur, per motum localem discedere ; id autem sensu, quo juxta institutum a Deo ordinem sensibilia obvia attingimus, non percipitur. *b*) Præterea *secundo*, quia motus localis est successivus, deberet corpus elementare derelinquere unam partem hostiæ prius quam aliam. At transsubstantiatio (ut dicetur) fit in instanti. Ergo vel (incipiente motu in illo instanti) aliquando sub una parte hostiæ erit simul corpus Christi et alia substantia, vel (incipiente motu ante illud instans) aliquando sub aliqua parte hostiæ neque erit substantia panis neque corpus Christi: utrumque est inconveniens.

2ª *Pars* negat etiam *annihilationem*.

1° Sane juxta *Auctoris* doctrinam, « non est dare aliquem modum quo corpus Christi verum esse incipiat in hoc sacramento nisi per conversionem substantiæ panis in ipsum » (art. 3). Porro hæc conversio, posita annihilatione substantiæ panis (sicut et resolutione in pristinam materiam), vere proprieque tollitur, quatenus in locum termini positivi, i. e. corporis Christi, terminus negativus vel alienus subrogatur. Ergo.— 2° E contra, cum omnis motus denominetur a termino *ad quem*, illa tantum transmutatio posset dici annihilatio, cujus terminus *ad quem* esset nihil. Atqui in Euch. transmutatio quæ fit, nedum tendat in nihil, terminatur ad corpus Christi, cui desitio panis, ceu medium fini, vi ejusdem actionis subordinatur. Ergo (4 S. D. XI, Q. I, a. 2).— 3° Effectus sacramenti significatur per formam. Atqui annihilatio (non secus ac resolutio in elementa) substantiæ panis minime designatur per verba formæ « hoc est corpus meum ». Ergo.

Solv. obj.— OBJ. 1.— Res corporalis quæ erat, nec amplius alicubi est, in nihilum abiit. Atqui substantia panis post consecrationem nullibi est. Ergo.

RESP. *D. M :* Res corporalis quæ nec alicubi est nec in aliud fuit *conversa*... *C ;* quæ non est alicubi secundum se,

sed in aliud conversa fuit... *N.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Quod in aliqua mutatione esse desinit, annihilatur (nisi forte remaneat in potentia materiæ). Atqui in sacramento Eucharistiæ substantia panis esse desinit, quin aliquid sui supersit. Ergo.

Resp. *D. M :* Quod esse desinit secundum rationem *viæ* ad aliud ens, annihilatur, *N ;* quod esse desinit ita ut nec aliquid ejus remaneat, nec ejus desitio *de se* ordinetur ad aliud ens... *C.*— *C. d. m :*... esse desinit sine *respectu essentiali* ad aliud ens, *N ;* cum respectu intrinseco ad id in quod convertitur, *C.*— *Neg. conseq.*

« In mutationibus naturalibus terminus *a quo* est forma aliqua, quæ quidem non convertitur in terminum *ad quem ;* et ideo non annihilatur, nisi quatenus manet in potentia in suo subjecto : sed illud quod convertitur ad terminum *ad quem*, est subjectum mutationis, non quidem ut sit illud, sed ut sit sub illo ; unde subjectum annihilari non dicitur in quantum in aliud convertitur. Unde cum in hac conversione id quod est terminus *a quo*, scil. substantia panis, convertatur secundum se totum in terminum *ad quem*, scil. corpus Christi, non quidem ut sit sub ipso, sed ut sit ipsummet, patet quod non est annihilatio substantiæ panis » (4 S. *l. cit.* ad 1).

Obj. 3.— Si unum contradictorium est falsum, reliquum necessario verum est. Atqui facta consecratione, hæc est falsa propositio : « Panis est aliquid ». Ergo alia vera manet : « Panis est nihil » seu annihilatus.

Resp. *C. M :*— *D. m :*... et similiter ista est falsa: « Id quod erat panis est aliquid », *N ;* vera est vi conversionis in corpus Christi, *C.*— *Neg. conseq.* (saltem qua parte asseritur annihilatio)[1].

ARTICULUS IV.

Utrum panis possit converti in corpus Christi ; — scil. de transsubstantiatione.

Jam formaliter consideranda occurrit summa veritas quæ propius mysterii eucharistici nodum attingit, nempe conversio seu *transsubstantiatio* qua Christus fit præsens in sacramento altaris.

1° *a*) Veritatem hanc negant quotquot ex *hæreticis* præsentiam realem infitiantur.— Præter eos autem, inter ejusdem

[1] — Cf. de hac materia Cajet. et Gonet (in h. l.).

dogmatis osores connumerandi sunt *Berengariani* omnes, *Lutherani* (quamvis Lutherus non semper æqua vi in transsubstantiationem invectus sit), necnon *Anglicani*[1] communiter, quibus in hoc assensus est *Pusey*[2].

b) *Catholici* vero, dum in admittendo dogmate conveniunt, non unam sententiam protulerunt ad illud explicandum.— Missis iis quos jam retulimus (art. 2), recensendi sunt *errores Durandi* et *Rosminii : Durandus* quidem (quem floruisse notandum est ante definitiones *Flor.* et *Trid.*) posuit per consecrationem, corrupta forma panis, ejus materiam sub forma corporis Christi constitui, sicut materia alimenti naturaliter subjicitur formæ nutriti atque ita in ejus naturam transit. *Rosminius* vero imaginatus est substantiam panis et vini fieri carnem et sanguinem Christi, « quatenus Christus eam facit terminum sui principii sentientis ipsamque sua vita sanctificat, eo ferme modo quo panis et vinum vere transsubstantiantur in nostram carnem et sanguinem » (prop. 29a)[3].

c) Inter *opiniones* a theologis propugnatas, hæ memorandæ sunt.— Quidam enim, ut *Scotus*, *Toletus*, *Bellarminus*, etc., tuentur actionem *adductivam*, qua videlicet corpus Christi de cœlo sub hostia veluti adducatur et in vicem substantiæ panis substituatur ; nec ab ea positione multum differt sententia *Lugonis* docentis conversionem eucharisticam conflari ex desitione panis et *unitione* corporis Christi cum speciebus, siquidem hæc unitio præsupponit adductionem.— Alii, ut *Suarez*, *Lessius*, *Franzelin*, etc., tenent Christi corpus in Eucharistia *produci* per actionem consecratoriam immediate ipsum attingentem ; et cum juxta illorum placita minime repugnet idem corpus multis simul in locis versari, mens eorum est verba consecrationis de facto directeque influere, ubi et quotiescumque pronuntiantur, esse substantiale corporis Christi, non quidem per modum primæ productionis (quoniam jam in cœlis existit), sed per modum *reproductionis* vel *replicationis*.— Alii, pressius vestigiis Scho-

[1] — « The Church of England has condemned the teaching as unscriptural, as inconsistent with the very nature of a sacrament, as tending and having already given rise to many superstitions » (Arch. of Canterb., *Charge* etc., P. I).— Hinc Angliæ rex novus tenebatur juramentum præstare contra transsubstantiationem ; quod multas reclamationes ex parte catholicorum excitavit. Unde tandem, sub ineunte regno Georgii V, nova declarationis formula in locum veteris substituta est (*Quest. act.*, t CVIII, pp. 169-173).

[2] — Cf. Franzelin. th. XIV ; ubi Doctorem anglicanum refellit.

[3] — Sic sonat prop. 30a : « Peracta transsubstantiatione, intelligi potest corpori Christi glorioso *partem aliquam* adjungi in ipso incorporatam, indivisam, pariterque gloriosam ».

lasticorum maximeque *D. Thomæ* insistentes, præfatos loquendi modos abnuunt docentque per actionem consecratoriam proprie ac immediate *converti* panis substantiam in corpus Christi absque ulla (physica saltem) hujus corporis mutatione, adeo ut hæc conversio secum inferat seu involvat præsentiam Salvatoris sub speciebus consecratis : horum tamen sententia in aliquo dissidet, quatenus quidam[1] volunt per illam conversionem induci in corpore Christi *mutationem* quamdam, ut aiunt, metaphysicam secundum relationem realem novæ dependentiæ a Deo et præsentiæ ad species, reliqui vero verbis S. Thomæ innixi contendunt *nullam prorsus* realem mutationem seu relationem in corpore Christi ex prædicta conversione oriri.

2° Notio seu *definitio* transsubstantiationis nobis a *Patribus Trid.*, post D. Thomam, his terminis traditur (Sess. XIII, can. 2) : « mirabilis et singularis conversio totius substantiæ panis in corpus et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus ». Quæ ut declarentur, hæc observare est :

a) *Primo conversio*, seu mutatio unius rei in aliam, alia est *accidentalis*, alia *substantialis : accidentalis* quidem, quando, salva substantia, accidens tantum, v. g. figura, mutatur ; *substantialis* vero, quando mutatio substantiam afficit, vel solum ex parte formæ, et tunc habetur *transformatio*, vel etiam ex parte materiæ seu quoad totam substantiam, et tunc locum habet *transsubstantiatio*[2].

b) *Secundo* ad transsubstantiationem *conditiones* requiruntur : — 1ª est ut conversio fiat inter duos terminos quorum uterque sit positivus, tum terminus *a quo* (quia secus foret creatio), tum terminus *ad quem* (quia secus esset annihilatio). — 2ª conditio est ut terminus *a quo* desinat et locum cedat termino *ad quem*. — 3ª conditio, ut *connexio* habeatur inter desitionem termini *a quo* et successionem termini *ad quem*, quatenus unus ab esse cesset vi positionis alterius : de qua conditione plura inferius.

Conclusio. — Stabilito secundum fidem dogmate transsubstantiationis, ostenditur dogma illud, dummodo

[1] — Ita imprimis Joan. a S. Thoma, Disp. XXVIII, a 3.

[2] — « Hæc admirabilis conversio convenienter et proprie a s. cath. Ecclesia *transsubstantiatio* est appellata, quemadmodum S. Trid. Syn. docuit. Ut enim generatio naturalis, quod forma in ea mutatur, recte et proprie transformatio dici potest, ita etiam quod in sacramento Eucharistiæ tota unius rei substantia in totam alterius rei substantiam transeat, verbum transsubstantiationis recte et sapienter a majoribus nostris inventum est » (*Catech. Trid.*, n. 40).

RITE EXPONATUR SEU EXPLICETUR, NULLATENUS REPUGNARE.— Tres accipe partes.

1ª *Pars* de dogmate ipso sancita est a *CC. Later. IV, Lugd. II, Flor.*, necnon *Trid.*[1] (*l. cit.*), et merito :

1° Namque quod nec in se manet nec annihilatur, in aliud convertatur oportet. Atqui ex dictis constat panis vinique substantiam in Eucharistia non manere, neque tamen annihilari aut in corpus aliud a corpore Christi converti. Ergo necesse est ut in corpus et sanguinem Christi convertatur. — Eo magis, quia secus (ut supra assertum est) non daretur via qua posset veritas corporis Christi in sacramento salvari.

2° Ad *traditionem* quod spectat, *a*) ex historia hæresis Berengarianæ hujusque confutatione penes *Lanfrancum* et *Guitmundum* liquido colligitur unanimem fuisse sæc. XI Ecclesiæ fidem de veritate transsubstantiationis. — *b*) Porro fidem hanc ad priora sæcula ascendere, monumenta *liturgiarum* et *Patrum* testantur ; ubi legimus panem et vinum vi consecrationis *transire, transferri, mutari, transmutari, converti, transformari, transelementari* in corpus et sanguinem Christi (ap. Bellarm. et Sasse). Quibus verbis, non tam per se quam *ex contextu*, certe dignoscitur dogma catholicum ; maxime si attendatur Patres singularissimam illius conversionis indolem demonstrare eamque a conversionibus naturalibus distinguere recurrendo ad divinam omnipotentiam veluti ad unicam causam rei adeo portentosæ. Sic *S. Ambrosius* (l. de myst. c. 9, n 52) allatis variis virtutis divinæ *exemplis*, licet inadæquatis, rursus arguit ex creatione : « Sermo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erant ?»

3° Tres diximus requiri conditiones ad transsubstantiationem. Atqui hæ conditiones in sacramento Euch. verificantur :

[1] — Exscribere hic juvat quæ habentur in Bulla Pii VI contra *Pistorienses :* « Doctrina Synodi, qua parte tradere instituens fidei doctrinam de ritu consecrationis, remotis quæstionibus scholasticis circa modum quo Christus est in Euch., a quibus parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, *duobus his tantum propositis :* 1° Christum post consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus ; 2° tunc omnem panis et vini substantiam cessare, solis remanentibus speciebus, prorsus *omittit ullam mentionem facere transsubstantiationis* seu conversionis totius substantiæ panis in corpus et totius substantiæ vini in sanguinem, quam velut articulum fidei Trid. Conc. definit et quæ in solemni fidei professione continetur ; quatenus per inconsultam istiusmodi suspiciosamque omissionem *notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratae* ad illius tuendam professionem adversus hæreses, tenditque adeo ad ejus oblivionem inducendam, quasi ageretur de quæstione mere scholastica : *perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicae* circa dogma transsubstantiationis, *favens haereticis* ».

ergo. *Min. decl :* — *a*) Etenim in primis perspicuum est duos haberi terminos positivos : quorum terminus *a quo formalis* est substantia panis et vini præcise sumpta, *totalis* vero eadem cum accidentibus ; terminus *ad quem* autem *formalis* est corpus et sanguis Christi in quæ fit conversio, *totalis* vero complexio ex eis et accidentibus.— *b*) Item ex dictis liquet terminum *a quo*, mox ut verba consecratoria sint prolata, desinere et locum cedere termino *ad quem*.— *c*) Denique non deest connexio inter desitionem unius et positionem alterius : quippe verba formæ « hoc est corpus meum » etc., quum efficiant quod significant, *eadem vi* faciunt ut substantia panis desinat et corpus Christi præsens sistatur.

2ª *Pars* eo spectat ut refutentur *erroneæ* vel *improbabiles sententiæ* circa dogma transsubstantiationis.

Errores rejiciuntur.

1° Sententia *Durandi* in duobus præsertim peccat gravissime : *a*) siquidem adversatur conversioni *totius* substantiæ panis et vini, qualem *Concilium Trid.* sanxit, nec nisi *transformationem* admittit ; *b*) item « erronea convincitur ex hoc quod corpus Christi jam est impassibile et multo magis ejus anima est immutabilis quoad informare et non informare » (*Cajet.* in art. 1).— 2° Sententia *Rosminii a*) in eosdem primum offendit scopulos ; *b*) at et majorem in absurditatem impingit, omnem conversionem etiam partialem tollens : etenim docet Rosminius panem et vinum converti in corpus et sanguinem Christi, quatenus fiant *terminus* ejus *principii sentientis*. Porro absurdissimum est unitatem substantiæ ex eo tantum resultare posse quod aliquid fiat terminus principii sentientis alterius. *c*) Nec theosophus ille minus aberrat, ubi ponit corpus Christi gloriosum *augescere*, contra ac docet universa Schola et *S. Thomas* inquiens (4 S. D. XI, Q. I, a. 3, sol. 1) : « Non ei additur » : alia absurda ejusdem systematis omittimus.

Opiniones expenduntur.

1ª Opinio, *adductionem* tenens, a plerisque saltem nunc jure improbatur : — *a*) *primo*, quia supponit *motum localem* corporis Christi : hunc autem in Eucharistia non dari, satis supra manifestavimus. *b*) *Secundo*, quia, qualitercumque explicetur ubicatio per adductionem ejusdem corporis, oporteret in ea hypothesi *unum* idemque *individuum* corpus *a seipso dividi*, distare et per interjecta spatia separari : quæ quis cordati animi admiserit ac intellexerit ? *c*) *Tertio*, quod gravius est, in illa opinione « secundum veritatem nulla est transsubstantiatio, nulla conversio ; quia ponitur panem redigi in nihil, et sola vox conversionis et transsubstantiationis

cum ordine successionis corporis Christi in loco panis affirmatur » (*Cajet.* in art. 4) ; aliis verbis non esset conversio, sed mera *substitutio*, contra ac *Concilia* definierunt.

2ª Opinio tuetur *reproductionem* vel replicationem ; at nec ipsa (prout a recitatis auctoribus explicatur) nobis arridet : — *a*) nam *inprimis*, proprie loquendo, reproductio rei existentis non infert nisi quamdam ejus *imaginem*. Idem autem numero est corpus Christi, natum de Virgine, quod omnes species consecratæ continent.— *b*) *Secundo* patroni illius sententiæ eo maxime ad reproductionem ponendam inclinantur, quod æstimant unum idemque corpus individuum posse proprie directeque *multilocari :* verum multilocatio hæc prorsus est antiphilosophica.— *c*) *Tertio* actio reproductiva, quam ponunt, immediate attingeret corpus Christi eique mutationem substantialem imprimeret. Atqui post veteres scholasticos, aperte contradicit *Catech. Trid.* (n. 39) his verbis :[1] « Conabuntur pastores tradere hujus admirabilis conversionis modum, quæ ita fit ut tota panis substantia divina virtute in totam corporis Christi substantiam... *sine ulla Domini Nostri mutatione* convertatur. Neque enim Christus aut *generatur*, aut mutatur, aut augescit ».— *d*) *Quarto* in præfata sententia (nisi asseratur productio vere transsubstantiativa panis in corpus Christi) nexus inter desitionem panis et successionem corporis, utpote inter terminos duarum actionum distinctarum, foret *mere extrinsecus* nec idcirco sufficiens ad salvandam propriam rationem conversionis seu transsubstantiationis.

3ª *Pars* subit ; in qua ostendendum est transsubstantiationem, secundum quod traditur a *D. Thoma*, nequaquam esse *impossibilem* seu rationi adversam, quanquam sit *valde mirabilis* nostroque *intellectu superior*.

1° *Quid* in mente *D. Thomæ* sit transsubstantiatio, summatim accipe[2]: — Nimirum *vi* illius *actionis conversivæ* qua panis in corpus Christi immutatum mutatur[3], concomitanter *desinit* esse panis eo instanti quo id quod erat panis incipit esse corpus Christi.— Hanc etiam panis mutationem, *immutato* tamen corpore Christi, *concomitatur* relatio *præsentiæ* ejusdem corporis ad species consecratas : nam ex una parte,

[1] — Vim doctrinalem hujus catechismi extollit Leo XIII in epist. ad clerum Gallicanum, 8 sept. 1899.

[2] — Vid. plura ap. Cajetanum, in art. 1, 2, 4.

[3] — « Non oportet propter novam hanc actionem mutationem aliquam effici in substantia corporis Christi, quia quod erat panis de novo est corpus Christi, non per mutationem corporis Christi, sed per mutationem panis in corpus Christi » (Cajet. in art. 4) ; — cf. *S. Th.* 4 S. D. XI, Q. I, a. 3, sol. 1.

conversio fit in substantiam corporis Christi quæ *secundum se* abstrahit ab esse in cœlo vel alibi ; ex altera parte, regula seu lex generalis est quod terminus conversionis sit ubi erat res conversa.— Si vero conversio illa velit dici productio, non simpliciter, sed *ex pane* (prouti loquuntur quidam thomistæ), ego haud dissentiam, dummodo res explicetur, non sensu reproductionis quem supra rejecimus, sed sensu transsubstantiationis proprie dictæ ; nec certe aliud significat *D. Thomas* ubi concedit hanc propositionem aliasve similes : « Ex pane fit corpus Christi ».— Infert *Cajetanus* (in art. 4) « actionem transsubstantiativam circa panem versari et in panem terminari, hoc modo videlicet, quod in instanti conversionis panis in corpus Christi, quod erat panis ut sic, i. e. secundum esse panis, habet rationem *termini a quo ;* et rursus quod erat panis, quod jam est corpus Christi, ut incipiens esse corpus Christi, habet rationem *termini ad quem*, ita quod terminus ad quem non est *corpus Christi absolute*, sed hoc *quod erat panis esse corpus Christi.*»

2° Transsubstantiationem mox expositam *non esse impossibilem*, sic evincitur : — Agens infinitum in hoc discriminatur ab agente creato et finito quod perficere possit non solum conversionem formalem, ut scil. diversæ formæ sibi in eodem subjecto succedant, sed etiam conversionem *totius entis*, prouti tota substantia hujus convertatur in totam substantiam illius. Atqui hæc est transsubstantiatio eucharistica, secundum quam tota substantia panis convertitur in totam substantiam corporis Christi, et tota substantia vini in totam substantiam sanguinis Christi : ergo. *Maj. ostend. a*) Cum omne agens agat in quantum est actu, quodlibet *agens creatum*, naturaque determinatum secundum genus et speciem, non potest nisi determinatam actionem exercere. Actio autem determinatur ex objecto, objectum vero ex forma qua constat. Igitur agens creatum non agit nisi ad *immutationem formæ* seu non operatur nisi conversiones *formales. b*) E contra, *agens increatum* actuque infinito subsistens dominatur toti naturæ entis ; unde divina operatio pertingere potest *usque ad variationem materiæ*, « ut scil. sicut natura facit hoc totum esse hoc totum, ut ex toto aëre totam aquam, ita Deus faciat ex hac materia signata illam. Et quia materia signata est individuationis principium, ideo solius Dei operatione hoc fieri potest, ut *hoc individuum* demonstratum *fiat illud individuum* demonstratum ; et talis modus conversionis est in hoc sacramento, quia ex hoc pane fit hoc corpus Christi » (4 S. D. XI, Q. I, a. 3 sol. 1).

3° Merito diximus hanc conversionem *valde mirabilem ;* quippe, ut *Angelicus* disputat (*l. cit.*), differt ab omnibus naturalibus conversionibus in quatuor : *a) primo*, quia usque ad materiam pertingit, quod in illis non invenitur. *b) Secundo*, quia consequenter non habet subjectum, contra ac conversiones naturales. *c) Tertio*, quia in istis totum quidem convertitur per variationem formæ, non autem partes essentiales in partes ; hic autem et totum convertitur in totum et partes in partes : materia enim panis fit materia corporis Christi, et similiter de forma. *d) Quarto* tandem, quia in naturalibus conversionibus transmutatur non solum id quod convertitur, sed etiam id in quod convertitur sive per generationem sive per augmentum sive saltem per restaurationem deperditi. Verum in conversione eucharistica, mutato pane et secundum formam et secundum materiam, corpus Christi præexistens et impassibile « nullo modo transmutatur », sed solum panis qui convertitur.

4° Ex his differentiis apparet quam *singularis* sit *nostraque mente plane superior* veritas transsubstantiationis, grandioribus altioribusque fidei mysteriis jure annumerata. « Mutatio ista, ait *S. Thomas* (*l. cit.* quæstiunc. 3 ad 1), fit ex existente in existens præter modum aliarum mutationum quæ fiunt etiam ex existentibus in existentia, ex quarum inspectione intellectus noster sibi suas conceptiones formavit ; et ideo hæc conversio videtur esse contra conceptiones intellectus ; et propter hoc difficilius ei assentitur quam creationi quæ est ex omnino non existenti, cujusmodi mutationem non vidit ».— Sapienter *Cajetanus* (in art. 1) : « In toto universo non apparet unus aliquis modus huic similis ; propter quod cum admiratione et veneratione fateamur defectum cognitionis nostræ circa hoc ».

Solv. obj.— Obj. 1.— Conversio seu mutatio supponit subjectum quod mutatur. Atqui non est dare subjectum aliquod substantiæ panis et corporis Christi. Ergo.

Resp. *D. M :* Conversio seu mutatio *formalis*... *C ;* conversio adæquate *substantialis*... *N.— D. m :* non est dare aliquod subjectum *commune* utrique naturæ, scil. panis et corporis Christi, *C ;* transsubstantiatio, utpote ordinata successio duarum substantiarum, non subjectatur quodammodo in utraque substantia panis et corporis Christi, sicut ordo et numerus, *N.— Neg. conseq.*

Obj. 2.— Conversio fit per hoc quod forma incipit actuare materiam rei conversæ. Atqui falsum est formam corporis Christi actuare materiam panis. Ergo.

Resp. *D. M:* Conversio *simpliciter* et absolute... *N ;* conversio *talis* seu quæ habetur secundum formarum successionem in eadem materia, *C.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Eorum quæ sunt secundum se diversa, unum nequit fieri alterum. Atqui cum duæ formæ specificæ, tum duæ materiæ signatæ sunt secundum se diversæ. Ergo.

Resp. *D. M:*... virtute agentis finiti, *C ;* virtute agentis infiniti, *S. d :* manente formaliter proprio distinctivo, *C ;* eo sublato, *N.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

Ad hanc solutionem explicandam, præstat verba ipsa tam luculenta *Auctoris* referre : « Virtute agentis *finiti* non potest forma in formam mutari, nec materia in materiam ; sed virtute agentis *infiniti* (quod habet actionem in totum ens), potest talis conversio fieri : quia utrique formæ et utrique materiæ est communis natura entis ; et id quod est entitatis in una, potest auctor entis convertere in id quod est entitatis in altera, *sublato eo* per quod ab illa distinguebatur[1] ».

ARTICULUS V.

Utrum in hoc sacramento remaneant accidentia panis et vini, vel etiam eorum formæ, post consecrationem.

(Q. LXXV, aa. 5-6)

Quid, consecratione facta, de pane et vino in sacramento Euch. *supersit*, videndum sequitur. *a*) Et primo, quod pertinet ad *accidentia*, post invectam a Cartesio sententiam de neganda distinctione reali inter substantiam corpoream et accidentia[2], quidam theologi certesianismo addicti inficiari cœperunt *realitatem objectivam* accidentium eucharisticorum, quasi hæc non essent nisi meræ apparentiæ seu impressiones subjectivæ divinitus effectæ (ita *Maignan*, *Drouyn*, *Witasse*) vel ad summum phænomena quædam physica vices accidentium gerentia (ita recentius *Tongiorgi* et *Palmieri*).— *b*) E

[1] — Hoc responsum subtiliter expendit *Cajetanus* (in art. 4).— Reliquas objectiones vide penes *Bellarm.* (l. III, c. 23-24).

[2] — Nostrum non est hanc distinctionem demonstrare ; sed hoc ad *christianam philosophiam* pertinet, quæ dum ex fide (in ea re sicut et in multis aliis) plurimum lucis mutuatur, fidem quoque suis rationibus confirmat.— Recolere sufficiat *Cartesium* (quem in hoc sectantur moderni plures, præsertim physici, ultra rerum corticem penetrare non valentes) reposuisse *essentiam* corporum in quantitate dimensiva seu extensione, ita ut arbitraretur accidentia nihil aliud esse quam ipsas substantias diversimode modificatas, nullatenus vero entitates a substantia distinctas.

veteribus nonnulli (Auctore teste) posuerunt, consecratione facta, una cum accidentibus panis et vini remanere earum rerum *formas substantiales ;* quæ tamen antiquata opinio est facileque refutabitur.

Conclusio 1ª.— FACTA CONSECRATIONE PANIS ET VINI, EORUM ACCIDENTIA EADEM NUMERO REMANENT REALITER SEU OBJECTIVE, IDQUE CONVENIENS EST.

1ª *Pars* de *permanentia objectiva* accidentium tanta certitudine constat ut videatur non posse negari absque temeritate *hæresi proxima.*

1° Sane *Ecclesiæ sensus* aperte colligitur ex *off. festi Corporis Christi* (lect. 5), ubi asseritur « accidentia sine subjecto » in Euch. subsistere.— Idem liquet ex prop. *Wicleffi* damnata a *Conc. Constantiensi* (quam damnationem Martinus V confirmavit) : « Accidentia panis non manent sine subjecto » in sacramento altaris.— Præterea definivit *Conc. Trid.* (Sess. XIII, can. 2) in Euch. panem et vinum converti in corpus et sanguinem Christi « manentibus duntaxat speciebus panis et vini ». Porro nomine *specierum* Patres Trid. intellexisse, non species mere intentionales, sed realia accidentia objecta sensibus, tria præsertim evincunt : *a*) *primo* vox *manere*, qua profecto indigitatur aliquid idem numero objective perseverans tam reale quam realis sit substantia transiens seu conversa ; *b*) *secundo* usus tunc in scholis obtinens ideoque menti Patrum Trid. consonus, juxta quem « species » sumebantur pro accidentibus relatis ad humanam perceptionem ; *c*) *tertio* expressa declaratio *Catech. Trid.* (n. 25 et 44), ubi additur : « Hæc perpetua et constans fuit catholicæ Ecclesiæ doctrina ».

2° *Traditio* hac in re illustribus testimoniis nititur.— *a*) *Veteres* enim (ap. Sasse, th. IX) in Euch. duo distinguunt, partem visibilem seu signum sacramentale, et partem invisibilem seu corpus Christi : illam autem vocant « rem terrenam » (S. Irenæus), « rem materialem » (Origenes), « res sensibiles » (S. Chrys.). Immo in controversia cum Monophysitis asserere non dubitant, post sanctificationem « mystica symbola a sua natura non recedere » (Theodoretus), « naturam panis non desinere » (S. Gelasius) vel « a sensibili essentia non excidere » (S. Ephrem Antioch.), quia nempe remanentia accidentia suarum substantiarum proprietates divinitus retinent.— *b*) Opinio unanimis *Scholae* saltem usque ad sæc. XVII apparet tum ex doctorum scriptis qui contra Berengarium dogma transsubstantiationis propugnarunt, tum ex operibus scholasticorum et sequentium theologorum : penes quos omnes

res indubitata erat, accidentia eucharistica secundum physicam suam objectivitatem manere. Porro temerarium est in re theologica consentientibus theologis adversari.

3° Suppetunt validæ *rationes* : — *a*) 1ª est ex *sensuum* testimonio qui realium accidentium permanentiam referunt adeo ut, iis accidentibus sublatis, illusio inevitabilis fieret ac in auctorem Deum refunderetur. — 2ª ducitur ex *loquendi usu* biblico et ecclesiastico ; *frangi* siquidem, *dividi* ac ita porro, dicuntur species sacramentales. Quis autem sermonem hunc de impressionibus duntaxat subjectivis cordate teneat ? — 3ª ratio est *D. Thomæ* (C. G. IV, 63) : « Necesse est, inquit, aliquid remanere, ut verum sit quod dicitur : *Hoc est corpus meum ;* quæ quidem verba sunt hujus conversionis significativa et factiva. Et, quia substantia panis non manet, nec aliqua prior materia, ut ostensum est, necesse est dicere quod maneat id quod est præter substantiam panis. Hujusmodi autem est accidens panis ». — 4ª ratio ab eodem *Angelico* subministratur (4 S. D. XI, Q. I, a. 1, qu. 2) : nempe sacramentum est signum sensibile utique reale et objectivum. Nisi autem in Euch., facta conversione panis et vini, accidentia in sua objectiva realitate subsisterent, deesset ratio sacramenti : ergo. — 5ª ratio accedit ex C. G., *l. cit :* « Si substantia panis in corpus Christi converteretur et panis accidentia transirent, ex tali conversione non sequeretur quod corpus Christi, secundum suam substantiam, esset ubi prius fuit panis ; nulla enim relinqueretur habitudo corporis Christi ad locum prædictum ».

2ª *Pars* subjicitur ad suadendum quam *rationabiliter* sacramentum hoc sub accidentibus panis et vini nobis offeratur.

Id autem ostendit triplex ratio : *a*) *primo* ratio *ritualis :* siquidem humano mori contrarium ac prorsus horribile est, hominis carnem comedere et sanguinem bibere. Vitatur autem hoc inconveniens per hoc quod caro et sanguis Christi nobis proponantur sumenda sub speciebus communium alimentorum. *b*) *Secundo* ratio *dogmatica ;* si enim Dominum sub propria specie manducaremus, augustum illud sacramentum infidelium irrisioni exponeretur, nec tam facile veram fidem sibi conciliaret : « si (in specie efficta humanæ carnis) sumeretur, magis esset in fidei destructionem, quia corpus Christi quod est gloriosum, passibile ostenderetur » (4 S. *l. cit.* ad 4). *c*) *Tertio* ratio *moralis ;* dum enim invisibiliter et sub aliena specie corpus et sanguinem Domini sumimus, majus fidei meritum consequimur.

Conclusio 2ª.— POST CONSECRATIONEM EUCHARISTICAM FORMA SUBSTANTIALIS PANIS VEL VINI NON MANET, SED CONVERTITUR ALIQUO MODO IN FORMAM CORPORIS CHRISTI.

1ª *Pars* non est nisi *corollarium* eorum quæ superius disputata sunt ; tamen, complementi gratia, specialiter ab *Auctore* ostend :

1° Ex *transsubstantiationis dogmate*. De fide est totam substantiam panis et vini converti in corpus et sanguinem Christi. Atqui forma substantialis est de panis ac vini substantia : ergo.— 2° Ex *veritate formæ*. Si forma substantialis panis maneret, materiæ paniceæ conversio fieret duntaxat in materiam corporis Christi (juxta proportionis legem), non in totum corpus. Id autem repugnat formæ sacramenti qua dicitur : *Hoc est corpus meum*.— 3° Ex *habitudine formæ ad materiam*. Forma corporea nequit existere sine materia propria. Atqui in hypothesi quam impugnamus, forma panis vel vini propria careret materia. Ergo.— 4° Ex *significatione sacramenti ;* cui aliquid deperiret, si accidentia non immediate ducerent in corpus Christi, sed in formam substantialem panis remanentem.

2ª *Pars* sic a *D. Thoma* determinatur (art. 6 ad 2) : « Anima est forma corporis, dans ei totum ordinem esse perfecti, scil. et esse corporeum et esse animatum, et sic de aliis. Convertitur igitur forma panis *in formam corporis* Christi, *secundum quod dat esse corporeum*, non autem secundum quod dat esse animatum tali anima ».

Solv. obj. (cont. 1ªm concl.).— OBJ. 1.— Remoto priori, removetur et posterius. Atqui substantia est naturaliter prior accidente. Ergo.

RESP. *D. M* : . . . secundum ordinem *causarum secundarum*, *Trans ;* virtute Dei seu *causæ primæ* fieri non potest ut remaneant posteriora, prioribus sublatis, *N.*— *C. m.*— *Neg. conseq.* (Vid. infra, Q. IV, a. 1).

OBJ. 2.— In sacramento veritatis non debet esse deceptio. Atqui deceptoria est permanentia accidentium sine substantia. Ergo.

RESP. *C. M.*— *D. m* : . . . *per accidens* et in eo cujus intellectus non sit fide directus, *C ; per se*, ubi *sensus* accidentia sensibilia, quæ vere sint, attingunt, et *intellectus* circa substantiam rerum dijudicandam fide juvatur, *N.*— *Neg. conseq.*

OBJ. 3.— Id quod manet, conversione facta, videtur esse mutationis subjectum. Atqui accidentia nequeunt dici subjectum mutationis. Ergo.

Resp. *D. M* :... in conversione *formali*, *C* ; in conversione *transsubstantiativa*, *S. d* : est *proprie* subjectum mutationis, *N* ; secundum aliquam *similitudinem*, *C.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS VI.

Utrum ista conversio fiat in instanti.

Postquam transsubstantiationem absolute exploraverimus, eamdem *relative* seu relate ad tempus breviter expendere juverit.— Omnium quidem quæ esse incipiunt, quædam successive, quædam instantanee fiunt : quid ergo de conversione transsubstantiativa ?

Conclusio..— Conversio panis et vini in corpus et sanguinem Christi fit instantanee, seu uno eo instanti quo corpus Christi, desinente substantia panis et vini, esse incipit sub speciebus consecratis.— Claritudinis causa duas partes distinguimus in hac conclusione.

1ª *Pars* de *instantaneitate* generatim sumpta *communissimam* theologorum doctrinam tradit, et ita probatur : — Mutatio aliqua instantanea esse potest triplici ratione, scil. vel ex parte formæ, vel ex parte subjecti, vel ex parte agentis. Atqui transsubstantiatio triplici hoc titulo petit fieri in instanti : ergo. *Maj. decl* : *a*) cum *forma* sit terminus mutationis, ubi formæ suscipiunt magis et minus, mutationes successive fieri possunt, v. g. restitutio sanitatis. At forma substantialis, speciei constitutiva, in hoc differt ab accidentali quod non admittit magis et minus ; unde necesse est ut subito introducatur in materia. *b*) Item materia seu *subjectum* sæpe paulatim præparatur ad susceptionem formæ ; ex quo fit successione non carere plerasque mutationes substantiales. Verum quando subjectum ultimo est ad formam dispositum, in instanti eam recipit. *c*) Tandem ex parte *agentis* mutatio potest esse instantanea, quia vid. agens infinitæ virtutis statim valet materiam ad formam disponere ; cujus rei exempla in miraculis observantur.— *Min.* facile ostend ; nam *a*) *primo*, substantia corporis Christi, ad quam terminatur transsubstantiatio, non suscipit magis nec minus ; *b*) *secundo*, in hac conversione non datur subjectum quod subsit præparationi successivæ ; *c*) *tertio*, eadem conversio infinita Dei virtute agitur.

2ª *Pars* ad explicationem subjicitur. Nimirum uno eodemque instanti quo desinit substantia panis, esse incipit sub speciebus corpus Christi ; ita ut illud instans simul mensuret

primum non esse panis et primum esse sacramentale corporis Christi : — id evincitur ex ipsis mutationibus naturalibus, in quibus eodem instanti abscedit forma substantialis per corruptionem et nova in ejus locum per generationem subrogatur.

Solv. obj.— Obj. 1.— Inter duo instantia cadit tempus medium. Atqui transsubstantiatio clauditur duobus instantibus, secundum quod prius ultimo est substantia panis et postea esse incipit corpus Christi. Ergo.

Resp. *C. M.*— *N. m.* Ad prob. *D :* Prius est substantia panis secundum aliquod ultimum instans, *N ;* secundum aliquod ultimum tempus terminatum per idem instans desitionis panis et inceptionis corporis Christi, *C.*— *Neg. conseq.*

1° Conceditur inter duo instantia, quæ designata fuerint, intercedere tempus medium ; secus enim instantia, utpote simplicia, in unum coirent.— At 2° falsum est dari reapse *ultimum instans* quo sit substantia panis sub speciebus, propterea quod tempus non componitur ex instantibus consequenter ac discrete se habentibus ; sed datur *ultimum tempus* præsentiæ panis, cujus terminus est instans quo, desinente pane, incipit esse sub speciebus corpus Christi.

Obj. 2.— In omni conversione est fieri et factum esse. Atqui hæc duo distinguuntur secundum prius et posterius. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m :... ratione, C; re* ipsa, *S. d*: in mutationibus *successivis*, *C ;* in mutationibus *instantaneis*, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Sacramentum Eucharistiæ Christi sermone seu verbis consecrationis perficitur. Atqui verba hæc successive feruntur. Ergo.

Resp. *D. M :...* verbis *materialiter* sumptis, *N ;* secundum quod *completam significationem* secumferunt, *C.*— *C. d. m :...* secundum materialem distributionem, *C ;* nec significatio completur in ultimo duntaxat instanti prolationis, *N.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS VII.

De regulis loquendi circa hanc conversionem.

In tractandis mysteriis, de quibus theologia edisserit, quæque eo difficilius humano sermone panduntur quo altius creatum transcendunt ingenium, satis non est veritatem, quoad fieri possit, secundum se capessere, at plurimum etiam interest rectas loquendi regulas, extra quas vagari sit nefas,

statuere et proferre.— Inde patet præsentis articuli opportunitas ; in quo sub totidem conclusionum specie tres regulas proponemus.

Conclusio 1ª.— LOCUTIONES, IN QUIBUS UNUM EXTREMUM DE ALIO IDENTICE PRÆDICATUR, NEQUEUNT IN TRANSSUBSTANTIATIONE CONCEDI.

Ratio perspicua est : siquidem in hac conversione, quemadmodum et in creatione vel in transmutatione naturali, extrema nequaquam sunt simul. Unde, sicuti non dicimus : « Non ens est ens » vel « album est nigrum », ita nec dicere licet : « Panis est corpus Christi ».

Conclusio 2ª.— LOCUTIONES, TERMINORUM SUCCESSIONEM VEL TRANSITUM UNIUS IN ALIUM, SIGNIFICANTES, VERÆ SUNT AC PROPRIÆ.

1ª *Pars* de *terminorum successione* ex eo apparet, quod ille terminorum ordo seu successio, qua unum extremum alteri supponitur, quiddam commune est, cum transsubstantiationi tum creationi et cuilibet mutationi naturali conveniens ; in quocumque enim prædictorum, post hoc habetur aliud.— Porro præpositio *ex* ordinem designat, ut patet in hac prop : « Ex mane fit dies ». Quapropter vere proprieque asserere possumus quod « ex pane fit corpus Christi », sicut vere asseritur quod « ex non ente fit ens » et « ex albo fit nigrum ».

2ª *Pars* de locutionibus *conversionem* exprimentibus non minori fulget evidentia ; dum enim in creatione unum extremorum, utpote non ens, haud transit in alium, in hoc convenit consecratio eucharistica cum transmutatione naturali quod in utraque habetur vera ac proprie dicta conversio unius positivi extremi in aliud extremum. Vere itaque dicimus : « Panis convertitur in corpus Christi » ; attamen, ad signandum quod heic, secus ac in transmutatione naturali, tota substantia in totam substantiam mutatur, magis proprie dicimus : « panis transsubstantiatur in corpus Christi ».

Conclusio 3ª.— LOCUTIONES DENOTANTES SUBJECTUM VEL CAUSAM MATERIALEM VEL POTENTIAM PASSIVAM NON SUNT PROPRIE AC SIMPLICITER CONCEDENDÆ, LICET IMPROPRIE ET SECUNDUM QUID INTERDUM ADHIBEANTUR.

1ª *Pars* nullo negotio intelligitur : quippe in hac mirabili conversione non datur *subjectum* commune utrique extremorum, uti in transmutatione naturali ; nec consequenter habetur *causa materialis*, quæ se tenet ex parte subjecti seu materiæ ; nec etiam *potentia passiva* creaturæ ad hanc conver-

sionem, quam sola potentia activa Creatoris operatur.— Hæc itaque veluti corollaria deducimus : *a*) *primo* non potest proprie dici quod « *de* pane fiat corpus Christi », quia vocula *de* designat causam seu identitatem consubstantialem quæ in mutationibus naturalibus penes convenientiam in subjecto attenditur. *b*) *Secundo* eadem de causa non conceditur simpliciter quod « panis erit corpus Christi » vel quod « fiat corpus Christi »; eo quod hic loquendi modus verificatur secundum communitatem seu identitatem subjecti factionis, puta cum dicimus « album fit vel erit nigrum ». *c*) *Tertio* rursus non conceditur prop : « Panis potest esse corpus Christi »: potentia enim inest subjecto in ordine ad transformationem vel alterationem, puta quando dicitur « album potest esse nigrum »; hic autem non transformatio vel alteratio, sed transsubstantiatio habetur.

2ª *Pars* tamen additur ad intelligentiam quarumdam locutionum quæ, licet *impropriæ* sint, penes sanctos reperiuntur et concedi quadamtenus possunt.— Etenim in conversione eucharistica datur aliquid simile seu analogum identitati subjecti, scil. communitas specierum hinc inde existentium ; ex quo fit ut secundum quamdam *similitudinem* verificari censeantur hæ locutiones : « panis fit corpus Christi », « panis erit corpus Christi » vel « de pane fit corpus Christi », quatenus nomine panis intelligatur, non quidem speciatim substantia panis, sed communius id quod sub speciebus permanentibus continetur.

QUÆSTIO TERTIA

DE MODO ESSENDI CHRISTI IN EUCHARISTIA

Sacramentum Euch. ex pane vinoque confectum superiori quæstione consideravimus quantum ad fieri ; nunc id ipsum indagandum subit quantum ad *factum esse :* quod *S. Thomas* sub enunciata quæstione determinat ex parte *rei contentæ* seu Christi existentis sub speciebus consecratis, antequam (seq. quæst.) modum essendi ipsarum specierum theologicæ inquisitioni subjiciat.

Porro modus essendi Christi in Eucharistia spectari potest dupliciter, nempe vel secundum esse *reale* (art. 1-4), vel secundum esse *cognitionis* (art. 5) ; rursus secundum esse reale alia occurrit peragenda consideratio *substantiæ* Christi (art. 1-2), alia *quantitatis* dimensivæ (art. 3-4) ; de substantia autem Christi quærendum venit num tota contineatur sub *speciebus* sacramenti (art. 1), imo sub *qualibet parte* spe-

cierum (art. 2) ; item de quantitate corporis Christi, *num sit* in sacramento Eucharistiæ (art. 3), et quanam constet *habitudine* ad locum et motum (art. 4).

ARTICULUS I.

Utrum totus Christus contineatur sub speciebus sacramentalibus.

(Q. LXXVI, aa. 1-2)

1° In titulo adverte per *totum* Christum intelligi divinitatem et humanitatem seu animam et corpus partesque corporis omnes.— Duo autem sub uno quæsito comprehenduntur, scil. an *generatim* totus Christus in sacramento Eucharistiæ contineatur et an *speciatim* sit sub utraque hujus sacramenti specie.

2° Præobservetur (ex *Auctore*) aliquid Christi posse haberi in hoc sacramento dupliciter : *uno modo* ex vi sacramenti ; *alio modo* ex naturali concomitantia. Ex *vi* quidem *sacramenti* ponitur sub speciebus sacramentalibus id in quod directe convertitur substantia panis et vini præexistens, prout exprimitur verbis formæ efficientibus quod significant ; ex *naturali* autem *concomitantia* esse dicitur in hoc sacramento illud quod realiter absoluteque conjunctum est ei in quod prædicta conversio directe terminatur.

3° Porro ex hæreticis hanc concomitantiam irrident non solum *Sacramentarii* negantes quamcumque realem Christi præsentiam eucharisticam, sed et nonnulli *Lutheranorum* cæteroquin realem præsentiam confitentes, dum alii prudentiores quæstionem istam dissimulant, alii vero catholicis assentiuntur (Bellarm., l. IV, c. 21).

Conclusio 1ª.— Totus est Christus in sacramento Eucharistiæ, partim quidem vi sacramenti, partim vi naturalis concomitantiæ.

1ª *Pars* sic definita est a *Conc. Trid.* (Sess. XIII, cap. 3) : « Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere ». (Cf. can. 1).

1° Ex *Scriptura* duo argumenta colligimus ; — quippe legitur (1 Joan. IV, 3) : *Omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est ;* qua sententia prorsus generali damnantur ii omnes qui quoquo modo solvunt unionem hypostaticam Dei et hominis vel naturalem animæ et carnis.— Præterea ex verbo Dei habemus in Eucharistiæ esse verum Christi *corpus*

(Matth. XXVI, 26), illudque immortale, quia *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur* (Rom. VI, 9), necnon Divinitati conjunctum, quia *Verbum caro factum est* (Joan. I, 14) absque ulla futuræ separationis indicatione.

2° *Patres* haud obscure idem docent, sive quando affirmant *Christum* simpliciter in Euch. nobis dari (Hilar. Pictav., Cyr. Hier., August.), sive præsertim quando asserunt *totum* Christum nobis conferri (Joan. Chrys., Isid. Hisp.).— *Rationem* mox a nobis evolvendam reddit *S. Ambrosius* (l. de myst. c. 9, n. 58) : « In illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi » ; perinde ac si diceret : ubi existit corpus Christi, quidquid ad Christum pertinet haberi necesse est.

2ª *Pars* asseritur ex ipso *C. Trid.* (*l. cit.*).

1° Sane *vi verborum* sacramentalium, utpote quæ directam sacramenti efficaciam exserunt, ea duntaxat in sacramento ponuntur quæ iisdem verbis, scil. « hoc est *corpus* meum » et « hic est *sanguis* meus », exprimuntur.— Porro nomine *corporis* intelligi debet non solum caro stricte sumpta, sed omne id ex quo Christi corpus specifice integratur, scil. ossa, nervi aliaque hujusmodi ; quod satis elucet ex ipsa forma in qua non dicitur : « Hæc est caro mea »; sed : « Hoc est corpus meum » (art. 1 ad 2).— Mens autem *S. Thomæ* (Q. LXXV, a. 6 ad 2) longe probabilior videtur, etsi contradicat Sylvius, *vi verborum* in Eucharistia haberi animam, non simpliciter, sed secundum quod dat *esse corporeum ;* ut sic corpus proprie dictum et non sola materia formæ correspondeat[1].

2° Ex *reali concomitantia* Christi *divinitas* et *anima*, licet non directe conversionem panis et vini terminent, in sacramento altaris reapse existunt : — etenim, si quæ sint realiter conjuncta, ubicumque est unum, ibi sit aliud oportet. Atqui tum divinitas tum anima Christi hanc cum ejus corpore realem conjunctionem sibi vindicant : ergo. *Maj.* certo constat, eo tamen sensu quod si unum latius altero pateat, ubicumque est minus, ibi etiam est majus, non autem e contrario. *Min. evolv: a*) sane *divinitas* in Christo corpus assumptum nunquam deposuit nec deponet, ideoque, ubi realiter sit corpus, et ipsa adesse censenda est. *b*) *Anima* vero fuit equidem in triduo mortis separata a corpore ; unde, si fuisset tunc celebrata Eucharistia, neque directe neque concomitanter animam continuisset. Verum ex quo Christus nunquam moriturus resurrexit, anima ejus sortita est indissolubile consortium cum corpore, hujusque sacramentalem præsentiam vi illius connexionis ubique concomitatur.

[1] — Cf. Ferrariensis in C. G. IV, 64 ; — Gonet in h. 1.

Conclusio 2ª.— TOTUS EST CHRISTUS SUB UTRAQUE SPECIE SACRAMENTI, ALITER TAMEN ET ALITER ; NEC UNA SPECIERUM SUPERFLUIT.

1ª *Pars* de *fide* est ex *CC. Flor.* (Decr. pro Arm.) et *Trid.* (Sess. VIII, cap. 3 et can. 3 ; Sess. XXI, cap. 3 et can. 3).

Nam 1° dixit Dominus (Joan. VI, 58) : *Qui manducat me* (proinde totum Christum), *et ipse vivet propter me.* At non manducatur Christus nisi in specie panis. Ergo sub illa specie continetur, non solum corpus, sed totus Christus.— 2° *Traditionis* testem invoco *S. Cyprianum* qui, (de Orat. dom. n. 18) panem quotidianum de Eucharistia exponens, ait : « *Panem* nostrum, i. e. *Christum*, dari vobis quotidie petimus, ut, qui in Christo manemus et vivimus, a sanctificatione ejus et *corpore* non recedamus ». Et *S. Ephrem* (ap. Sasse, p. 355) : « Te, Domine, comedimus, te bibimus, non ut consumamus te, sed ut per te vivamus ».

2ª *Pars* optime declaratur a *Conc. Trid.* (Sess. XIII, cap. 3), ubi (juxta *D. Thomæ* doctrinam) agnoscit in Eucharistia « corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub vini specie, ex *vi verborum*, ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis et *concomitantiæ*, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur ; divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem ».— Quo in proposito duo ex *Auctore* (art. 2) notare expedit : 1ᵘᵐ, quod si tempore mortis Christi fuisset sacramentum Euch. celebratum, sub specie panis corpus sine sanguine, sub vini autem specie sanguis sine corpore, prouti ferebat rei veritas, extitisset ; 2ᵘᵐ, quod sanguis præ cæteris partibus seorsum a corpore consecratur, quia, in passione per Eucharistiam commemorata corpus, effuso sanguine, indissolutum permansit.

3ª *Pars*, nempe quod, etsi Christus totus sit sub utraque specie, *neutra superfluat*, tribus evincitur : — *a) primo* ex repræsentanda *Christi passione*, in qua seorsum fuit sanguis a corpore separatus ; unde forma sanguinis consecrandi ejus effusionem memorat.— *b) Secundo* ex *usu sacramenti*, quatenus seorsum fidelibus porrigatur corpus Christi in cibum et sanguis in potum.— *c) Tertio* ex *effectu*, secundum quod corpus exhibetur pro salute corporis et sanguis pro salute animæ (art. 2 ad 1).

Solv. obj. (cont. 1ᵃᵐ concl.).— OBJ. 1.— Christus incipit esse in Eucharistia per conversionem panis et vini. Atqui panis

et vinum non convertuntur neque in divinitatem Christi neque in ejus animam. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... *per se, C ; per accidens* seu secundum realem divinitatis et animæ concomitantiam, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Ex pane fit caro Christi, juxta illud (Joan. VI, 56) : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Atqui præter carnem multæ sunt aliæ corporis partes. Ergo.

Resp. *D. M* :... solum caro *præcise* sumpta, *N ;* caro intellecta pro *toto corpore* sive ex usu biblico sive ob hominum consuetudinem vescendi carnibus, non ossibus aliisque hujusmodi, *C.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Corpus majus nequit totum contineri sub minoris quantitatis mensura. Atqui mensura panis et vini consecrati longe minor est mensurâ corporis Christi. Ergo.

Resp. *D. M* :... contineri per modum quantitatis, *C ;* per modum substantiæ, *N.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

Distinctio hæc, in re eucharistica, gravissima ac prorsus capitalis est ; quæ ut jam nunc quadantenus innotescat, dicendum est per consecrationem panis et vini converti non quidem eorum dimensiones in dimensiones corporis Christi, sed *substantiam in substantiam* (sunt verba Trid. sess. XIII, (cap. 4) ; quod satis colligitur ex eo quod illarum rerum accidentia, facta consecratione, permanent.— Ex hoc veluti principio infertur 1° quod *vi sacramenti non dimensiones*, sed *substantia* corporis et sanguinis Christi sub sacramento ponitur. Unde 2° corpus Christi in sacramento existit sub ea formali ratione qua conversionem terminat, scil. *per modum substantiae*, et *non per modum quantitatis*[1]. Porro 3° totalitas propria substantiæ seu integritas speciei *continetur indifferenter* in parva vel magna quantitate[2], sive sit substantia homogenea, ut aër, sive heterogenea, ut homo. Igitur 4° *tota substantia corporis* et sanguinis Christi continetur sub speciebus consecratis, sicut ibi antea tota substantia panis et vini continebatur. — At plura mox de hoc argumento.

ARTICULUS II.

Utrum sit totus Christus sub qualibet parte specierum panis vel vini.

Cum accidentia panis et vini *actu* vel *potentia* divisionem admittant, quæstio, haud difficultatis expers, ultro suboritur,

[1] — Cf. Catech. Trid. P. II, *de Euch.* n. 43.
[2] — Tam vere est aqua in guttula roris quam in immenso oceano.

num Christus totus contineatur, quemadmodum sub unaquaque specie, ita et sub qualibet specierum parte.

Affirmat quidem catholica fides ; — in qua elucidanda *Cartesiani* theologi, ponentes essentiam corporum in ipsa extensione locali sitam esse, confugerunt ad maximam quamdam atomorum corporis Christi (ut aiunt) sive *condensationem* sive *compenetrationem*, ita ut corpus in eo statu veluti microscopico replicetur sub singulis specierum moleculis. Alii theologi, ut *Lessius*, *Franzelin*, etc., sententiam proferunt, qua corpus Christi in Eucharistia, divinitus orbatum effectu quantitatis distributivo partium in loco, dicitur se habere ad instar *puncti* indivisibilis locum tangentis, quod totum sit in una parte specierum et totum simul quadam suî diffusione vel continuatione in reliquis partibus existat. — Num hæc positio cum vera *D. Thomæ* sententia concordet, proxime discutiemus.

Conclusio.— CHRISTUS TOTUS ESSE DICENDUS EST IN QUAVIS PARTE SPECIERUM, TUM FACTA SEPARATIONE, TUM ANTE SEPARATIONEM, QUIN EX HOC RITE INTELLECTO QUIDPIAM RECTÆ RATIONI CONTRARIUM INFERRI VALEAT.— Tres partes accipiendas volumus.

1ª *Pars*, nempe quod *totus* Christus sit præsens sub *qualibet parte specierum jam divisarum*, expresse definita est a *Conc. Trid.* (Sess. XIII, can. 3).

Et 1° *traditionis* testes referri possunt, tum *S. Greg. Nyss.* (Orat. Catech. c. 37), ubi ait unum Christi corpus ita innumeris fidelibus distribui ut « totum sit per partem in unoquoque et ipsum in se totum maneat »; tum *S. Cæsar. Arel.* (Hom. 5) dicens : « Tantum est in exiguo, quantum esse constat in toto ».— Consonant *liturgiæ*, ut patet ex liturgia *S. Chrysostomi*, in qua legimus : « Dividitur Agnus Dei, Filius Patris, qui frangitur at non comminuitur »; nec non ex *Sacram. Ambros.* (Præf. Dom. 5 post Epiph.), ubi dicitur : « Singuli accipiunt Christum Dominum et in singulis portionibus totus est » (ap. Sasse, th. VIII).— Hinc non minus vere quam pulchre cecinit *S. Thomas* (in *Lauda Sion*): « Fracto demum sacramento, ne vacilles; sed memento tantum esse sub fragmento quantum toto tegitur.»

2° Sic *argumentari* licet : ex disputatis constat conversionem eucharisticam terminari primo et per se ad substantiam corporis Christi, ita ut hoc corpus sit in sacramento *per modum substantiæ* existentis sub dimensionibus, non autem per modum dimensionum substantiam extendentium secundum quantitatem dimensivam loci. Atqui de natura sub-

stantiæ, qua talis, est ut tota contineatur sub qualibet parte dimensionum continentium, sicut sub qualibet aëris vel panis parte tota est aëris vel panis natura. Ergo.

2ª *Pars* habet, Christum esse totum sub quavis parte specierum etiam *ante separationem ;* quod, etsi forte non sit de fide, tamen *certissimum* ex theologorum consensu censeri debet.

1° Id veluti *corollarium* ex dictis asseritur : — *a*) tum quia *proprium est substantiæ* absolute ut tota sit sub qualibet parte dimensionum aut actu aut potentia tantum divisarum ; — *b*) tum quia corpus Christi in Euch. succedit *naturae panis*, quæ citra fractionem tota erat in toto et tota in partibus ; — *c*) tum quia *fractio naturalis* specierum *nequit esse ratio praesentiae* Christi ubi prius non erat. Unde, existente toto Christo in quavis parte post fractionem, etiam ante fractionem existat necesse est.

2° *Nonnulli* equidem contenderunt, hostia integra manente, Christum totum esse sub tota hostia, non tamen sub qualibet hostiæ parte, et ad hoc suadendum adhibebant exemplum *imaginis* relucentis *in speculo*, quatenus una apparet in speculo integro, in speculo autem fracto pro singulis partibus multiplicatur.— Verum hoc exemplum duplici de causa claudicat : *a*) *primo*, quia si Christus non esset sub partibus hostiæ integræ secundum totum, esset ibi secundum partem ideoque situaliter et circumscriptive ; quod falsum est (4 S. D. X, Q. I, a. 3, sol. 3). *b*) *Secundo*, quia multiplicatio imaginum in speculo fracto causaliter dependet ex diversis reflexionibus seu reverberationibus fractæ superficiei specularis ; hic autem non est nisi una consecratio veluti una eademque causa præsentiæ Christi in sacramento.

3ª *Pars* subjicitur ad illustriorem argumenti explicationem.— Ubi discutiendæ sunt falsæ opiniones, veriorque sententia evolvenda.

1° Rejicitur *opinio Cartesiana*. — *a*) Nam in primis ea, quam asserunt, condensatio vel compenetratio partium corporis Christi esse nequit sine gravi ejus immutatione seu deformatione, ex qua veluti *monstrum* evadat.— *b*) Præterea in illa hypothesi, existente corpore Christi per modum dimensionis saltem molecularis ideoque positionis circumscriptivæ, verificari simpliciter non posset quod Christus totus sit sub omnibus et *singulis* specierum partibus (plura inconvenientia vid. apud cl. *Billot*, p. 406-407).

2° Reprobanda etiam videtur *opinio Lessii* aliorumque æquiparantium præsentiam Christi sacramentalem habitudini *puncti indivisibilis* ad locum et spatium (prouti et de

substantiarum spiritualium esse in loco intelligunt).— Sane *a*) contradicit aperte *S. Thomas*, v. g. (1 S. D. XXXVII, Q. II, a. 1 ad 4) : « Relicta imaginatione, inquit, indivisibilitas substantiæ incorporeæ, ut Dei, vel angeli, vel animæ, vel etiam materiæ (absque quantitate), sicut indivisibilitas puncti non cogitetur ; quia ut dicit Boëtius 1 de Trin. c. 2, oportet in intellectualibus non deduci ad imaginationem ». — *b*) Insuper, quia punctum est de genere continui in quo habet situm, Christi corpus juxta hanc positionem non esset in Euch. per modum substantiæ, sed per *modum imperfectae quantitatis*, cujus rationem essendi non transcenderet.— *c*) Unde et gravius sequeretur inconveniens, quod *non posset esse totum sub toto divisibili* specierum ; quomodo enim punctum situ determinatum intelligi potest se per totum spatium diffundere? Apposite *D. Thomas* (Qq. Dp., De spir. creat., a. 4 ad 16): « Anima non est indivisibilis ut punctum habens situm in continuo ; contra cujus rationem esset in loco divisibili esse ; sed anima est indivisibilis per abstractionem a toto genere continui : unde non est contra ejus rationem, si sit in aliquo divisibili toto ».

3° Reliquum est ut doctrinam *D. Thomae* intimius perspiciamus.— Et *a*) *primo*, in re tam sublimi, scholastica opera huc certe non tendit ut omnem obscuritatis umbram dissipet, sed ut contraria argumenta, ceu superbientis rationis sophismata, removeat.— *b*) *Secundo* non immerito ad illustrandum tantum mysterium inducitur *exemplum animae*. « Spiritui competit esse totum in toto et in qualibet parte, quia non habet quantitatem, nec a quantitate substantia ejus dependet. Corpus autem Christi, quamvis in se consideratum non absolvatur a propria quantitate, tamen non comparatur ad hostiam sub qua est secundum propriam quantitatem ; et ideo non est spiritus, sed participat *quantum ad aliquid* proprietatem spiritus secundum comparationem ad species sub quibus continetur » (4 S. D. X, Q. un. a. 3, qu. 3 ad 3). — *c*) Sane *tertio* substantiæ seorsim sumptæ a quantitate competit indivisibilitas (C. G. IV, 65), eaque altior indivisibilitate puncti, utpote quæ totum quantitatis genus transcendit. Inde fit quod si per singularissimum phænomenon contingat quantitatem ipsam conformari in essendo modo substantiæ, poterit substantia quanta indivisibiliter existere seu tota in toto et tota sub qualibet parte continentis. Atqui id in Eucharistia accidere, ex revelato fideque certificato præsentiæ realis mysterio legitime concludimus : etenim corpori Christi, jam ex *elementis essentialibus constituto*, accedit *quantitas* veluti divisionis et extensionis conditio sine qua nec

organicæ corporis partes formaliter distinguerentur (sed tantum radicaliter et exigitive). Quantitas vero dupliciter spectari potest, nempe tum *in ordine ad substantiam* cujus est, tum *in ordine ad locum :* sub primo respectu, hoc efficit ut partes corporis intrinsece dividantur et disponantur veluti secundum naturæ ordinem, puta caput prope collum, etc., et hic est *primarius* ac propriissimus quantitatis effectus ; sub altero respectu, quantitas disponit partes corporis *extrinsece* adeo ut partibus loci circumstantis coextendantur seu correspondeant, et hic est *secundarius* quantitatis effectus qui naturaliter quidem, at non inseparabiliter, consequitur. Unde fieri potest et reapse virtute divina factum est ut corpus Christi in Eucharistia quantum existat primo modo (qui propter independentiam a mensura loci assimilatur modo essendi substantiæ, et vocatur a Patribus *spiritualis, intelligibilis*), quin tamen simul subjaceat effectui secundario quantitatis quo prædicamentum *ubi* constituitur[1].

Solv. obj.— Obj. 1.— Species sacramentales dividi possunt in infinitum. Atqui inconveniens est dicere quod Christus sit infinities sub speciebus. Ergo non est sub qualibet parte specierum.

Resp. *D. M :* . . . scil. *in potentia* sunt infinite divisibiles, *C ; actu* infinite seu secundum infinitum numerum dividuntur, *N.*— *C. d. m :* . . . quod sit infinities sub speciebus actu, *C ;* in potentia tantum, dum actu toties esse dicitur quot sunt divisionis partes, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Corpus Christi, utpote organicum, habet partes determinate distantes. Atqui hæc determinata distantia partium nequit cum præsentia totius Christi sub qualibet specierum parte consistere. Ergo.

Resp. *D. M :* . . . scil. partes distinctas ab invicem secundum debitum ordinem, *C ;* partes proprie distantes secundum mensuram localem, *S. d :* in cœlo, *C ;* in statu sacramentali, *N.* — *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

Audiatur responsum *Angelici* (4 S. D. X, Q. I, a. 2, qu. 4 ad 3) : « *a*) Quamvis corpus Christi, prout est sub sacramento, habeat partes *distinctas* et situatas situ naturali (scil. intrinseco), non est tamen assignare in partibus dimensionum panis ubi singulæ partes corporis Christi jaceant. *b*) Non tamen sequitur quod dicamus corpus Christi *confusum*, quia *ordinem* habent partes *in se ;* sed secundum ordinem illum non comparantur ad dimensiones exteriores ».

[1] — Cf. Cajetanus (in h. art.) ; Ferrariensis in C. G. IV, 64 ; etc., etc.

Obj. 3.— Corpus Christi etiam in sacramento veram retinet corporis naturam. Atqui de ratione corporis est quantitas positionem habens in loco. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... aptitudinaliter, *C* ; actualiter, *S. d* : de ratione corporis *absolute*... *N* ; secundum *naturalem* conditionem quantitatis dimensivæ, *C.*— *Neg. conseq.*

Effectus quantitatis quo partes disponuntur inter se *prior* est et *intrinsecus*, effectus autem quo partes extenduntur in loco *posterior* et *extrinsecus*. Quæ autem in entibus concipiuntur per modum alicujus posterioris et extrinseci non ea necessitate gaudent quæ pertinet ad intrinseca. Idcirco naturalem illam resultantiam, juxta quam corpus quantum dimensionibus suis ad loci dimensiones comparatur, suspendi divinitus non repugnat, quemadmodum in miraculis suspendi conspicimus effectus vel leges causarum secundarum et impeditam fuisse novimus resultantiam suppositi creati in humanitate Christi.— Illa facta suspensione, remanet *aptitudo* corporis ad locum occupandum[1].

ARTICULUS III.

Utrum tota quantitas dimensiva corporis Christi sit in hoc sacramento.

Quæ jam, pro præcedentium quæstionum opportunitate, de quantitate corporis Christi in Eucharistia anticipavimus, formaliori nunc sermone complenda sunt.

Et 1° dubium proponitur non de qualicumque, sed de *tota* quantitate dimensiva quæ corpori Christi competat.— Implicite vero quæstio etiam movetur de *reliquis accidentibus* saltem intrinsecis, num scil. et ipsa, una cum quantitate, corpus Christi eucharisticum comitentur.

2° Nonnulli antiquiores theologi, ut *Durandus*, *Major*, *Gabriel*, aut negasse aut in dubium revocasse feruntur suam corpori Christi inesse quantitatem sub speciebus sacramentalibus.— *Suarez*, cui alii in hoc adhærent, dum concedit corpori Christi in sacramento quantitatem propriam cum *aptitudine* quadam ad extensionem, scribit tamen (Disp. 48, s. 1, n. 20) : « Non potest esse effectus formalis quantitatis, facere partem substantiæ extra partem esse in ordine ad se »; ideoque negat, præter *entitativam* partium substantialium distinctionem ac conjunctionem, haberi in corpore Christi

[1] — De hoc aliisque mirabilibus mysterii eucharistici legatur cl. Monsabré, conf. 68 : *Les miracles eucharistiques.*

sub sacramento *ullam quantitativam* extensionem aut dimensionem *actualem*[1].

3° Intentæ conclusionis sensus est, quantitatem corporis Christi in sacramento privari quidem divinitus ea dimensione ac positione partium quæ comparatur ad locum locique partes quæque modum naturalem quantitatis exhibet, non tamen actu carere ea dimensione et positione qua partes secundum se et *in ordine ad totum* disponuntur : quippe quantitas semel ac sit, impossibile est quin faciat rem aliquo modo quantam seu extensam et dimensionatam (contra Suarez).

Conclusio.— In sacramento Eucharistiæ habet corpus Christi suam quantitatem dimensivam, quæ ibi tota est, una cum aliis accidentibus intrinsecis, vi realis concomitantiæ.— Quatuor distingui possunt partes, quarum tres primæ satis aperte nituntur verbis *Trid.* (Sess. XIII, cap. 3) quod « *totus* et *integer* Christus » est sub speciebus sacramentalibus.

1ª *Pars* evincitur a *D. Thoma* (4 S. D. X, Q. I, a. 2, qu. 3) duplici ratione : — 1° « Subjectum numquam separatur a propria passione. Sed substantiæ corporalis *propria passio* est quantitas dimensiva. Ergo cum substantia corporis Christi sit sub sacramento, etiam quantitas ejus dimensiva erit ». — 2° « Præterea, de ratione corporis vivi est organizatio, ut patet in 2 de Anima. Sed *organizatio* requirit diversum situm partium ; situs autem præsupponit quantitatem. Ergo oportet, cum corpus Christi sit vivum sub sacramento, quod sit ibi sub propria quantitate ».

2ª *Pars*, quæ enunciat *totam* quantitatem corporis Christi esse in sacramento, facile suadetur.— Nam 1° corpus Christi totum, non mutilum, in Eucharistia esse creditur, maxime cum sit ex Patrum Conciliorumque sententia *idem* numero *corpus* quod pro nobis passum est et resurrexit. Atqui totalitas corporis attenditur secundum totalitatem quantitatis, cujus ratione dividitur et partes habet. Ergo.— 2° Insuper corpus Christi in sacramento *immutatum* ponitur. Atqui non posset una pars quantitatis ab alia sejungi sine mutatione intrinseca illius corporis. Unde legitur (in seq. *Lauda Sion*) : « Nulla rei fit scissura ; signi tantum fit fractura, qua nec status nec statura signati minuitur ».

3ª *Pars* iisdem fere rationibus absolvitur ac præcedentes : — Non posset enim corpus Christi eucharisticum privari

[1] — Hanc sententiam expresse refutat cl. Billot, *Comm.* in III, Q. LXXVI.

aliis accidentibus intrinsecis, qualia sunt præsertim variæ *qualitatis* species, utputa vires operativæ, figura, etc., sine aliqua mutilatione vel immutatione.

4ª *Pars* ostend.— Etenim illud, idque tantum, *ex vi sacramenti* ponitur in sacramento Euch. in quod directe terminatur conversio transsubstantiativa ; reliqua necessario conjuncta inibi reperiuntur *vi realis concomitantiæ*. Atqui jam supra accepimus (art. 1 ad 3) conversionem eucharisticam directe terminari ad substantiam corporis Christi, non autem ad dimensiones ejus. Itaque hæ dimensiones aliaque accidentia eis annexa existunt in sacramento vi duntaxat naturalis concomitantiæ.

Solv. obj. (quæ ducuntur ex tribus proprietatibus *naturalibus* quantitatis dimensivæ, scil. ex *locali extensione*, ex *impenetrabilitate* et *mensurabilitate*.

Obj. 1.— Totum corpus Christi continetur sub qualibet parte hostiæ consecratæ. Atqui nulla quantitas dimensiva tota esse potest in toto et in qualibet ejus parte. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... secundum modum sibi connaturalem, *C ;* secundum modum substantiæ cui adaptetur, *N.*— *Neg. conseq.*

Modus connaturalis quantitatis dimensivæ est quod tota sit in tota et singulæ partes in singulis ejus partibus ; *modus substantiæ*, e contrario, quod tota sit in toto et tota in qualibet parte.— Porro, licet secundum ordinarium rerum cursum quantitas dimensiva naturalem essendi modum consequatur, in sacramento tamen *accommodatur modo substantiæ :* nam modus essendi cujuslibet rei determinatur secundum id quod est ei *per se*, non secundum id quod est ei *per accidens*, sicut dulce cadens sub oculo per accidens seu ut conjunctum albo est in visu, non modo dulcedinis, sed modo albedinis. Jamvero quantitas dimensiva non per se terminat conversionem eucharisticam, sed est in sacramento concomitanter et veluti per accidens, quatenus nempe conjuncta est substantiæ corporis Christi : hujus ergo essendi modum divinitus induat necesse est.

Obj. 2.— Duæ quantitates dimensivæ se mutuo expellunt. Atqui remanet in sacramento quantitas dimensiva panis. Ergo.

Resp. *D. M :* Duæ quantitates dimensivæ, quarum utraque cum proprio essendi modo retineat *impenetrabilitatem*... *C ;* quarum una quidem hanc retineat, altera vero et proprio essendi modo et consequenter impenetrabilitate destituta sit, *N.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Duæ quantitates dimensivæ inæquales ita se habent ut una excedat aliam. Atqui corpus Christi (cui competit quantitas major hostiâ consecratâ) non excedit in sacramento speciem panis. Ergo ibi est sine quantitate.

Resp. *C. M.— D. m :...* et comparatur ad illam speciem per modum *commensurationis*, *N ;* per modum substantiæ *indivisibiliter* contentæ, *C.— Neg. conseq.*

ARTICULUS IV.

Utrum corpus Christi sit in hoc sacramento sicut in loco et mobiliter ;—de ratione ejus praesentiae et activitatis sacramentalis.

(Art. 5-6)

1° Sermonem de quantitate corporis Christi in sacramento ultro excipit determinanda habitudo ejusdem corporis ad *locum* et *motum;* quæ duo in quantitate dimensiva fundantur.— Ex hoc articulo occasio habebitur considerandi duplex problema a theologis agitatum, nempe in quo præcise consistat *praesentia sacramentalis*, et utrum in illo statu Christus valeat *sensationes* experiri.

2° *a*) *Suarez* aliique ejusdem scholæ, qui relationem corporis Christi ad species eucharisticas per modum puncti sese in continuo replicantis et veluti diffundentis imaginantur, non abnuunt ponere quod illud corpus sit in sacramento *localiter*, implens spatii vacuitatem, et localiter *per se* moveatur.— *b*) De propria vero *praesentiae sacramentalis* indole variæ sunt sententiæ, quas refert *Gonet* (Disp. V, a. 3) : breviter, pro more, quod menti *D. Thomae* conformius apparet, istincta conclusione aperire conabimur.— *c*) Tandem in tertia conclusione, loquendo de *activitate* qua Christus in Eucharistia polleat, dubium aliud a nonnullis propositum tangemus, num scil. de *potentia* saltem *absoluta* possit Christus eucharisticus sensus etiam externos exercere : quod *pluribus* possibile visum est.

Conclusio 1ª.— Corpus Christi non est in Eucharistia localiter seu circumscriptive, neque etiam definitive, sed modo singulari qui dicitur sacramentalis.

1ª *Pars* prob.— Illud corpus dicitur esse alicubi *localiter* seu *circumscriptive* quod in loco existit secundum modum quantitatis dimensivæ, in quantum scil. per dimensiones suæ quantitatis commensuratur dimensionibus loci eisque circumscribitur. Atqui corpus Christi non ita in sacramento existit :

ergo. *Min. decl. a*) *Primo* corpus illud non coextenditur partibus loci per dimensiones *propriæ* quantitatis ; siquidem hæc quantitas (ut dictum est) sequitur in sacramento modum substantiæ : substantia autem, qua talis, non est sub suis dimensionibus localiter et circumscriptive, sed indivisibiliter. *b*) Nec *secundo* corpus Christi coextenditur partibus loci per dimensiones *alienas ;* nam, quamvis succedat substantiæ panis quantum ad *subesse* dimensionibus remanentibus, non tamen eisdem veluti subjectum afficitur (cf. quæst. seq. a. 1). « Unde *nullo modo* corpus Christi est in hoc sacramento *localiter* » (art. 5).

2ª *Pars* negat corpus Christi esse in sacramento *definitive.*— 1° Namque definitive est in loco quod *ita ibi est ut non sit simul alibi ;* constat autem corpus Christi simul esse in cœlo sub propria specie et in multis altaribus sub specie sacramenti.— 2° Præterea, ideo aliquid est in loco definitive quasi eo definitum, quia locus commensuratur aut suæ *quantitati* aut *suæ virtuti ;* unde Angeli, quorum virtus est finita et limitata ad aliquem locum vel aliquod locatum, definitive sunt ubi agunt. Atqui corpus Christi, etsi vere sub speciebus adstans, non tamen id habet sive ex sua quantitate sive ex sua virtute, sed ex eo quod res ibi præexistens in ipsum conversa est (4 S. D. X, Q. I, a. 3, sol. 2) : quæ conversio multis in locis simul fieri potest. Ergo.— 3° At contra aliter dicendum foret in hypotesi *theologorum* docentium præsentiam sacramentalem accipiendam « ad eum modum quo præsentia Angeli existentis in suo loco localis est » (Suarez), aut corpus Christi intelligentium « quasi punctum indivisibile totum ac continue diffusum per totam specierum quantitatem » (Lessius) ; quæ doctrinæ thomisticæ e diametro opponuntur.

3ª *Pars* pronuntiat, præsentiæ eucharisticæ modum, prorsus singularem, dicendum esse *sacramentalem*, ut fert *Trid. Synodus* (Sess. XIII, cap. 1) et ex præmissis tanquam *corollarium* colligitur.— Notandum tamen cum *Ferrariensi* (in C. G. IV, 63) *:* « Respectus corporis Christi ad accidentia sub quibus continetur, non potest proprie quidem dici respectus de genere *ubi*, qui est locati ad locum, habet tamen (ut dicitur 4 S. D. X, Q. I, a. 3 ad 1) aliquam ejus similitudinem, in quantum esse in loco est esse in aliquo separato extra substantiam suam, quod non est causa ejus ; habet etiam et similitudinem respectus de genere *habitus*, in quantum illæ species dicuntur a sanctis quasi cooperimentum corporis Christi ».

Conclusio 2ª.— Præsentia sacramentalis describenda videtur « habitudo conjunctionis corporis Christi

AD SPECIES, LOGICA (PROBABILIUS) EX PARTE CHRISTI, REALIS VERO EX PARTE SPECIERUM, RESULTANS EX SUBROGATIONE CORPORIS CHRISTI IN LOCUM SUBSTANTIÆ PANIS ET VINI SUB SPECIEBUS CONTINENTIBUS ».— Descriptio hæc, quam confitemur non omnium theologorum menti consonare (vid. Gonet, *l. cit.*), declarari potius quam probari debet.

1° Præsentia sacramentalis dicitur *habitudo conjunctionis* corporis Christi ad species, ut sic intelligatur veluti in suo exercitio seu *in actu secundo* quo relatio propinquitatis et præsentiæ exercetur.— Hæc autem relatio, etsi *realis* sit ex parte specierum realiter immutatarum, tamen (probabilius) asseritur *logica* tantum[1] ex parte corporis Christi secundum expressam *D. Thomae* sententiam (4 S. D. XI, Q. I, a. 3 ad 3), ubi ait : « Erit ista relatio... secundum rem quidem in ipso pane qui mutatur, non autem in corpore Christi vero, nisi secundum rationem, quia ipsum immutatum manet ». Quod *S. Doctor* amplius confirmat exemplo relationis inter Deum et creaturam : « Desinit, inquit (III, Q. LXXVI, a. 6 ad 3), esse corpus Christi sub speciebus, non quia ab eis dependeat, sed quia tollitur habitudo corporis Christi ad illas species, per quem modum Deus desinit esse Dominus creaturæ desinentis ».

2° Igitur si petas quodnam sit hujus relationis fundamentum quo præsentia *in actu primo* constituatur, respondent quidem *plures* esse modum quemdam sive substantialem sive accidentalem corpori Christi superadditum. Ex quo fieret quod pro multitudine fere innumerabili præsentiarum sacramentalium esset corpus Christi, numero idem in cœlo et in altari, pene infinitis modis seu modalitatibus constellatum. — Non hunc esse *Angelici* nostri de præsentia sacramentali conceptum, ex eo maxime deprehenditur quod disertis verbis negat (ipsique consentit cum veteribus scholasticis *Catech. Tridentinus*) corpus Christi in sacramento *ulli* subesse mutationi[2].— Dicendum ergo arbitramur hanc mirabilissimam conjunctionem (nulli alteri similem) inter species et corpus Christi esse *quasi* conjunctionem continentis et contenti, fundatam in sola *immutatione accidentium* panis et vini quæ, facta conversione, continere incipiunt intra terminos suæ quantitatis substantiam corporis Christi in locum substantiæ panis et vini substitutam.

[1] — Hac in re, fatear, anceps hæret clarissimus *Cajetanus* (*Comm.* in Q. LXXV, a. 2), ubi proposito dubio respondet non facile quid verum sit pronuntiari posse, « quia ignotus est modus, quo corpus Christi continetur sub specie panis ».

[2] — 4 S. *l. cit.* sol. 1.

Conclusio 3ª.— CORPUS CHRISTI IN SACRAMENTO NON MOVETUR, SALTEM PER SE, MOTU LOCALI SEU STRICTE DICTO ; NEQUE PER SE MOVETUR EO MOTU COMMUNITER SUMPTO QUI AUT DESITIONEM AUT PASSIONEM ET ACTIONEM AB EXTRINSECO DEPENDENTEM IMPORTAT.

1ª *Pars* facile suadetur.— Etenim non movetur *per se* motu locali nisi id quod localiter existit ; Christus autem secundum esse sacramentale non habet rationem locati.— Verum *per accidens* dicitur moveri ad motum hostiæ, ex proportionali modo quo Angelus movetur moto corpore in quod influit (a. 6 ad 1 ; 4 S. D. X, Q. I, a. 3, sol. 4).

2ª *Pars* respicit *modum desitionis.*— Qua de re tenendum est Christum, quando desinit esse sub sacramento, nequaquam *per se* moveri mutatione suî ; quippe nec habet esse deficiens et mutabile, nec localiter a speciebus discedit. Sed ideo cessat ejus præsentia sacramentalis, quia species sacramenti, sub quibus continebatur, et quarum ratione præsentia illa habebatur, corrumpuntur ac esse desinunt.

3ª *Pars* additur circa *passionem* et *actionem* ab extrinseco dependentem.

1° Sane, cum corpus Christi, idem substantialiter ac in cœlo, sub sacramento existat quin tamen corpora circumstantia propriis dimensionibus contingat, quidquid pertinet ad Christum, *ut in se est*, potest ei attribui tum in propria specie, tum in sacramento, v. g. vivere, velle, intelligere; quæcumque vero ei conveniunt *per comparationem ad corpora exteriora*, et conditionem extensionis localis supponunt, nequeunt ei competere, prout est in sacramento (Q. LXXXI, a. 4). Atqui *passio* convenit corpori passo per respectum ad aliquid extrinsecum corporee agens ; *actio transiens* hominis in corpora extensionem localem subaudit ; item *actio sensuum* imprimis *externorum* dependet a medio materiali propterea que a locali dimensione. Ergo nec passio, nec actio corporea transiens, nec quoque sensatio possunt saltem naturaliter attribui Christo sub speciebus existenti.

2° Problema est inter theologos controversum, num etiam absolute et *per miraculum* repugnet quominus Christus in sacramento sensus suos exerceat.

a) Plures quidem, ut *Suarez*, *Gonet*, *Franzelin*, etc., impossibile non reputant quod, supplente Dei virtute per species sensibiles immediate ac miraculose oblatas, Christus in sacramento sensibus suis utatur, eisque v. g. fidelium preces audiat, cultus manifestationes conspiciat, fumigationem thuris odoretur, etc. Ratio est (aiunt), quia ex una parte extensio localis non videtur esse de essentia sensationis ; ex

altera parte, nisi id admitteretur, corpus Christi sacramentale quasi iners quiddam et insensibile se haberet.— Alii vero, ut *Habert*, *Billot*, etc., absolute negant Christum in sacramento posse sensibiliter audire, videre, etc.

b) Tria adnotabimus : — *Primo*, certissimum est Christum altiori cognitionis modo quam sensibus, scil. scientiâ *beata* et per se *infusa* quæ ejus animæ competit (cf. de *Incarnatione*, Disp. III, QQ. III-IV) quæque nequaquam per statum sacramentalem impeditur, perfectissime assequi cuncta ea quæ nostram totiusque Ecclesiæ conditionem attinent.— *Secundo*, ut recte cum *Serra* observat *Gonet* (Disp. V, art. 4), cum probabile sit Christum e cœlo oculo corporis videre omnia quæ sunt et aguntur in terra, asserere etiam debemus hanc visionem *per concomitantiam* eidem in sacramento altaris existenti convenire et hoc sub respectu Christum e sacramento omnia illa videre.— *Tertio* nihilominus, si spectetur Christus præcise *quatenus* est in sacramento, sic (salvo meliori judicio) probabilius nobis videtur quod nequeat etiam miraculose sensuum suorum munera exercere : siquidem species sensibiles, etsi *quodammodo* in se spirituales (I, Q. LXXVIII, a. 3), tamen non exuunt nec exuere possunt *conditiones materiales*[1] quas profecto ipsa habitudo ad objectum materiale sentiendum postulat. Porro conditiones materiales *formaliter* sumptæ, seu secundum propriam essendi rationem quam sensitivitas in actu requirit, componi non possunt cum statu sacramentali in quo corpus Christi non jam quantitatis et materiæ, sed substantiæ modo vestitum reperitur. Nec istiusmodi insensibilitatis status in eo repugnat qui, se humilians, nobiscum conversari voluit sub specie *cibi* et *victimae*.

Solv. obj. (cont. 1[am] concl.).— Obj. 1.— Quod replet locum, localiter est in ipso. Atqui corpus Christi replet locum specierum, quippe qui vacuus non est. Ergo.

Resp. *D. M :* Quod *proprie* replet locum... *C ; improprie* tantum, *N.*— *C. d. m :* corpus Christi replet locum specierum *proprie*, *N ; improprie*, ratione conjunctionis cum speciebus quæ vere illum replent sive naturaliter sive saltem miraculose, *C.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— In sacramento est corpus Christi cum quantitate cæterisque accidentibus. Atqui inter hæc connumeratur accidens *ubi* seu esse localiter. Ergo.

[1] — « Sensus recipit species sine materia, sed tamen cum conditionibus materialibus » (*S. Thom.* Qq. Dpp., de Ver. Q. II, a. 2.)

Resp. *D. M* :... cum quantitate et cæteris accidentibus *intrinsecis*, *C* ; etiam cum accidentibus *extrinsecis* seu alicui extrinseco connexis, *N*.— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Id est definitive in loco quod ita in eo est ut non sit alibi. Atqui corpus Christi ita est in una parte altaris ut non sit in alia. Ergo.

Resp. *D. M* :... quatenus loco illi affigatur *ratione suî*, *C* ; *ratione conversionis alterius* in ipsum quæ simul multis in locis fieri potest, *N*.— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS V.

De visibilitate corporis Christi, prout est in sacramento.

(Art. 7-8)

Hactenus egimus de statu Christi sacramentali secundum esse ontologicum ; nunc de eodem secundum *esse cognitionis* agendum superest.— Cognitio autem alia est proprie *visiva* per oculum corporeum, alia *intellectiva* quæ per similitudinem visio denominatur : utraque expendi debet.— Præterea corpus Christi considerari potest vel sub *specie* sacramenti, vel secundum *apparitiones miraculosas* quæ fiunt in sacramento ; rursus sub specie sacramenti, vel absolute et *materialiter*, vel præcise et *formaliter* secundum *essendi modum* sacramentalem.— Cuncta hæc materiam trium conclusionum suppeditabunt.

Conclusio 1ª.— Etsi Christi corpus in sacramento existens quodammodo videatur ab oculo proprio, a nullo tamen oculo corporeo etiam glorificato videri potest prout est sub sacramento, nec probabilius de potentia Dei absoluta.

1ª *Pars* versatur circa Christi corpus *quod* existit in sacramento, *non* tamen *prout* est in illo, et expressis verbis traditur a *D. Thoma* (art. 7 ad 2) : « Oculus corporalis Christi videt seipsum sub sacramento existentem ».— *Ratio* a S. Doctore ibidem indigitatur, « quia etiam ipse oculus Christi est sub hoc sacramento ; » videlicet, ut explicat *Joan. a S. Thoma* (in h. 1.), oculus Christi existens in sacramento videt seipsum ibi præsentem *materialiter* et specificative, quatenus nempe oculus in cœlo videns corpus dominicum una cum illo corpore reperitur immutatus sub speciebus eucharisticis,[1] non tamen

[1] — Cajetanus idem exponit secundum visibile *per accidens* ; nimirum Christus dicitur corporali oculo videre seipsum sub sacramento, quia sic eipsum in cœlo videt ut statim intellectu videat suum essendi modum in sacramento.

formaliter et reduplicative, seu secundum quod corpus Christi afficitur modo sacramentali, ut patet ex verbis subjunctis : « Non tamen potest videre ipsum modum essendi quo est sub sacramento ».

2ª *Pars* evincitur duplici ex ratione.— 1° Ex *conditione medii* visionis. Nulla visio haberi potest nisi corpus visibile per sua accidentia et contactum quemdam corporeum immutet medium ambiens quo imago sensibilis ad nervum opticum transmittatur, in subjecto imprimenda. Atqui accidentia corporis Christi ita sunt in sacramento, mediante substantia, ut nec ad species sacramentales nec ad corpora circumstantia immediatum respectum habeant : ergo.— 2° Ex *defectu objecti visibilis*. Corpus Christi, ut sæpe dictum est, in sacramento existit per modum substantiæ, cui et ipsa accidentia conformantur. Atqui substantia, in quantum hujusmodi, neque oculo corporali, neque ulli sensui externo vel interno subjacet, sed soli intellectui cujus objectum directum est rerum quidditas : ergo.

3ª *Pars* subjicitur contra plures theologos, *Scotum*, *Vasquez*, *Gonet*, *Billuart*, etc., qui tenent absoluta Dei potentia elevari oculum posse ad videndum corpus Christi *prout* est sub sacramento ; quod quidem privilegium *de facto* a plerisque conceditur oculis ipsius Christi, a nonnullis vero etiam oculis B. Mariæ Virginis.— Contradicunt tamen *Capreolus*, *Suarez*, *Joan. a S. Thoma*, *Billot*, aliique[1]; quibus assentiendum ducimus.

1° Revera, ni fallimur, *S. Thomas* in art. septimo ita expresse lucideque loquitur ut hypothesim de potentia absoluta abjicere prorsus videatur ; ait enim sine restrictione : « *A nullo* oculo corporali corpus Christi potest videri, *prout* est in hoc sacramento » ; et, interjecta probatione : « Ideo, proprie loquendo, corpus Christi secundum modum essendi quem habet in hoc sacramento, neque sensu, neque imaginatione *perceptibile* est, sed *solo* intellectu ».— Objiciunt quidem verba S. Doctoris (4 S. D. X, Q. I, a. 4 ad 1), ubi non infitiatur corpus Christi in sacramento « forte per miraculum » videri posse ; sed, ut patet, *dubitative* tantum et fortassis de miraculosa *apparitione* id profertur, cui sane præferenda est sententia ponderosior ac categorica *Summae theologicae*.

2° Summa *ratio*, ob quam S. Thomas (art. 7) negat corpus Christi sacramentale attingi posse ab oculo etiam glorificato,

[1] — Inter eos esse videtur *Cajetanus* (in h. art.).

est, quia corpus illud existit in sacramento *per modum substantiae*. Jamvero, ut perspicienti cuique apparet, quod reducitur ad modum substantiæ eo ipso egreditur *omnem* sphæram visibilitatis corporeæ, ut in sphæram solius intelligibilitatis transvehatur.— Unde falsum videtur quod dicunt, corpus Christi sacramentale contineri intra latitudinem *extensivam* objecti ocularis : cum sensibile *proprium* sit quodammodo fundatum in sensibili *communi* sicut qualitates in quantitate, unum sine altero per sensum attingi tam impossibile opinamur quam impossibile sit qualitates etiam divinitus sustentari sine quantitate. Porro sensibile commune, ut magnitudo, locus, situs, etc., essentialiter involvunt non solum quantitatem, sed et *modum* quantitativum secundum extensionem localem. Ergo.

Conclusio 2ª.— CORPUS CHRISTI SECUNDUM ESSENDI MODUM SACRAMENTALEM PERCEPTIBILE QUIDEM EST INTELLECTU CUM DIVINO TUM BEATO SIVE ANGELI SIVE HOMINIS ; NEQUIT TAMEN NATURALITER AB ULLO INTELLECTU CREATO ATTINGI, SED IN TERRIS OBJECTUM FIDEI EST.

1ª *Pars* prob.— Quæ sunt penitus supernaturalia, perceptibilia sunt intellectu *divino* cui secundum se veluti *connaturaliter* patent, attingi autem possunt ab intellectu *beato* sive Angeli sive hominis per *participatam* (non essentialem) visionem, secundum quod in divina essentia relucent. Atqui modus essendi quo Christus existit in sacramento est de genere supernaturalium : ergo.— Ubi cum *Cajetano.* (in h. art.) notare expedit, scientiam mysteriorum quæ a Deo peracta sunt dupliciter spectari posse respectu beatitudinis, vel secundum rationem *necessitatis*, vel secundum rationem *divinae bonitatis.* Sub primo quidem respectu, scientia illa ad beatitudinem non requiritur ; verum de facto divina largitas actum beatificum extendit ad multa quæ non sunt in beatis cognitu necessaria. Inter quæ arbitramur esse mysterium *Incarnationis* et *Eucharistiae*, propterea quod difficillima sunt inter omnia creata credenda ; unde fit ut fideles eorum visionem vehementius cupiant et, pro vehementia desiderii, congruentius illam obtineant.

2ª *Pars* uno verbo expeditur : — neque enim intellectus *hominis*, neque intellectus *angelicus* secundum vim *naturalem* sufficit ad capessenda ea quæ simpliciter sunt supernaturalia.

3ª *Pars* similiter paucis absolvitur : — quippe, remota visione beatifica quæ patriæ privilegium est, non remanet in via intellectui creato aliud medium cognoscendi mysteria

quam *fides*.— Unde ipsi *daemones* eo pacto tantum, scil. obscura fidei notitiâ, Christum in sacramento conspiciunt ; cui fidei non voluntarie assentiuntur, sed evidentia signorum convicti.

Conclusio 3.— APPARITIONES MIRACULOSÆ QUÆ EVENIUNT IN EUCH., SIVE SUBJECTIVE TANTUM, SIVE OBJECTIVE, NON PROHIBENT QUOMINUS CHRISTUS PRÆSENS MANEAT SUB SACRAMENTO. —Agitur de apparitionibus quæ contigisse narrantur, puta carnis, sanguinis, vel pueri, quæque dupliciter evenire possunt : vel *subjective* tantum seu ex parte videntium quorum oculi secundum illas species immutentur, nulla facta immutatione ex parte sacramenti ; vel etiam *objective*, quatenus nempe aliquid reale ex parte objecti per modificationem congruam quorumdam accidentium, puta figuræ et coloris, illis apparitionibus subsit.

Prima hypothesis verificari censetur, quando phænomenon non afficit nisi unius spectantis oculos, præsertim inconstanter; *secunda* vero haberi existimatur, quando phænomenon omnium oculos percellit, et non ad horam tantum, sed permanenter. Jamvero utrumque apparitionum genus, nedum deceptivum sit, ad *instruendum* divinitus ordinatur, scil. ad manifestandam realem Christi præsentiam sub sacramento. Unde, manentibus in uno alterove casu dimensionibus panis et vini, consequens est vere Christi corpus sub illis dimensionibus, tempore apparitionum, manere.— *Nonnulli* equidem apparitionem *objectivam* accipiendam rati sunt de propria specie corporis Christi. At opinionem hanc impugnat *Auctor* duplici de causa : *a*) *primo*, quia corpus Christi non potest in propria specie videri nisi in uno loco ; nec credibile est quod locum istum, scil. cœlum, in præfatis apparitionibus deserat. *b*) *Secundo*, quia quod tunc apparet, diu perseverat ; imo legitur quandoque fuisse inclusum et episcoporum consilio in pyxide reservatum : id autem de corpore Christi secundum propriam speciem agili et glorioso nec dici nec cogitari congruit.

QUÆSTIO QUARTA

DE ACCIDENTIBUS REMANENTIBUS IN SACRAMENTO EUCHARISTIÆ

Quoniam in Eucharistia, facta consecratione, accidentia panis et vini (ut alias ostendimus, Q. II, a. 5) realiter supersunt, pronum est ut jam, secundum doctrinæ nexum, inqui-

ramus de illorum accidentium statu sacramentali seu de modo quo in sacramento se habent.— Hic autem modus considerari potest vel quoad *esse* (art. 1-2), vel quoad *agere* et *pati* (art. 3-5) : quoad esse quidem tum *absolute* (art. 1), tum *relative* (art. 2) ; quod agere vero et pati, primo *communiter* (art. 3), dein *specialiter* tum quoad vim passivam generationis et nutritionis (art. 4), tum quoad divisionem et commixtionem (art. 5).— Ad hos quinque articulos, logico ordine complexos, quæstionem *D. Thomae* reducendam duximus.

ARTICULUS I.

Utrum accidentia remaneant sine subjecto in hoc sacramento.

1° Impræsentiarum accidentia sumenda sunt *absolute* seu confusim et collective ; — de quibus duo sub uno titulo determinanda intenduntur, nempe num *de facto* maneant sine subjecto, et *quomodo* id suaderi possit.

2° *Auctor* in corpore articuli varias refert *veterum* sententias, quibus subjectum accidentibus tribuebatur, quasque jure merito explodit.[1] — Hæretici, ut *Wicleffitæ* et *Calvinistæ*, cum aliis argumentis, tum quoque eo inducti sunt ad negandam præsentiam realem quod impossibile æstimarent accidentia remanere sine subjecto.

3° Quædam de *notione accidentis* (ex resp. ad 2) præfari juverit.— Quemadmodum *substantia* recte definitur « res seu quidditas *cui competit* habere esse in se et non in alio tanquam subjecto », ita *accidens* e contrario describendum est « res *cui competit* inhærere alteri tanquam subjecto ; » ubi perspicias velim secundum has definitiones poni in essentia sive substantiæ sive accidentis non *actualem* essendi modum sive in se sive in alio, sed *aptitudinem* connaturalem ad illum. Unde, sicuti in mysterio Incarnationis divinitus factum est ut substantia seu Christi humanitas, reapse non in se, sed in Verbo subsisteret, simili Dei consilio et prodigio factum esse in Eucharistiæ mysterio ut accidentia sine substantia tanquam subjecto actualis inhærentiæ existerent, jamjam ostensuri sumus.

[1] — Recens scriptor, P. Leray de Eudistarum instituto, ex novo systemate scientifico novam quamdam circa modum essendi Christi in Eucharistia invexit explicationem, juxta quam moleculæ, ut ait, corporis Domini tenentes locum, post consecrationem, molecularum constituentium panis, species sacramentales *sustentarent*. Hanc explicationem, cæterasque ejusdem systematis absonas consequentias, docte expendit et, prouti par est, rejicit P. Lehu in period. *Revue thomiste* (mars, mai, juillet 1901).

Conclusio.— ACCIDENTIA IN SACRAMENTO EUCHARISTIÆ SINE SUBJECTO MANERE, ET SOLIDÆ THEOLOGIÆ CONSONUM EST, ET SANÆ PHILOSOPHIÆ NULLATENUS CONTRARIUM.

1ª *Pars* theseos auctoritate comprobatur, rationeque confirmatur :

1° *Auctoritate* comprobatur : — Siquidem *Ecclesiae sensus* manifeste continetur tum damnatione lata a *Conc. Constant.* hujus prop. Wicleffi : « Accidentia panis non manent *sine subjecto* », tum verbis *Conc. Trid.* (Sess. XIII, can. 2) quod, facta conversione eucharistica, maneant *duntaxat species* panis et vini, tum quoque lect. 5 off. in *Festo Corp. Christi*, ubi asseritur: « Accidentia *sine subjecto* in eodem subsistunt ».— Accedit suffragium *Catech. Trid.* docentis (de Euch. n. 44) « panis et vini species in hoc sacramento *sine aliqua re subjecta* constare »; cui sententiæ *theologi* omnium scholarum communi voce consentiunt.

2° *Ratione* confirmatur : — Accidentia sacramentalia vel subjectantur in preseverante panis et vini substantia aut forma, vel in substantia corporis et sanguinis Christi, vel in aëre circumstante, vel demum manent sine subjecto. Atqui tres primæ hypotheses falsæ sunt : ergo. *Maj. per se* patet ; *min.* declaranda est:— Et *a*) *primo* præterimus primam hypothesim, quia alibi fuit rejecta.— *b*) *Secundo* asserimus accidentia panis et vini non posse subjectari in substantia corporis et sanguinis Christi duplici de causa : tum quia substantia humani corporis nequaquam potest accidentibus propriis diversæ substantiæ affici ; tum quia repugnat corpus Christi gloriosum et impassibile similem alterationem suscipere.— *c*) *Tertio* pariter approbari nequit hypothesis de aëre : nam aër non est hujusmodi accidentium susceptivus ; nec eumdem locum occupat, cum potius specierum motu depellatur ; nec accidentia a suo subjecto individuata transire possunt in aliud subjectum ; nec aër simul habere potest accidentia propria et aliena ; nec demum ullum miraculum circa hoc per verba consecrationis significatur.— *d*) *Quarto* itaque reliquum est ut accidentia eucharistica manere dicantur sine subjecto.

2ª *Pars* versatur circa philosophicam hujus rei *explicationem*[1].

Sane, ita accidentia a substantia distinguuntur ut per eam quasi per propriam seu proximam causam in esse sibi debito

[1] — Huic enodandæ difficultati se subducunt qui, accidentium loco, non admittunt in sacramento nisi *apparentias*. At in mysteriis pertractandis, ea, quam quærunt, difficilia explicandi facilitas ægre a cordato theologo ceu tutum veritatis criterium judicabitur.

conserventur. Atqui vis illa sustentativa accidentium in esse potest per infinitam Dei virtutem efficienter suppleri : ergo. *Min. decl. a*) *Primo* effectus magis dependent a causa prima quam a causa secunda, quippe causa prima vehementius, profundius, universalius influit ; ex quo fit quod plures effectus sine causis naturalibus eorumdem effectuum producat Deus. Jamvero accidentium, quæ proxime a substantia dependent, causa prima Deus est, a quo et accidentia et substantiæ cum suis viribus in esse prodiere. Ergo non repugnat quod Dei virtus, in sustentandis accidentibus, vim suppleat substantiæ. *b*) *Secundo* eo manifestius id apparet quod (juxta doctrinam de distinctione reali inter essentiam et existentiam) esse seu inesse accidentis non est de ejus essentia. Proinde accidens, ut sic, indiget ad existendum conjungi substantiæ, non quasi causæ intrinsecæ, sed veluti fundamento sibi extrinseco quo naturaliter quidem seu secundum innatum ordinem[1] nititur, sed cui alia vis substitui potest, ea analoga ratione qua divina virtus domum e fundamentis sublevatam valet sustentare.

Solv. obj. — Obj. 1.— Nihil inordinatum esse debet in sacramento veritatis. Atqui contra rerum ordinem a Deo statutum est, quod accidentia existant sine subjecto. Ergo.

Resp. *D. M* :. . . scil. nihil contrarium ordini ad quem pertinet sacramentum illud, *C ;* non potest in eo communis *ordo naturae* immutari secundum specialem et altiorem *ordinem gratiae*, *N.*— *C. d. m* :. . . contra ordinem naturæ, *C ;* gratiæ, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Non potest accidens converti in substantiam. Atqui proprium substantiæ est ut subsistat non in subjecto. Ergo.

Resp. *D. M :* Non potest *essentia* accidentis converti in essentiam substantiæ, *C ;* non potest accidens *participare* divinitus aliquam proprietatem substantiæ, *N.*— *D. m :* Proprium est substantiæ ut *ex vi suae essentiae* subsistat non in subjecto, *C ;* non potest hæc proprietas participari in accidente, non ex vi essentiæ accidentis sed *ex divina cirtute*, *S. d :* si tolli deberet *aptitudo* accidentis ad subjectum, *C ;*

[1] — Eorum quæ dicunt transcendentalem ordinem ad alterum quædam esse non possunt nec *naturaliter* nec *supernaturaliter* quin ille ordo actu expleatur, v. g. figura nequit existere sine subjecto figurato ; quædam esse possunt etiam *naturaliter* sine illo impleto ordine, v. g. anima rationalis, etsi ordinata ad corpus, ex se tamen subsistit separata a corpore ; quædam tandem esse non possunt naturaliter quin ordo ille impleatur, bene tamen *supernaturaliter*, et hujusmodi est accidens fundamentale, scil. quantitas (ap. Billot, th. XLVI).

si tollatur tantum *actualis inhaerentia*, *N.*— *Neg. conseq.*[1]

Obj. 3.— Subjectum requiritur ad individuationem accidentium. Atqui accidentia sacramentalia, quia sensibilia, ideo individua sunt. Ergo.

Resp. *D. M* :... antecedenter seu in *fieri*, *Trans* ; consequenter seu in *facto esse*, *N.*— *D. m* :... nempe habent individuationem quam acquisierunt in substantia panis et vini, *C* ; non possunt divinitus illam retinere, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 4.— Accidentia per consecrationem sacramentalem non adipiscuntur aliquam compositionem. Atqui ante consecrationem non erant composita ex *quo* est et *quod* est. Ergo nec post consecrationem sunt id *quod* subsistit, sine ullo subjecto.

Resp. *D. M* :... directe, *C* ; indirecte, *N.*— *C. d. m* :... neque compositionem hujusmodi *directe* consequuntur per consecrationem, *C* ; non eam obtinent *indirecte*, quatenus incipiunt habere esse citra subjectum inhærentiæ, *N.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

Utrum in hoc sacramento quantitas dimensiva panis vel vini sit aliorum accidentium subjectum.

Considerandum subit de esse sacramentali accidentium *relative*, seu secundum ordinem quem habent ad invicem.— Quo in proposito duo rursus elucidanda veniunt : *utrum* scil. *quantitati* competat esse subjectum aliorum accidentium, et *in quo* consistat vis subjectiva per Dei virtutem ei tribuenda.— Hoc enim ultimum controversiæ inter theologos subest, quatenus alii, de quibus *Scotus*, *Soto* *Valentia*, etc., opinantur quantitatem manere sine subjecto per solam conservationem divinam ; alii vero, ut *Cajetanus*, *Suarez*, *Gonet*, etc., tenent ultra conservationem addi novam Dei actionem qua accidentibus, substantiæ ad instar, confertur novus essendi modus (quem tamen diverse explicant).

Conclusio 1ª.— Accidentia alia quæ remanent in sacramento Eucharistiæ subjectantur in quantitate dimensiva.— Hæc est conclusio theologica.

[1] — « Esse in subjecto non est definitio accidentis, sed e contrario res *cui debetur* esse in alio ; et hoc nunquam separatur ab aliquo accidente nec separari potest, quia illi rei quæ est accidens, *secundum rationem suae quidditatis* semper debetur esse in alio. Sed potest esse quod illud quod debetur alicui secundum rationem suæ quidditatis, ei *virtute divina* agente non conveniat ; et sic patet quod facere accidens esse sine substantia non est separare definitionem a definito » (4 S. D. XII, Q. I, a. 1 ad 2).

Prob : — 1° ex *testimonio sensuum*. Sensus nostri non decipiuntur circa sensibilia propria et proportionata. Atqui in Eucharistia sensui apparet aliquid quantum esse affectum colore, sapore, aliisque accidentibus ; et per divisionem hujus quantitatis dividi qualitates de se indivisibiles. Ergo.

2° Ex *analogia inter materiam e' quantitatem*. Illud accidens censendum est in sacramento Euch. subjectum aliorum, quod magis appropinquat ad materiam seu primum subjectum non in alio. Atqui quantitas dimensiva magis appropinquat ad materiam quam alia accidentia ; quippe, cum duo sint principia essentialia substantiæ corporeæ, scil. materia et forma, quantitas respondet materiæ, dum qualitas (certe prior reliquis accidentibus) respondet formæ. Ergo[1].

3° Ex *mediatione naturali* quantitatis. Cum prima materiæ dispositio sit quantitas dimensiva, ad primum subjectum seu materiam (in qua et ipsa forma substantialis subjectatur) reliqua accidentia referuntur mediante quantitate. Atqui, subtracto subjecto, remanent accidentia secundum esse quod prius habebant. Ergo

4° Ex *vi individuante* quantitatis. Quia accidentia ex subjecto individuantur, quod ponitur aliquorum accidentium subjectum quamdam ex se individuationem habeat necesse est. Atqui id proprium, præ aliis accidentibus, sibi quantitas dimensiva vindicat : siquidem, quæ sunt unius speciei non multiplicantur nisi secundum individuum ; hæc autem individuorum multiplicatio proxime et formaliter (materia enim est radix individuationis) dependet ex divisione quantitatis. Unde quantitas dimensiva secundum se est *quoddam* individuationis principium[2].

Conclusio 2ª.— PROBABILIUS VIDETUR QUANTITATEM DIMENSIVAM IN EUCHARISTIA CONSEQUI, VICE SUBSTANTIÆ, NOVUM ESSENDI MODUM ; QUI QUALIS SIT, BREVITER DECLARATUR.— Dixi *probabilius ;* res est enim non omnino plana, et inter ipsos thomistas controversa.

1ª *Pars* ostend.

Et 1° asserto favet auctoritas *D. Thomae*, v. g. (h. art. ad 1) : « Accidenti *datur* divinitus ut *per se* sit », et (art. 5

[1] — 4 S. D. XII, Q. I, a. 1, sol. 3 ad 1.

[2] — Quæstioni « utrum Deus possit facere quod albedo aut aliqua qualitas corporalis sit sine quantitate », respondet *S. Thomas* (Quodl. VII, a. 10) negative : « Albedo, inquit, non individuatur nisi ex subjecto, et propter hoc non posset esse individua, nisi esset in aliquo subjecto, ad minus in quantitate ; sed quantitas habet unde individuetur etiam absque subjecto, et ideo potest per miraculum esse hæc quantitas sensibilis etiam absque subjecto ».

ad 3) : « Quantitas dimensiva panis et vini retinet naturam propriam et *accipit* miraculose *vim* et proprietatem substantiæ ».— 2° Ex *Cajetano* (in h. l.) sic arguere possumus : illi accidenti novus essendi modus seu nova perfectio accedere censetur, quod incipit quadantenus per se *subsistere*, recepta in se alia accidentia etiam *sustentare*, potentiam activam et passivam *per modum substantiae* exercere, vi *unius primi* miraculi, quo illa munera *veluti connaturalia* reddantur. Atqui quinque hæc affirmanda tum ex doctrina *D. Thomae* (passim h. q.) tum ex rei rationabilitate putamus. Ergo quantitas panis et vini novum essendi modum seu novam perfectionem in Eucharistia probabilius accipit.

2ª *Pars* profertur ad *declarandam* novam illam perfectionem.— Itaque æstimandum non est rem aliquam de novo a Deo creari, sed (ut monet *Cajet.* ibid.) res ipsa, quæ est quantitas cum suo esse seu sua existentia, ita divinitus confortatur ut ex suprema omnium substantiarum Causa sortiatur vim quamdam miraculosam, virtuti substantiali proportionalem, qua et subsistat ut *quod* (licet imperfecta subsistentiæ participatione), et sustentet accidentia quorum prius receptiva tantum erat, et absque novo miraculo expleat quidquid substantiæ conveniat.— Vis illa quantitatis perfectiva tum quoad naturam tum quoad esse, etsi in se accidentis rationem præseferens, *virtualiter* tamen et *reductive* dici poterit ad genus substantiæ pertinere.

Solv. obj. (cont. 1ªm concl.).— Obj. 1.— Subjectum accidentis non est accidens, sed materia cuilibet formæ ac determinationi subjacens. Atqui quantitas dimensiva etiam in statu sacramentali est accidens. Ergo.

Resp. *D. M :* Subjectum *receptivum* accidentis non est accidens, *N ;* subjectum *sustentativum . . . S. d :* ordinarie, *C ;* extraordinarie et secundum vim divinitus communicatam, *N.*— *C. d. m :* . . . est accidens nullo modo perfectum, *N ;* . . . cui nova perfectio accidit qua et per se sit et alia accidentia subjective sustentet, *C.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Illud accidens nequit esse aliorum accidentium subjectum, ex quo ista non individuantur. Atqui quantitas non est principium individuans aliorum accidentium, quippe quæ ex substantia præexistente individuata manent sicut et ipsa quantitas. Ergo.

Resp. *D. M :* . . . ex quo ista non individuantur nec mediate nec immediate, *C ;* ex quo non individuantur quidem mediate seu *originaliter*, sed tamen individuantur immediate seu *proxime*, *N.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Inter accidentia remanentia panis et vini sunt densitas et raritas. Atqui hæ qualitates, utpote involventes multum vel parum de materia sub dimensionibus, nequeunt fundari in quantitate præter materiam existente. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... naturaliter, *C* ; supernaturaliter, quatenus jam ex substantiæ principiis consecutæ divinitus conserventur seu conservetur *habitudo* quantitatis ad hoc ut sub iisdem dimensionibus contineatur major aut minor materia, *N.*— *Neg. conseq.*

Objectio hæc ortum ducit ex conceptu erroneo densitatis et raritatis ; quem conceptum sic emendat *S. Thomas* (4 S. D. XII, Q. I, a. 1, qu. 3 ad 6) : « Sicut subjectum quod ponitur in definitione aliorum accidentium, non est de essentia accidentis, ita etiam materia, quæ ponitur in definitione raritatis et densitatis, *non est de essentia* eorum : non enim est densitas materia multa existens sub parvis dimensionibus, sed *proprietas* quædam consequens ex hoc quod materia sic se habet. Unde talem proprietatem Deus potest facere, etiam si materia non esset ».

ARTICULUS III.

Utrum species quae remanent in hoc sacramento possint vel immutare aliquid vel immutari seu corrumpi.

(Q. LXXVII, aa. 3-4)

Proximum est ut de speciebus sacramentalibus dicamus quantum ad *agere* et *pati* ; et primum *in genere*.— Actio autem et passio vel immutatio activa et passiva sub utroque adspectu, scil. *accidentali* et *substantiali*, nostræ considerationi objiciuntur.

Conclusio 1ª.— Dubium non est quin accidentia panis et vini in Eucharistia immutare valeant corpora exteriora.

1° *Prob.* arg. *generali.*— Cum operatio sequatur esse, qualiter aliquid se habet ad esse, taliter etiam ad agere se habere existimandum est. Atqui ex præcedentibus compertum habemus, species sacramentales ex divina virtute id accipere ut perseverent in *esse* quod sibi, substantia panis et vini existente, competebat. Ergo consequens est eas similiter perseverare in suo *agere*, adeo ut (infert Auctor, a. 3) « omnem actionem » quam poterant prius exercere, etiam nunc perficere valeant.

2° *Conf.* et *evolv.* arg.[1]: — *a*) quoad mutationes *accidentales*. Experientia enim constat qualitates sensibiles accidentium sacramentalium, v. g. colorem, saporem, sub sensibus cadere eosque consequenter immutare ; quod quidem accidentia *ex se* præstare possunt.— *b*) Quoad mutationes *substantiales*. Nam immutatio quæ pertingit ad formam substantialem non fit immediate a substantiali agentis forma, sed mediantibus diversis qualitatibus activis et passivis veluti totidem illius formæ instrumentis. Porro hæc virtus instrumentalis, vi illius *miraculi* quo quantitati dimensivæ datur ut sine substantia subsistere queat, divinitus conservatur in speciebus sacramentalibus ; unde et agere possunt sine forma substantiali cuncta ea quæ ad speciem istius formæ pertinent (resp. ad 3).

Conclusio 2ª. — SPECIES SACRAMENTALES CORRUMPI POSSUNT, TUM PER SE TUM PER ACCIDENS, ET QUIDEM NATURALITER; QUANDONAM VERO HÆC CORRUPTIO INFERAT DESITIONEM PRÆSENTIÆ SACRAMENTALIS CHRISTI, CONSEQUENTER INDICATUR. — Quatuor partes distingue.

1ª *Pars* evincitur : — 1° ex eo quod *sensu* deprehenditur hostias consecratas putrefieri et corrumpi.— 2° Hac *ratione :* corruptio est motus de esse in non esse. Atqui esse primævum, in quo species sacramentales perseverant post consecrationem, poterat corrumpi, quum substantia panis et vini existeret. Ergo et corrumpi potest, etiam amotâ illa substantia.

2ª *Pars* addit, species illas corrumpi posse tum *per se* tum *per accidens*.— Sane accidentia dicuntur corrumpi *per se*, quando directe corruptione afficiuntur, utputa per alterationem coloris vel divisionem quantitatis ; dicuntur autem corrumpi *per accidens*, quando indirecte seu corrupto subjecto ipsa corrumpuntur, v. g. si lignum depictum incineretur. Atqui utroque modo species eucharisticæ corruptioni subjiciuntur : *per se* quidem, quatenus earum quantitas dimensiva affici potest divisione vel additione et potest substare alterationi qualitatum sibi inhærentium ; *per accidens* vero, quia licet non remaneat subjectum, remanet tamen esse quod habebant accidentia in subjecto secundum quamdam cum eo proportionem seu conformitatem : unde sicut poterat corrumpi sub prævia accidentium alteratione substantia panis et vini, ita nunc eadem de causa esse accidentium.

3ª *Pars* eruitur ex *Auctore* (a. 4 ad 3) : « Corruptio illa, inquit, specierum non est miraculosa, sed *naturalis ;* præ-

[1] — Cf. III, Q. LXXV, a. 6 ad 3.

supponit tamen miraculum quod est factum in consecratione, scil. quod illæ species sacramentales retineant esse sine subjecto quod prius habebant in subjecto, sicut et cæcus miraculose illuminatus naturaliter videt ».

4ª *Pars* decl.— « Cum corpus Christi et sanguis succedant in hoc sacramento substantiæ panis et vini, si fiat *talis immutatio ex parte accidentium quae non suffecisset ad corruptionem panis et vini*, propter talem immutationem *non desinit* corpus et sanguis Christi esse sub hoc sacramento, sive fiat immutatio ex parte qualitatis, puta cum modicum immutatur color aut sapor panis vel vini, sive ex parte quantitatis, sicut cum dividitur panis aut vinum in tales partes quod adhuc in eis possit salvari natura panis aut vini. Si vero fiat *tanta immutatio quod fuisset corrupta substantia panis aut vini*, *non remanet* corpus et sanguis Christi sub hoc sacramento, et hoc sive ex parte qualitatum, sicut cum ita immutatur color, et sapor, et aliæ qualitates panis et vini, quod nullo modo possint compati naturam panis aut vini, sive etiam ex parte quantitatis, puta si pulverizetur panis vel vinum in tam minutas partes dividatur ut jam non remaneant species panis vel vini » (art. 4).

ARTICULUS IV.

Utrum ex speciebus sacramentalibus possit aliquid generari vel aliquis nutriri.

(Art. 5-6)

Ex disputatis circa corruptibilitatem specierum sacramentalium sponte emergunt quæstiones *speciales* quas sub duobus articulis pertractandas claudemus : agetur in præs. art. de effectu substantiali corruptionis per modum *generationis* et *nutritionis*.— Qua in re commemoranda est magna *opinionum* diversitas : omissis enim *haereticis* tenentibus remanere in sacramento substantiam panis et vini ex qua planum apparet aliquid generari posse, *alii* has generationes ducunt ex aëre ambiente, *alii* ex substantia panis et vini redeunte, *alii* ex materia de novo creata, *alii* demum ex quantitate materiæ vicem supplene ; quod postremum dupliciter præsertim intelligunt, vel tquatenus novum compositum constet ex perseverante quantitate illa et nova forma substantiali (Henr. Gandavensis, Ægid. Rom., etc.), vel quatenus quantitas dimensiva convertatur in materiam pertinentem ad novum compositum (Capreolus, Cajet., Joan. a S. Th., etc.).— Duas conclusiones proferemus.

Conclusio 1ª.— CERTUM EST EX SPECIEBUS EUCHARISTICIS ALIQUID GENERARI POSSE ; DE QUA GENERATIONE, QUO PACTO FIAT, VERIOR SENTENTIA EST QUÆ PONIT QUANTITATEM CONVERTI DIVINITUS IN MATERIAM NOVI COMPOSITI.

1ª *Pars* est de *facto*, quod cuique consideranti se obvium præbet.— Nam 1° *sensu* deprehenditur ex speciebus sacramentalibus aliquid evenire, puta cineres, si comburantur ; pulveres, si conterantur ; aliaque, si putrefiant.— Præterea 2° *causalitatis nexum* inter desitionem specierum et novarum substantiarum præsentiam haberi, evincitur : *a*) tum quia, juxta philosophicum adagium, « corruptio unius est generatio alterius » ; *b*) tum quia præfatæ species non sic corrumpuntur ut omnino dispereant seu annihilentur, sed manifeste et juxta certum naturæ ordinem[1] aliquid sensibile eis succedit.

2ª *Pars* circa generationis *modum* difficultate non caret ; quam ut enodemus, sequemur cum *Auctore* eliminationis viam.

1° Reprobamus *haereticales* sententias quæ volunt vel ex corpore et sanguine Christi vel ex remanente substantia aut materia panis et vini genitas res fieri ; quandoquidem nec Christi corpus est corruptibile, nec substantia vel materia panis et vini in sacramento perseverat.

2° Pariter tanquam *falsas* rejicimus opiniones de generatione ex aëre ambiente vel ex substantia redeunte panis et vini.

a) *Non ex aëre* has generationes fieri, multipliciter suadetur : — *primo*, quia ex eo aliquid generatur quod prius alteratum et corruptum apparet. Porro nulla alteratio vel corruptio tunc in aëre circumstante ostenditur.— *Secundo*, quia consuetus naturæ ordo non habet ut ex aëre per tales alterationes talia, scil. putria vel cineres, prodeant.— *Tertio*, quia accidere potest hostias consecratas in magna quantitate comburi vel putrefieri ; quo in casu requireretur magna etiam aëris condensatio, quæ non sine sensibili ejus immutatione contingeret.— *Quarto* tandem, quia eadem generatio fieri deberet ex corporibus solidis circumstantibus ; quæ tamen integra manent post specierum sacramentalium corruptionem.

b) *Non ex redeunte substantia panis et vini* prædicta generatio ducenda est : — nam *primo* substantia panis et vini, utpote conversa in corpus et sanguinem Christi, redire proprie non potest nisi corpus et sanguis Christi vicissim in

[1] — Non enim apparent putria, quando species comburuntur, neque dantur cineres, quando eædem species putrefiunt.

panem et vinum convertatur : quod absurdum est.— *Secundo* si rediret substantia panis et vini, hoc fieret vel manentibus speciebus eucharisticis, vel speciebus jam cessantibus. Atqui neutrum esse potest : non 1um, quia quamdiu manerent species, deberet substantia panis cum corpore Christi sub illis coexistere ; non 2um, quia, speciebus jam corruptis, substantia panis et vini reperiretur sine propriis accidentibus.

3° Removemus opiniones *improbabiles* : — *a*) quarum quidem una est, in ultimo instanti corruptionis specierum *creari* materiam panis et vini in qua substantiæ generatæ consistant. Verum id minus rationabiliter dicitur : siquidem quidquid miraculose in hoc sacramento accidit, ex consecrationis miraculo derivandum est. Porro ex consecratione nullatenus sequitur materiam creari.— *b*) Altera opinio est, vi miraculi consecrationis quantitatem dimensivam obtinere ut *vicem materiae* suppleat non solum in statu eucharistico, sed etiam in composito ex speciebus generato. Hoc autem parum probabile est : difficile enim ac repugnanter concipitur substantia corporea, puta cinis, quæ non sit composita ex forma et materia vera, sed ex forma et quantitate locum materiæ tenente.

4° Igitur ad mentem *D. Thomae* (a. 5 ad 3 ; a. 6 ad 2) dicamus « quod per modum *conversionis* seu transitionis quantitas transit in materiam ; ita quod *virtute primi miraculi* datum est quantitati ut sit vicemateria durante sacramento, et in termino sacramenti, h. e. in primo non esse sacramenti, sit vere materia, quemadmodum in politicis princeps unico imperio constitueret aliquem proconsulem vivente consule ita quod in obitu consulis sit consul » (*Cajet.* in h. 1.). Unde agens naturale agit in vicemateriam disponendo illam, tanquam si esset materia, ad formam substantiæ generandæ ; in instanti autem generationis quantitas dimensiva, virtute Dei explentis consequentiam miraculi prius facti, transit in materiam dispositam pro forma illa perinde ac si præextitisset eadem materia.

Conclusio 2^{a}.— SPECIES SACRAMENTALES POSSUNT, ET VERE QUIDEM, NUTRIRE.

1^{a} *Pars*, nempe quod illæ species *nutrire* possint saltem aliqualiter, ostenditur :

Et 1° Apostolus, loquens de hoc sacramento, ait (1 Cor. XI, 21) : *Alius quidem esurit ; alius autem ebrius est ;* quæ *Glossa ordin.* (referente Auctore) explicat de ebrietate causata per usum inordinatum oblationum consecratarum.— Cum ta-

men alii plures Scripturæ interpretes[1] per hunc textum describi velint agapas quas Corinthii in celebrandis Eucharistiæ mysteriis, vel ante vel post sacramenti sumptionem, habere solerent, non est in eo argumento insistendum.

2° « Nihil aufert sitim vel famem, nisi quod nutrit. Sed sensibiliter reperiri potest quod ex potu illo sitis tollitur, præsertim si in multa quantitate sumatur. Ergo nutriunt species illæ »(4 S.D. XII, Q. I, a. 2, qu. 5).

2ª *Pars* edicit species eucharisticas *vere* nutrire.— *Quidam* enim veteres id negasse feruntur, quasi species istæ corpus reficerent duntaxat per quamdam sensuum immutationem (sicut homo confortatur ex odore cibi, et inebriatur ex odore vini).

1° Verum talis refectio valde levis est nec diu sufficiens ad virium restaurationem. Atqui homo, qui hostias et vinum consecratum in magna quantitate sumeret, diu ex eis sustentari posset : ergo.— 2° Cæterum conclusio hæc non est nisi præcedentis *consectarium :* constat enim apud omnes, ex hoc cibum nutrire quod convertitur in substantiam nutriti. Atqui species sacramentales certo converti possunt in corpus humanum, quemadmodum accepimus eas posse in substantiam ex eis genitam, puta in cineres, transire. Ergo dubium esse nequit quin vere nutriant.

ARTICULUS V.

Utrum in Eucharistia species panis patiantur fractionem, et species vini alterius liquoris commixtionem.

(Art. 7-8)

Sub hoc titulo determinandum proponitur quod pertinet ad specierum sacramentalium curruptionem per modum divisionis vel additionis ; — unde et *fractio* respectu specierum panis, et alieni liquoris *commixtio* respectu specierum vini in considerationem vocantur.

Conclusio 1ª.— Non apparens tantum, sed vera fit in Eucharistia fractio hostiæ ; cujus fractionis sola quantitas dimensiva est subjectum.

1ª *Pars* dirigitur contra eos (veteres ac modernos) qui sentiunt *apparentem* tantum esse in Eucharistia hostiæ fractionem.— Sane in hoc sacramento veritatis absonum pror-

[1] — Ita Cornely, *Comm.* in h. 1.

sus est ponere sensuum deceptionem circa ea quorum perceptio ad eos pertinet. Atqui fractio, per quam ex uno fiunt multa, inter sensibilia *communia* connumeratur ; de qua visus et tactus simul testantur. Ergo.

2ª *Pars* est de *subjecto* fractionis seu de eo *quod* frangitur.

Et 1° reapse in Euch. haberi *aliquod* subjectum fractionis hostiæ, satis comperitur ex sensuum testimonio quo constat aliquid quantum, prius unum existens, postea in multa esse partitum. Nec possibile est dari veram fractionem quin sit id quod frangatur : hoc enim contradictionem implicat.

2° Dicimus fractionem illam, sicut et alia accidentia, subjectari in *quantitate dimensiva* panis.— *a*) Non enim assignari potest, tanquam subjectum, substantia panis, quæ non manet ; nec etiam verum Christi corpus quod est impassibile necnon totum sub qualibet parte fractæ hostiæ (contra rationem ejus quod frangitur) ; quantitas vero dimensiva, sicut divina virtute retinet alias substantiæ corporeæ proprietates, ita et porositatem et frangibilitatem. Ergo.— *b*) Accedit *ratio convenientiæ :* quemadmodum enim species sacramentales sunt sacramentum corporis Christi veri, simili ratione fractio illarum specierum recte consideratur veluti sacramentum seu signum repræsentativum dominicæ passionis, qua verum Christi corpus affectum et confractum est.— *c*) Licet ergo de corpore Christi eucharistico dici possit quod *manducatur*, quatenus cum speciebus in corpus sumentis trajicitur et animam spiritualiter nutrit, tamen ei non competit frangi, dividi, masticari, sed hæc *proprie* solis speciebus in sacramento conveniunt (4 S. D. XII, Q. I, a. 3, qu. 1 ad 1).

Conclusio 2ª.— VINI CONSECRATI SPECIEBUS POTEST ALIQUIS LIQUOR MISCERI ; ITA UT TAMEN, PRO MIXTIONIS INDOLE, SANGUIS CHRISTI DESINAT ESSE PRÆSENS VEL IN TOTO VEL IN PARTE.— Dico in concl. *vini speciebus ;* nam nimis evidens est liquorem appositum nullo modo misceri substantiæ *sanguinis* Christi.

1ª *Pars* plane elucet non solum ex *sensibili* perceptione, sed etiam ex *rationali* illatione : — etenim (ut alibi dictum est) species in hoc sacramento remanentes virtute consecrationis adipiscuntur, una cum modo essendi substantiæ, ejus quoque modum agendi et patiendi, quatenus scil. agere et pati queant quidquid ageret vel pateretur substantia, si præsens ibi foret. Atqui, si esset ibi substantia vini, manifestum est quod liquor aliquis posset ei permisceri. Ergo.

2ª *Pars* Auctoris discursu sic declaratur (art. 8) : « Si permisceretur aliquis liquor in *tanta quantitate* quod posset diffundi per totum vinum, totum fieret permixtum ; quod autem est commixtum ex duobus, neutrum miscibilium est, sed utrumque transit in quoddam tertium ex his compositum : unde sequeretur quod vinum prius existens non remaneret. Sed si liquor permixtus esset *alterius speciei*, puta si permiscetur aqua, solveretur species vini, et esset liquor alterius speciei. Si autem esset *ejusdem speciei* liquor adjunctus, puta si vinum permisceretur vino, remaneret quidem eadem species, sed non remaneret idem numero vinum, quod declarat diversitas accidentium, puta si unum vinum esset album, et aliud rubrum. Si vero liquor adjunctus esset *tam parvae quantitatis* quod non posset perfundi per totum, non fieret totum vinum permixtum, sed aliqua pars ejus, quæ quidem non remaneret eadem numero propter permixtionem extraneæ materiæ ; remaneret tamen eadem specie, non solum si parvus liquor permixtus esset ejusdem speciei, sed etiam si esset alterius speciei, quia gutta aquæ multo vino permixta transit in speciem vini, ut dicitur in 1 de Gener. Manifestum est autem ex prædictis (a. 4 huj. quæst. et qu. 76 art. 5 ad 3) quod *corpus* et *sanguis Christi* remanent in hoc sacramento, quamdiu illæ species manent *eaedem numero ;* consecratur enim *hic* panis et *hoc* vinum. Unde si fiat tanta permixtio liquoris cujuscumque quod pertingat ad totum vinum consecratum et fiat permixtum, erit aliud numero, et non remanebit ibi sanguis Christi[1] : si vero fiat tam parva alicujus liquoris adjunctio quod non possit diffundi per totum, sed usque ad aliquam partem specierum, desinet esse sanguis Christi *sub illa parte* vini consecrati, remanebit tamen sub alia ».— In hoc casu, ut admonet idem *Angelicus* (*ibid.* ad 2), « erit una dimensio secundum continuitatem quantitatis, non tamen una secundum modum essendi, quia una pars ejus erit sine subjecto, alia erit in subjecto ; sicut si aliquod corpus constituatur ex duobus metallis, erit unum corpus secundum rationem quantitatis, non tamen unum secundum speciem materiæ ».

QUÆSTIO QUINTA

DE FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ

Hactenus materiam hujus sacramenti sive remotam, sive proximam, per quatuor ejusdem Disputationis quæstiones

[1] — Etsi multi recentiores contradicunt.

exploravimus ; nunc de *forma*.— Hæc autem considerari potest vel secundum suam *speciem* (art. 1-3), vel secundum suam *efficaciam* (art. 4) ; secundum speciem vero, aut *in genere* (art. 1), aut in *particulari*, scil. tum quoad consecrationem *panis* (art. 2), tum quoad consecrationem *vini* (art. 3). Liquet dicendorun ordo.

ARTICULUS I.

Utrum haec sit forma Eucharistiae: « Hoc est corpus meum « ; et « Hic est calix sanguinis mei ».

1° Sub hoc articulo forma Eucharistiæ suscipitur determinanda *in genere* tantum seu quoad ea quæ verba consecratoria tum panis tum vini communiter respiciunt.

2° *a*) Hac de re « *haeretici* (ait *Bellarm.* l. IV, c. 12) nihil adhuc certi statuere potuerunt, cum inter se valde dissentiant et in hoc solo conveniant, ut non integre admittant Ecclesiæ catholicæ sententiam ». Sane *Bucerus* verba quæcumque ab hoc sacramento rejicit ; *Calvinus* ea quidem admittit, sed per modum concionis, non ad elementum consecrandum ; *Kemnitius* vult ad essentiam formæ pertinere quidquid Dominus in institutione Eucharistiæ locutus est ;etc., etc.— *b*) *Graeci schismatici*, penes quorum liturgias specialis quædam invocatio Sp. Sancti post verba latinæ consecrationis subjici solet, huic precationi vel omnem vel præcipuam vim ad efficiendam transsubstantiationem adscribunt ; quod a latino ritu penitus alienum est[1].— *c*) E catholicis nonnulli, quibus dubitative adstipulatus est *Scotus*, censuerunt verba Christi ad consecrationem non sufficere nisi præmissis quæ in canone missæ præcedunt : « qui pridie » etc.— *d*) Tandem *Amb. Catharinus* (cui forte præiverat Innocentius III, tunc nondum pontifex) docuit Christum in ultima cœna, non verbis, sed arcana benedictione consecrasse ; licet postea formam, qua nunc utimur, adhibendam præscripserit : quam in sententiam nonnulli moderni concesserunt. Ea tamen, ut mox patebit, merito a theologis communiter reprobatur.

Conclusio 1ª.— Legitima forma sacramenti Eucharistiæ consistit in verbis dominicis « Hoc est corpus

[1] — Hanc diversitatem præter alia multa, Anthiminus VII, patriarcha Cptanus (resp. ad Leonem XIII, 1896), Latinis exprobrat, quasi isti veterem consuetudinem immutaverint.

MEUM » ET « Hic EST CALIX SANGUINIS MEI .»— Id perspicue continetur in *Eugenii IV* decreto pro Armenis : « Forma hujus sacramenti sunt *verba Salvatoris*, quibus hoc conficit sacramentum : sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum ». Cf. *Conc. Trid.* Sess. XIII, cap. 1, et Litt. Apost. *Pii VII* ad patr. antioch. Græc. Melchit. (1822).

1° Revera suffragatur *usus Christi* (quidquid nonnulli senserint).— Nam *a*) *S. Scriptores* (Matth. XXVI ; Marc. XIV ; Luc. XXII) nihil referunt a Christo factum vel dictum ad suam præsentiam sacramentalem significandam et efficiendam præter verba *Hoc est* etc. *b*) Oportebat autem Christum in instituenda Eucharistia ritum formæ adhibere, quippe « quamvis posset conficere sine verbo, debuit tamen conficere verbum dicendo, ut *apostolis formam traderet*, quia Dominus non tantum ibi potentiam ostendebat, sed etiam discipulos informabat » (S. Bonav. 4, D. VIII, p. I, a. 2, q. 3). *c*) Cum itaque totam suam actionem imitandam præceperit per verba *Hoc facite* etc., sacerdotesque nunc verbis evangelicis consecrent, recte infertur iisdem Christum usum fuisse. *d*) Ex quo etiam patet (contra schismaticos) non requiri ad opus transsubstantiationis sequentem invocationem quam ponunt ; secus enim verba « hoc *est* corpus meum « et « hic *est* sanguis meus » non essent vera.

2° Eadem veritas *traditione* confirmatur.— Sic loquitur *Tertullianus* (cont. Marcion. l. IV, c. 40) : « Acceptum panem et distributum discipulis corpus illum suum fecit, *hoc est corpus meum* dicendo ». Item *S. Ambrosius* (l. de Myst. c. 9, n. 54) : « Ipse clamat Dominus Jesus : *hoc est corpus meum.* Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur ». Et *S. Chrysostomus* (De prodit. Jud. hom. I, 6), comparans institutionem Euch. cum institutione humani generis vi vocis « crescite et multiplicamini » jugiter propagati, de alia Dei voce « hoc est corpus meum » inquit quod « semel prolata in Ecclesiis ad unamquamque mensam, ab illo ad hodiernum usque tempus et usque ad adventum ejus, sacrificium perfectum efficit ». Cf. Auctor lib. de Sacram. (inter opp. S. Ambros.), etc., etc.

3° *Rationis* argumentum sic construimus : — Forma propria alicujus sacramenti ea esse debet quæ esse ejusdem secundum propriam et distinctivam rationem significet. Atqui verba evangelica, de quibus disputamus, eaque sola, hoc modo se habent ad sacramentum Eucharistiæ : ergo. *Min. evolv.*— Sacramentum Euch. ab aliis sacramentis differt in duobus : *primo*, quia perficitur in consecratione materiæ, dum

alia sacramenta perficiuntur in usu materiæ consecratæ. *Secundo*, quia minister Euch. minus habet ex se agendum quam in aliis sacramentis : in his enim, materiâ duntaxat per quamdam benedictionem prius consecratâ, minister, ceu instrumentum animatum, huic materiæ, veluti instrumento inanimato, applicat spiritualem virtutem causæ principalis per *actum* exteriorem[1] distinctum a prolatione formæ ; at in Eucharistia consecratio materiæ fit secundum miraculosam substantiæ conversionem quæ a solo Deo perfici potest, ita ut ministro non relinquatur nisi forma proferenda. Jamvero verba, quibus Eucharistiæ formam constare dicimus, utramque differentiam continent : nam *primo*, dum formæ aliorum sacramentorum important usum materiæ, puta baptizationem vel consignationem, forma « hoc est corpus meum » vel « hic est sanguis meus » importat solam consecrationem materiæ quæ in transsubstantiatione consistit. *Secundo* « formæ aliorum sacramentorum proferuntur ex persona ministri sive per modum *exercentis* actum sicut cum dicitur « ego te baptizo » vel « ego te confirmo » etc., sive per modum *imperantis*, sicut cum in sacramento ordinis dicitur « accipe potestatem » etc., sive per modum *deprecantis*, sicut cum in sacramento extremæ-unctionis dicitur « per istam unctionem et nostram intercessionem » etc. Sed forma hujus sacramenti profertur *quasi ex persona ipsius Christi loquentis*, ut detur intelligi quod minister in perfectione sacramenti nihil agit, nisi quod profert verba Christi » (Q. LXXVIII, art. 1).

Conclusio 2ª.— CUM SACERDOS TUM RECITATIVE TUM PRÆSERTIM ASSERTIVE VERBA CONSECRATORIA PROFERAT, NON REQUIRUNTUR ABSOLUTE AD PERFECTIONEM SACRAMENTI EA QUÆ IN CANONE MISSÆ PRÆCEDUNT.

1ª *Pars* contra quosdam theologos, qui aut recitative tantum (*Durandus*, *Major*, etc.), aut tantum assertive (*Gabriel*, *Vasquez*, etc.), vellent verba consecratoria a sacerdote proferri, sic a *Cajetano* juxta apertam *Auctoris* sententiam (hic. a. 1 ad 4 et a. 5) declaratur : « Scito dupliciter verba hæc proferri a sacerdote, scil. *recitative* et *significative*. Et si ad *recitationem* spectetur, opinio quam sequitur Scotus... rationabilis invenitur : quoniam non recitaretur hoc esse corpus Christi nisi prærecitaretur Christum dixisse, hoc est corpus meum ; et quoad hoc, i. e. recitationis vim, procedit ratio adducta. Sed si verba hæc *significative* solum considerentur, quum proferuntur a sacerdote in persona Christi, ex

[1] — Cf. 4 S. D. VIII, Q. II, a. 1, sol. 3.

hoc ipso quod sacerdos dicit ea in persona Christi, significant hoc esse corpus Christi. Et comparando hos duos modos proferendi ad invicem, secundus *praeponderat* primo propter duo : tum quia recitative verba tenentur materialiter ; tum quia recitative sacerdos non conficit in persona Christi, sed recitat Christum conficientem. In concilio autem Flor. sub Eug. IV legimus hæc verba : Sacerdos *in persona Christi loquens* hoc conficit sacramentum » (*Comm.* in h. l.).

2ª *Pars* ultro ex dictis dimanat.— Nam 1° licet sensus historicus verborum consecrationis separari a toto contextu non possit, optime tamen separatur et *per se consistit sensus assertivus*, ita ut « intentio sacerdotis ad gerendum personam Christi, in hoc ipso quod intendit conficere sacramentum, sufficiat ad exprimendum ex vi verborum hoc esse corpus Christi, dicendo in persona Christi, hoc est corpus meum » (Cajet. *ibid.*).— Præterea 2° sacramentum Eucharistiæ (ut admonet *S. Thomas*, resp. ad 4) confici censendum est *verbis ipsius Christi*, non verbis Ecclesiæ in canone missæ præscriptis, quæ nec eadem sunt apud omnes liturgias nec secundum omnia tempora obtinuerunt.

Solv. obj.— Obj. 1.— Illa duntaxat verba pertinent ad formam Euch., quibus Christus corpus et sanguinem suum discipulis tradendum consecravit. Atqui Christus ante benedixit panem acceptum, et postea dixit (Matth. XXVI, 26) : *Accipite et comedite : hoc est corpus meum ;* item de calice. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* : . . . ante benedixit panem benedictione prævia seu mediate tantum consecratoria, *C ;* benedictione immediate et formaliter consecratoria, *S. d :* et hanc benedictionem reapse comitata sunt verba « hoc est » etc., *C ;* secus, *N.*— *Neg. conseq.*

1° Plures auctores (quos recitat *Suarez* Disp. LVIII, s. 2) existimant benedictionem et gratiarum actionem, de quibus loquitur Evangelium, non fuisse formalem panis et vini consecrationem, sed *præparationem* quamdam ei similem quam sacerdotes mox consecraturi nunc adhibent.— 2° Si cum *S. Thoma* accipere velimus præfatam benedictionem pro ipsa *formali consecratione*, tunc dici debet vel Evangelistas (quod insolitum non est) rerum gestarum ordinem scribendo mutasse, vel voces « dixit » aut « dicens » sumendas esse non secundum relationem ad verba proxime præcedentia, sed secundum *concomitantiam* cadentem in totum contextum præcedentem, ita ut sensus sit : *Dum* benediceret, frangeret et daret discipulis, dixit : *Hoc est* etc.

Obj. 2.— Nonnulli veteres, puta Eusebius Em., tradunt sacramentum Euch. confici per verba : *Accipite et comedite hoc est corpus meum.* Ergo.

Resp. *D. antec :...* quatenus tum *consecratio* ipsa materiæ tum *usus* materiæ consecratæ, ceu prima et secunda perfectio sacramenti, iis sub verbis simul intelligantur, *C ;* quasi verba exprimentia usum idcirco reputanda sint esse de necessitate sacramenti, *N.* — *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Ea verba omnino ad formam pertinent, sine quibus non datur sacramentum. Atqui sine verbis in canone missæ contentis nequit haberi sacramentum Eucharistiæ. Ergo.

Resp. *D. M :...* sine quibus non perficitur *valide* sacramentum, *C ;* sine quibus sacramentum *licite* non celebratur, *N.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*[1]

ARTICULUS II.

Utrum haec sit conveniens forma consecrationis panis :
« Hoc est corpus meum ».

Forma eucharistica nunc *partialiter* in *specialem* considerationem vocatur incipiente sermone a consecratione *panis.*— Quæritur de *convenientia* illius formæ « Hoc est enim corpus meum » quæ in Ecclesia romana adhibetur ; ita ut simul quid essentiale sit, quid mere accidentale compertum fiat.

Conclusio.— Forma consecrationis panis, usitata in Ecclesia Romana, convenientissima est.

1° *Prob.* veluti *a priori* seu ex indole transsubstantiationis.— Enimvero forma consecrationis panis quadrare debet in significandam panis conversionem in corpus Christi. Atqui conversio hujusmodi apte exprimitur per verba « hoc est corpus meum »: Ergo.— *Maj.* patet ex eo quod consecratio, de qua loquimur, consistit in conversione substantiæ panis in corpus Christi ; oportet autem formam sacramentalem significare id quod in sacramento efficitur.— *Min. ostend.* In conversione panis tria considerare est, scil. ipsam conversionem, terminum *a quo*, et terminum *ad quem.* Porro *a*) quantum ad ipsam *conversionem*, cum spectari possit vel in *fieri* vel in *facto esse*, sub hoc secundo respectu debuit in forma eucha-

[1] — Plures objectiones Græcorum et Protestantium calumnias diluit *Bellarm.*, l. IV, cc. 14-15.

ristica significari duplici de causa : *primo*, quia est instantanea, non successiva, ita ut fieri sit ipsum factum esse; *secundo*, quia formæ sacramentales per se primo referuntur ad *ultimum* effectum in quem præcipua fertur intentio, haud secus ac formæ artificiales (ex. gr. forma artis in mente ædificatoris est forma domus *aedificatae* principaliter, *aedificationis* autem consequenter, quia non datur domus ædificata sine ædificatione) : conversio autem eucharistica intenditur ut in *facto esse*, ideoque conversionis extrema secundum hunc statum significanda erant. *b*) Quantum vero ad terminum *a quo*, quia non manet in hac conversione secundum substantiam, sed solum secundum accidentia quibus sensui subjacet et ad sensum determinari potest, convenienter exprimitur per *pronomen* demonstrativum ad accidentia sensibilia relatum. *c*) Demum terminus *ad quem* conversionis eo constat in quod fit conversio, idioque in forma eucharistica recte denominatur *corpus* Christi.

2° Hoc ipsum declaratur seu confirmatur per analysim atque *inductionem*.— *a*) In primis pronomen *hoc* (de quo plura in art. 4) apte usurpatur, nam « oportet quod in locutione quæ facit transsubstantiationem, subjectum sit hoc quod est *commune*[1] in transsubstantiatione » (4 S. D. VIII, Q. II, a. 1, qu. 4 ad 1). Non autem dici potest *hic* (adverbialiter), quia sic non significaretur mutatio substantialis.— *b*) Item verbum indicativum *est* apprime congruit, non vero imperativum *sit* ; quippe (ut pulchre profundeque adnotat *S. Thomas*, a. 2 ad 2) « sermo Dei operatus est in creatione rerum, qui etiam operatur in hac consecratione, aliter tamen et aliter : nam hic operatur *effective et sacramentaliter*, i. e. secundum vim significationis, et ideo oportet in hoc sermone significari ultimum effectum consecrationis per verbum substantivum indicativi modi et præsentis temporis. Sed in creatione rerum operatus est *solum effective*, quæ quidem efficientia est per imperium suæ sapientiæ ; et ideo in creatione rerum exprimitur sermo divinus per verbum imperativi modi, secundum illud Gen. I, 3 : *Fiat lux, et facta est lux* ». — *c*) Conjunctio autem *enim* quæ in forma apponitur, secundum consuetudinem Rom. Ecclesiæ a B. Petro Ap. derivatam, propter nexum cum verbis præcedentibus, non est de essentia formæ, sicut nec verba præcedentia.— *d*) Dicitur *corpus* et non sola caro, tum quia in Euch. continetur ex vi sacramenti non solum caro, sed totum Christi corpus, tum quia hoc sacramentum significat repræsentandam dominicam passionem quæ

[1] — Hoc principio niti intelligitur quod statuit *Sylvius* (in h. art.) : « Valida foret consecratio, si diceretur : *Hic cibus* est corpus meum ; *haec res* est corpus meum ; *hoc contentum sub his speciebus* est corpus meum ».

totum corpus afficiebat (4 S. D. VIII, Q. I, a. 1, qu. 4 ad 3). Unde probabilius est quod per vocem *caro* non conficeretur sacramentum.— *e*) Additur corpus *meum*, non Christi, eo quod sacerdos ex Christi persona verba illa profert, qualia a Christo ipso prolata sunt ; qua de causa, non valeret formula his verbis concepta : hoc est corpus *Christi* ».— *f*) Denique, etsi Græci in sua liturgia subjiciant *quod pro vobis tradetur* vel *frangitur* (propter ea quæ habent Lucas XXII, 19 et Paulus 1 Cor. XI, 24), verba illa dici nequeunt de essentia formæ : tum quia de eis silent Matthæus et Marcus ; tum quia contradicit vetustissimus usus Ecclesiæ Romanæ ; tum quoque quia forma latina sufficienter exprimit consecrationis effectum.

ARTICULUS III.

Utrum haec sit conveniens forma consecrationis vini :
« Hic est calix sanguinis mei » etc.

Sequitur ut ad alteram formam *partialem* Eucharistiæ expendendam veniamus.— Cum autem pleraque de forma consecrationis panis mox constituta etiam formæ consecrationis vini conveniant, ea tantum quæ *specialia* sunt trutinabimur.— Latini consecrationem calicis perficiunt his verbis : « Hic est enim calix sanguinis mei novi et æterni testamenti : mysterium fidei ; qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum ; » de quibus verbis disputant *theologi*, num omnia ad essentiam formæ pertineant.

Conclusio.— OSTENSA CONVENIENTIA FORMÆ CONSECRATIONIS VINI QUAM ECCLESIA ADHIBET, DETERMINANDUM ASSUMITUR SOLA VERBA « HIC EST CALIX SANGUINIS MEI » SEU « SANGUIS MEUS » ESSENTIALIA ESSE.

1ª *Pars* de *convenientia* decl :

1° Ex *usu Ecclesiae* quæ nequit errare in re tam gravi, necnon ex *biblico fonte* quo pleraque verba illius formæ continentur. Etsi namque Evangelistæ hanc formam non tradiderint (minus intendebant formas et ritus sacramentorum describere quam dicta et facta Domini enarrare), tamen « hæc omnia fere verba ex diversis Scripturæ locis accipi possunt. Nam quod dicitur : *Hic est calix*, habetur Luc. XXII et 1 Cor. XI. Matth. autem XXVI, dicitur : *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Quod autem additur *aeterni*, et iterum *mysterium fidei*, ex traditione Domini habetur quæ

ad Ecclesiam per Apostolos pervenit secundum illud 1 Cor. XI, 23 : *Ego accepi a Domino, quod et tradidi vobis*, ut et 1 Tim. III, 9 : *Habentes mysterium fidei* » (art. 3 ad 9).

2° Ex consideratione *inductiva*. — *a*) Occurrunt primum verba *hic est calix sanguinis mei*, quæ essentialiter non differunt ab aliis *hic est sanguis meus*, quæque congrue proferuntur secundum duplicem figuræ speciem : *metonymice* quidem, quatenus ponitur continens pro contento seu calix pro sanguine qui in calice continetur, nam sanguis Christi consecratur sub ratione potus fidelium, quod apte designatur per vas huic usui accommodatum ; *metaphorice* vero, quatenus intelligatur per calicem passio Christi, in consecratione sanguinis directe commemorata, quippe passio suis amaritudinibus, calicis ad instar, veluti inebriat.

b) Verba sequentia convenienter prioribus adjiciuntur ; siquidem triplicem effectum sanguinis Christi in passione effusi exprimunt : scil. adeptionem æternæ hæreditatis, cum dicitur *novi et aeterni testamenti ;* justitiam gratiæ ex fide obortam, cum dicitur *mysterium fidei ;* et remotionem peccatorum ab utroque bono consequendo prohibentium, cum dicitur *qui pro vobis* etc.— Ideo autem virtus salutifera passionis Christi potius in consecratione sanguinis quam in consecratione corporis tangitur, quia sanguis seorsum consecratus expressius dominicam passionem repræsentat.

c) Ulterius et *specialius* inspecta, verba eadem convenientia apparent[1].— *Testamentum* enim est dispositio hæreditatis. Porro cœlestem Deus hæreditatem disposuit hominibus dandam per virtutem sanguinis Christi : quod quidem figuraliter et imperfecte factum est in veteri lege, sed secundum rei veritatem et perfectius nobis exhibetur in *novo* testamento, quod et *aeternum* nominatur non solum ratione divinæ præordinationis, verum etiam ratione bonorum de quibus est et ratione testatoris.— Subjicitur *mysterium fidei* ad ostendendam occultationem sub speciebus sanguinis Christi cujus præsentia sola fide, eaque firmiori, tenetur, quique per fidem caritate perfectam justificat.— Clauditur sermo per verba : *qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum ;* de quibus ait *S. Thomas* (resp. ad 8) : « Sanguis passionis Christi non solum habet efficaciam in Judæis electis quibus exhibitus est sanguis V. T., sed etiam in gentilibus ; nec solum in sacerdotibus qui hoc conficiunt sacramentum vel aliis qui sumunt, sed etiam in illis pro quibus offertur. Et ideo signanter dicit *pro vobis*, Judæis, et *pro multis*, scil.

[1] — Cf. Catech. Trid. P. II, *de Euch.* n. 23.

gentilibus ; vel *pro vobis* manducantibus, et *pro multis* pro quibus offertur ».

2ª *Pars* controvertitur inter theologos, aliis (ut Capreolus, Gonet, etc.) opinantibus omnia verba quæ expendimus esse de *essentia* formæ, aliis (ut Vasquez, Suarez, etc.) docentibus verba *novi et aeterni* etc. esse *mere accidentalia*, aliis demum (ut Cajetanus, Joan. a S. Th., etc.) arbitrantibus verba ista esse non de essentia, sed de *substantia* seu *integritate* formæ : — hanc ultimam sententiam ceu veriorem et *Auctori* conformiorem amplectimur.

1° Itaque dico non omnia verba prædicta, sed illa sola « hic est calix sanguinis mei » (vel æquivalentia) constituere *essentiam* formæ consecrationis calicis : — *a*) Prima ratio sumitur ex *liturgiis Orientalibus* in quibus plura desunt eorum quæ Latini in consecrando calice adhibent. Quis vero dixerit sacerdotes orientales non valide consecrare, vel partem formæ, quam Latini tanquam essentialem haberent, ab eis omitti posse ? — *b*) Multi *Patres* (quos citat Suarez, in h. l.), v. g. Cyprianus, Joan. Chrysost., Joan. Damascenus, solis verbis « hic est sanguis meus » vim transsubstantiativam tribuunt.— *c*) *Ratio* summa sita est in illo communi effato, nimirum verba essentialia formæ sacramentalis ea esse quæ significant quod ex vi sacramenti efficitur. Porro hæc verba « hic est sanguis meus » vel « calix sanguinis mei,» eaque sola, conversionem eucharisticam significant.

2° Attamen minus rectum videtur asserere verba sequentia esse *mere accidentalia* : — *a*) Nam verba illa (ut admonet *S. Th.* h. l.) sunt quædam determinationes prædicati essentialis, i. e. sanguinis Christi, proindeque veluti in eadem linea consistunt.— *b*) Idcirco sacerdos eodem ritu et modo, scil. tenendo calicem in manibus, verba eadem una cum præcedentibus profert, non tamen quæ adduntur, *Haec quotiescumque* etc.; ista quippe pertinent ad usum sacramenti.— *c*) Præter ea B. Lucas XXII, 20 (item S. Paulus 1 Cor. XI, 25) interponit verba sequentia verbis præmissis dicendo : *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo ;* ex quo intelligitur præfata verba proprius ad essentiam formæ accedere quam mera accidentia.

3° Ergo dicamus cum gravissimis theologis verba illa esse non de essentia, sed de *substantia* seu integritate formæ, eo ferme modo quo pes vel brachium ad integritatem hominis pertinet. Unde sicuti absque pede vel brachio simpliciter habetur homo, ita sine illis verbis essentialiter habetur forma ideoque conficitur sacramentum, quamvis perfectiva desit integritas.— Hanc (et non aliam) esse *Auctoris* mentem,

cuique ponderanti discursum litteræ manifestum fiet : siquidem *a*) in art. 1 hujus quæst. totus est ut demonstret verbis « hoc est corpus meum » et « hic est sanguis meus » constare formam (simpliciter sumptam) Eucharistiæ, ita ut « si sacerdos sola verba prædicta proferret cum intentione conficiendi hoc sacramentum, perficeretur hoc sacramentum » (resp. ad 4). *b*) Non minus plane loquitur (heic art. 3) : « Cum dicitur, *hic est calix sanguinis mei*, significatur ipsa conversio vini in sanguinem, eo modo quo dictum est art. præc. in forma consecrationis panis ». En, juxta S. Doctorem, forma *essentialis ;* verba autem sequentia, quibus designatur virtus sanguinis Christi, « pertinent ad *integritatem* ejusdem locutionis » (*ibid.*). *c*) Quapropter quæ dubia vel obscuriora ex aliis anterioribus *Angelici* scriptis objici possunt, sub luce verborum *Summae theologicae* sunt exponenda[1].

ARTICULUS IV.

De efficacia formae sacramenti Eucharistiae.

(Q. LXXVIII, aa. 4-6)

Quae sit forma hujus sacramenti, superius accepimus ; *qualis* vero existat, nunc determinandum venit.— *Efficaciae* qualitas, qua gaudet illa forma, spectari potest vel *absolute* seu secundum se, vel *relative* seu secundum utriusque formæ partialis habitudinem ; rursus efficacia absolute spectata potest considerari sive *ontologice* seu a parte rei, sive *logice* seu secundum enuntiationis veritatem quam fundat : — unde materia trium conclusionum.

Conclusio 1ª.— Inest formæ eucharisticæ vis creata instrumentalis, quatenus ipsa oratio ut a Deo instrumentaliter adhibita efficit transsubstantiationem, in momento completæ significationis, per modum simplicis virtutis.— Quinque hic secerni possunt ex *Cajetano* (in art. 4) distinguente *an* sit efficacia verborum, *quid* sit, *cujus* sit factiva, *quando* et *qualiter* exerceatur ; — quæ quidem quia jam alibi, pleraque saltem, sub communi ratione præoccupata sunt, brevi expedientur.

1° Inesse in Eucharistiæ verbis sacramentalibus *vim* instrumentalem effectricem transsubstantiationis, diserte tradit *Eugen. IV* (Decr. pro Arm.) dicens : « Sacerdos in persona

[1] — Cf. Billuart, Diss. V, art. 3.

Christi loquens hoc conficit sacramentum. Nam ipsorum verborum *virtute* substantia panis in corpus Christi et substantia vini in sanguinem convertuntur.»— *Ratio* præcipua est, quia (uti constat ex doctrina de Sacram. *in genere*) dignitas sacramentorum N. L. postulat ut eis concedatur vis instrumentaria physice productiva propriorum effectuum. Jamvero sacramentum Eucharistiæ cæteris longe dignius est : ergo *a fortiori* etc.

2° *Quid* in se sit virtus instrumentalis formæ eucharisticæ, declarat *Cajetanus* (*l. cit.*) ex vi generali sacramentorum : « Sicut, inquit, Deum in sacramento baptismi per Christi baptismum dedisse virtutem aquis inchoative dicimus, nulla tamen qualitas superaddita propterea est aquis, et postmodum complete datur virtus aquæ in actuali baptismo per hoc quod Christus baptizans utitur illa aqua ; ita in proposito verba ista potius quam alia ab ipso Christo sanctificata sunt *inchoative*, *complete* autem vim sortiuntur quum Christus per sacerdotem illa profert ad confectionem hujus sacramenti : *talis* enim *usus verborum* est constitutivus instrumentalis efficaciæ in oratione qua utitur, nec oportet aliquam superapponere qualitatem ».

3° *Effectus* virtutis verborum non est dispositio aliqua, sed, prouti ex *Eug. IV* mox citato et textu *D. Thomae* clare colligitur, est ipsa conversio panis in corpus Christi ; quod minime repugnat. Siquidem in hoc transsubstantiatio differt a creatione, quod nulla res in creatione præsupponitur quam instrumenti actio possit attingere ; unde in ea non datur locus instrumento ; heic autem invenitur substantia panis et vini circa quam instrumentaliter seu dispositive actio verborum exercetur ad eam convertendam[1].

4° Licet tota oratio seu forma sit Dei instrumentum, tamen quia non perfecte significat nisi in suî termino, idcirco virtus instrumentalis per eam ab initio inchoative quidem decurrit, sed nonnisi *in momento completae significationis* perfecte operatur.

5° Tandem virtus illa ex parte verborum exterius prolatorum potest dici quodammodo *composita*, sed formaliter *simplex* dicenda est, quia unum esse corporis et sanguinis Christi significatur et conversionem terminat (cf. hic. a. 4 ad 3 ; 4 S. D. VIII, Q. II, a. 3 ad 7).

Conclusio 2ª.— Locutiones sacramentales in SS. Euch. veræ sunt veritate practica seu rei significatæ

[1] — 4 S. D. VIII, Q. II, a. 3 ad 2 ; — cf. Joan. a S. Thoma, Disp. XXIX, art. 2.

CONSTITUTIVA ; QUÆ VERITAS UT HABEATUR, PRONOMEN « HOC » VEL « HIC » CENSENDUM EST DEMONSTRARE INDETERMINATE SUBSTANTIAM SUB SPECIEBUS CONTENTAM.— Quod locutiones illæ veræ sint, in confesso est apud omnes catholicos ; verum inquiritur *quomodo* earum veritas salvetur.

1ª *Pars* sic adstrui potest : — Ex concl. præc. habemus formæ sacramentali Eucharistiæ inesse vim effectricem conversionis panis in corpus Christi. Quapropter, quia voces sunt signa idearum, locutio illa secundum veritatis modum recte comparatur ad locutiones pure significativas, sicut conceptio intellectus practici ad conceptionem intellectus speculativi. Atqui conceptio intellectus practici non sortitur veritatem ex re præsupposita cui adæquetur, ut conceptio speculativa, sed rem veritate sua constituit, prouti de verbo Dei rerum factivo comperitur. Ergo etc.— Subjicere juvat quæ notat *Angelicus* (a. 5 ad 3) : « Significatio hujus locutionis præintelligitur rei significatæ *ordine naturae*, sicut causa naturaliter est prior effectu, *non* tamen *ordine temporis*, quia hæc causa simul habet secum suum effectum, et hoc sufficit ad veritatem locutionis ».

2ª *Pars* versatur circa significatum pronominis *hoc* vel *hic* in forma Eucharistiæ ; a quo significatu veritas hujus locutionis dependet.— Multiplex fuit opinio (ut refert Auctor).

1° *Quidam* rati sunt pronomen *hoc* cum tota locutione sumi sensu materiali et *historico*, quatenus sacerdos tantum recitat Christum dixisse « hoc est corpus meum ». Sed *a*) juxta hanc doctrinam (quam alias rejecimus) pronomen *hoc* vel *hic* non applicaretur ad materiam præsentem, nec proinde perficeretur sacramentum. *b*) Redit autem quæstio, quonam sensu Christus ipse verba illa protulerit. *c*) Itaque tenendum, hæc verba a sacerdote enuntiari cum historice tum quoque assertive, perinde « ac si Christus ea præsentialiter proferret ». — *Alii* arbitrati sunt pronomen *hoc* sumendum esse sensu *symbolico*, quasi dicerctur « significatum per hunc panem est corpus meum ». Sed positio hæc hæresim sapit : cum enim in sacramentis id efficiatur quod forma significat, per prædictam formam non fieret corpus Christi præsens secundum realitatem, sed in signo tantum.— *Alii* rursus dixerunt voculam *hoc* sensum demonstrativum sortiri non pro momento quo profertur, sed pro ultimo locutionis instanti, et proinde supponere pro corpore Christi. At secundum hanc sententiam sensus locutionis esset « corpus meum est corpus meum »; quod certe, jam antea verum, forma Eucharistiæ non efficit, protereaque nec significat.

2° Superest ut sapientissimam *D. Thomae* explicationem amplectamur.— Quia enim transsubstantiatio fit in instanti, « oportet (inquit h. l.) intelligere prædictam locutionem secundum ultimum instans prolationis verborum, non tamen ita quod præsupponatur ex parte subjecti id quod est terminus conversionis, scil. quod corpus Christi sit corpus Christi ; neque etiam illud quod fuit ante conversionem, scil. panis ; sed id quod communiter se habet quantum ad utrumque, scil. *contentum in generali sub istis speciebus.* Non enim faciunt hæc verba quod corpus Christi sit corpus Christi, neque quod panis sit corpus Christi, sed quod contentum sub his speciebus, quod prius erat panis, sit corpus Christi ». Unde non dixit Dominus « *hoc corpus meum* est corpus meum » neque « *hic panis* est corpus meum », sed « *hoc* est corpus meum »: ubi pronomen *hoc* demonstrat, non jam directe accidentia, sed *substantiam sub* accidentibus contentam et *communiter* sumptam, quæ primo fuit panis, postea est corpus Christi (resp. ad 2)[1].

Conclusio 3ª.— FORMÆ PARTIALES SACRAMENTI EUCHARISTIÆ NON SE EXSPECTANT IN OPERANDO, SED PRIMA, STATIM AC PROLATA, SUUM EFFECTUM CONSEQUITUR.— Quamvis *nonnulli* olim contrarium senserint, propositio hæc *communem* ac *certam* theologorum doctrinam promit.

Prob. tripliciter : — 1° Ex *ritu Ecclesiæ.* Vix namque enuntiatis verbis consecrationis panis, hostia consecrata populo adoranda proponitur : id autem, nisi jam adesset corpus Christi, idololatriam involveret.— 2° Ex *veritate formæ.* Ad veritatem locutionis « hoc est corpus meum » pertinet ut res significata simul tempore existat cum completa locutionis significatione. Atqui significatio hujus locutionis completur statim ac prolata sint illa verba ; nec ab altera forma partiali dependet, sive logice, sive etiam objective, quippe sanguis corpus concomitatur. Ergo.— 3° Ex *everso fundamento oppositæ sententiæ.* Nam « duæ formæ in hoc sacramento non pertinent ad unum sacramentum quasi unam formam constituant, sicut ex diversis dictionibus constituitur una forma ; sed pertinent ad unum sacramentum mediantibus diversis partibus hujus sacramenti ; et ideo utraque habet seorsum effectum suum supra partem ad quam ordinatur » (4 S. D. VIII, Q. II, a. 4, qu. 1 ad 2).

[1] — Vid. ampliora penes Cajetanum, *Comm.* in h. 1.

DISPUTATIO SEXTA

QUÆSTIO UNICA

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI EUCHARISTIÆ

Secundum præmissam ab exordio tractationis divisionem, exploratis iis quæ sive ad existentiam sive ad essentiam SS. Eucharistiæ pertinent, devenimus ad *effectus* hujus sacramenti investigandos. Dico *sacramenti*, non autem sacrificii ; de effectibus enim seu fructibus sacrificium attinentibus loco suo agetur.

Effectus sacramenti Eucharistiæ considerari possunt vel *in se* (art. 1-4), vel respectu eorum *quibus prosint* (art. 5), vel secundum *impedimenta* quibus subsint (art. 6). In se autem spectati, vel *directe* (art. 1-2), vel magis *indirecte* seu consequenter (art. 3-4) a sacramento intenduntur : duplex quidem est effectus directus, *gratia* (art. 1) et *gloria* (art. 2) ; duplex quoque effectus indirectus seu consequens, remissio *peccati præteriti* (art. 3) et præservatio *a futuro* (art. 4). Logicam habes articulorum concatenationem.

ARTICULUS I.

Utrum per hoc sacramentum conferatur gratia.

Quamvis in titulo unum explicite quæratur, tria tamen in considerationem hoc loco opportune cadunt, videlicet : primo, num *gratia in genere* sit effectus sacramenti Eucharistiæ ; secundo, in quo gratia *propria* hujus sacramenti consistat ; et tertio, quonam *tempore* sacramentum istud gratiam in nobis operetur.— Singula in tribus distinctis conclusionibus expendemus.

Conclusio 1ª.— SACRAMENTUM EUCHARISTIÆ GRATIAM CERTE CONFERT ; juxta illud *Conc. Trid.* (Sess. XIII, cap. 3) :

« Commune hoc est ss. Eucharistiæ cum cæteris sacramentis, symbolum esse rei sacræ et *invisibilis gratiae* formam visibilem ». Cf. quæ dicta sunt (Disp. I, Q. III) de sacramentis in genere.

1° Revera *a*) Dominus dicit (Joan. VI, 52) : *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Atqui vita spiritualis fovetur per gratiam : ergo.— *b*) E *Veterum* fonte haurimus has sententias, scil. *Clem. Alex.* (Pædag. l. II, p. 2) : « Eucharistia... bona est gratia, cujus qui per fidem sunt participes, sanctificantur et corpore et anima ». Et *Tertull.* (l. de Resurr. c. 8) : « Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur ». Plura testimonia in re evidenti præterimus.

2° *Ratione* sic arguitur.— In sacramento Eucharistiæ datur ipse Christus, secundum quamdam passionis suæ repræsentationem, sub ratione cibi et potus, in specie panis et vini. Atqui hæc quatuor collationem gratiæ important : ergo. *Min. decl.* per partes : — *a*) Etenim sicut Christus in mundum visibiliter veniens ei vitam gratiæ contulit, juxta illud (Joan. I, 17) : *Gratia et veritas per J. C. facta est ;* ita in hominem sacramentaliter ingrediens vitam gratiæ operatur[1], secundum illud (*ibid.* VI, 58) : *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.*— *b*) Præterea, passio Christi est gratiæ causa ; unde effectum quem ipsa secundum se in mundo operata est, merito hoc sacramentum passionis repræsentativum in homine gignere asseritur, juxta illud (Matth. XXVI, 28) : *Hic est sanguis meus... qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*— *c*) Rursus, sicuti ex cibo et potu materiali vita corporalis emanat, ita ex cibo, qui Christus est, vita spiritualis multo nobilior gratiæque virtute consistens efflorescit, prouti clare innuitur (Joan. VI, 56) : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.*— *d*) Tandem panis et vinum, sub quorum specie Christus in sacramento existit, quatenus ex multis granis et uvis coalescunt, signum sunt unitatis, consensionis, charitatis ; charitas autem sine gratia esse non potest.

[1] — *Dubium* a nonnullis proponitur, num Christus *immediate* per seipsum vel mediante specie sacramentali quasi instrumento animam sanctificet.— Secundum ea quæ jam supra insinuavimus (Disp. IV, Q. un. a. 1), *respondemus* cum Cajetano (*Comm.* in Q. LXXX, a. 12) hoc singulare esse in sacramento Eucharistiæ quod ipsum fontem gratiæ, non duntaxat aliquam virtutem, præsentialiter habeat ; qua ex singulari excellentia provenit ut sicut per seipsum fons gratiæ sub sacramento continetur, ita per seipsum sacramenti fructum conferat, actione scil. *theandrica* quam descripsimus in tract. *de Incarnatione.* Unde species sacramentales et usus earum dici nequeunt instrumenta Christi eucharistici, sed magis se habent velut conditiones, atque approximationes nutrimenti ad id quod nutritur.

Conclusio 2ª.— PROPRIUS HUJUS SACRAMENTI EFFECTUS EST HOMINIS IN CHRISTUM PER GRATIAM TRANSFORMATIO, SE EXSERENS SECUNDUM MULTIPLICEM ANALOGIAM CIBI SPIRITUALIS CUM CIBO MATERIALI, EOQUE ADMIRABILIOR QUO CIBUS ILLE SPIRITUALIS EST PRÆSTANTIOR.— Agitur de effectu *proprio* Eucharistiæ qui primus seu *principalis* est, quin excludantur effectus consequentes et secundarii (quos infra attingemus). — Tota conclusio nititur verbis *Trid.* (Sess. XIII, cap. 2) : « Sumi voluit (Salvator) sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum quo alantur et confortentur » etc.

1ª *Pars* sic explicite traditur a *Conc. Flor.* (Decr. pro Arm.) : « Hujus sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est *adunatio hominis ad Christum* ». Cf. *CC. Later. IV* (cap. *Firmiter*) et *Trid.* (*l. cit.*).

1° Hanc unionem et veluti transformationem significant verba Christi (Joan. VI) : *Qui manducat meam carnem... in me manet et ego in illo* (v. 57) ; *ipse vivet propter me* (v. 58). — Unde *S. Cyrill. Hier.* (Catech. Myst. IV, n. 3) : « In figura panis datur tibi corpus, et in figura vini datur tibi sanguis, ut cum sumpseris corpus et sanguinem Christi, *concorporeus* et *consanguineus* ejus efficiaris ». Et *S. Cyrill. Alex.* (in Joan. VI, 57, l. IV, c. 2) : « Quemadmodum si quis ceram ceræ conjunxerit, utique alteram in altera esse videbit, eodem quoque, opinor, modo qui Salvatoris nostri carnem suscipit et bibit ejus pretiosum sanguinem unum quiddam cum eo reperitur, commixtus quodammodo et *immixtus* ei per participationem, ita ut in Christo quidem ipse reperiatur et vicissim Christus in ipso ».

2° *D. Thomas* solita perspicuitate rem ita declarat (4 S. D. XII, Q. II, a. 1, sol. 1) : « Proprius effectus cujuslibet sacramenti debet assumi ex similitudine ad materiam illius sacramenti ; sicut expurgatio veteris vitæ est effectus baptismi per ablutionem aquæ significata. Et ideo cum materiale in hoc sacramento sit cibus, oportet quod effectus proprius hujus sacramenti accipiatur secundum similitudinem ad effectum cibi. Cibus autem corporalis primo in cibatum convertitur... sed spiritualis cibus non convertitur in manducantem, sed eum ad se convertit[1]. Unde *proprius effectus* hujus sacramenti est *conversio hominis in Christum*, ut dicat cum Ap. (Gal. II, 20) : *Vivo, jam non ego ; vivit vero in me Christus* ». (Cf. hic, Q. LXXIX, a. 1 ad 1).

[1]— « Est cibus hominem divinum facere valens, et *divinitate inebrians* » (S. Th., *Comm.* in Joan. VI, lect. 7, n. 3) : pulchra sane nec minus vera quam vehemens locutio !

3° *a*) Ad hanc vivificam unionem concurrunt tum *habitualis* tum *actualis* gratia, prouti docet *S. Thomas* (hic, ad 2) : « Per hoc sacramentum, quantum est ex suî virtute, non solum habitus gratiæ et virtutis confertur, sed etiam excitatur in actum, secundum illud (2 Cor. V, 14) : *Charitas Christi urget nos* ». *Ratio* est, quia unio cum Deo completur per actum.— *b*) Hæc autem conjunctio maxime efficitur mediante *charitate* quæ pollet vi unitiva, et transformativa amantis in amatum, et cujus perfectio directe et per se primo in hoc sacramento intenditur ; unde Eucharistia, præ reliquis sacramentis, vocatur « sacramentum charitatis.» De ea exclamabat *S. Augustinus* (in Joan. Tract. 26, n. 13) : « O sacramentum pietatis ! o signum unitatis ! o vinculum charitatis ! » Consentit *Angelicus* dicens (art. 4) : « Res hujus sacramenti est charitas non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum[1] ».— *c*) Porro eodem amoris impulsu cohæremus ipsi Christo ac ejus membris ; unde *mystici* ejus *corporis unitas* proprius est etiam Eucharistiæ effectus, docente Ap. (1 Cor. X, 17) : *Unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus*[2]. Cf. *Conc. Trid.* (Sess. XIII, cap. 2).

2ª *Pars*, quæ non est nisi prioris evolutio, hoc declarandum intendit, nempe quod, cibi materialis ad instar, sacramentum Eucharistiæ « *sustentat, au et, reparat* et *delectat* » : quæ concinna *D. Thomae* verba (h. l.) decreto *Conc. Flor.* pro Armenis inserta sunt.

1° *Sustentat :* homo enim viator est ad patriam progrediens. Ne ergo deficiat in via, nutrimento solido indiget quo vires jugiter reficiantur et integræ serventur. Hoc autem ipsi præsto est per sacramentum Eucharistiæ, ex quo gratia potentiarum omnium roborativa derivatur, maxime vero cor fervidiori caritatis igne in Deum accenditur ; caritas namque *omnia sustinet* (1 Cor. XIII, 7) et, prouti sanctorum vita testatur, id efficit ut labor, tribulatio, miseria omnigena, animum frangere nequaquam valeant.

2° *Auget :* quia enim Eucharistia præsupponit secundum se primam gratiam seu primum esse spiritualiter viventis,

[1] — Item : « Virtute hujus sacramenti fit quædam transformatio hominis ad Christum *per amorem*... et hoc est proprius ejus effectus » (4 S. D. XII, Q. II, a. 2, sol. 1).

[2] — Hunc effectum eucharisticum egregie describit Monsabré, Conf. 72 : *La communion dans l'Eglise.*— Cf. *Annales des Prêtres adorateurs* (juillet 1918); ubi unio eucharistica hominis cum Christo ita definitur ut recte percipias distinctionem faciendam inter *corporalem* Christi præsentiam in homine communionem suscipiente, et *spiritualem* effectum, sacramenti *proprium*, quem communio bona producit secundum vim maxime unitivam auctæ singulariter charitatis.

« restat ut cum sacramentum realiter sumitur, gratia augeatur et vita spiritualis perficiatur » (hic, ad 1[1]); idque eo magis, quod in hoc sacramento seipsum, gratiæ fontem, Deus communicat. Augmentum illud revelatur in animabus piis pieque ad sacram mensam accedentibus, quæ, nedum iter retrorsum agant, quotidie proficiunt ac magis magisque Deo conjunguntur.

3° *Reparat :* etenim diffitendum non est sanctiores etiam viros levibus saltem laborare defectibus qui vires spirituales veluti corrodunt ; at per cibum eucharisticum feliciter obtinetur « restauratio deperditi in remissione venialium vel reparatione cujuscumque defectus præcedentis » (4 S. *l. cit.*). Id autem dupliciter contingit, tum *remote* per influxum copiosioris gratiæ et caritatis habitualis quæ vim resistendi malo Deumque diligendi roborat, tum *proxime* per excitationem motuum caritatis quibus venialia tolluntur (ut dicetur suo loco).

4° *Delectat :* spiritualis enim cibi, sicut et materialis, sumptionem voluptas, caritatis actum suavitas, Dei possessionem gaudium sponte comitatur ; unde *S. Thomas* (hic, ad 2) : « Ex virtute hujus sacramenti anima spiritualiter reficitur, per hoc quod anima spiritualiter delectatur et quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis divinæ[2], secundum illud Cantic. V, 1 : *Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charissimi* ».

3ª *Pars* effert, ss. Eucharistiæ effectum eo admirabiliorem esse quo *cibus* in ea oblatus est *praestantior ;* de cujus cibi excellentia pie edisserit *S. Thomas* (Opusc. LVII) : pauca proferemus.

1° Præstat ille cibus *dignitate :* siquidem est ipse Christus ac Deus. Qui jam homini largitus erat cœlum et terram et omnes irrationales creaturas ad serviendum ; etiam creaturas rationales et cœlestes, scil. sanctos Angelos, ad ministrandum ; dein seipsum præbuerat in socium nostræ peregrinationis, in servum nostræ necessitatis, in pretium nostræ redemptionis ;

[1] — Dici tamen potest cum Auctore (*ibid.*) — et hoc ss. Eucharistiæ excellentiam commendat — non sine *aliquo* voto hujus sacramenti gratiam prævie accipi : sive *objective,* quia reliqua sacramenta sunt veluti rivuli manantes a fonte qui est Christus in Eucharistia contentus ; sive etiam *subjective,* quatenus suscipiens v. g. baptismum vel confirmationem vel pœnitentiam, implicite saltem, Eucharistiam postea suscipiendam in votis habet.

[2] — « Dominus dat suis fidelibus dulce semper corpus ; sed dulcedinem suam alio modo istis, alio istis, prout cuilibet expedire novit. Hinc est quod quidam dulcedinem istam sapiunt per *affectum* et ardentiori delectantur devotione, et alii eamdem dulcedinem sapiunt per *pium intellectum,* et sufficienti reficiuntur utilitate in eo quod credunt et intelligunt per hunc cibum sanctum veram vitam obtinere » (S. Th., Opusc. LVII, *De venerab. sacram. altaris,* c. 22).

at in Eucharistia (quod summus liberalitatis gradus est) suum corpus dat in cibum nostræ infirmitatis (*op. cit.* cap. 5)[1].— 2° Præstat *universalitate :* cibus enim ille exhibetur omnibus hominibus, patriciis et plebeis, dignis et indignis ; in omnibus regionibus, locis, et altaribus ; sub omnibus hostiis ac hostiarum portionibus ; pro omnibus temporibus (*ibid.* cc. 5 et 13).— 3° Præstat *integritate :* dum enim manducatur, non minuitur. « Sicut fons terram rigat et sine sui diminutione herbas innumeras et arbores nutrit, sic Christus Ecclesiam pascit. Item, sicut sol non deficit toti mundo lumen suum communicando, ita nec Christus Ecclesiam totam pascendo » (*ibid.* c. 14).

Conclusio 3ª.— PROBABILIUS VIDETUR TUNC GRATIAM AB EUCHARISTIA PRODUCI QUUM SPECIES ATTINGUNT STOMACHUM ; NUM VERO GRATIÆ COLLATIO TAMDIU PERDURET QUAMDIU SPECIES IPSÆ, PAUCIS INQUIRITUR.

1ª *Pars* (etsi non admissa ab omnibus) in eo fundatur quod sacramentum Eucharistiæ exhibetur per modum *cibi*, ideoque tunc censendum est effectum suum producere quum manducatio ad cibationem huic sacramento convenientem perducitur. Atqui cibatio quæcumque, proprie loquendo, non fit per hoc quod alimentum *ore* tantum recipitur, neque per hoc quod *esophagum* trajicit, antequam ad stomachum deveniat ; nec etiam cibatio sacramentalis, qua homo convertitur in cibum seu Christum, requirit specierum *corruptionem* seu digestionem et assimilationem necessariam ad cibationem materialem. Ergo (probabilius saltem) ad gratiam eucharisticam producendam requiritur et sufficit ut species attingant stomachum ; ita ut nec ante hoc momentum (ut quidam volunt) neque post specierum corruptionem (ut alii olim posuerunt) effectus sacramentalis habeatur.

2ª *Pars* declaratur.

Et 1° quod pertinet ad gratiam *habitualem*, probabile existimamus eam *ex opere operato* augeri in subjecto rite disposito, non solum eo momento quo sacramentum tum demum applicatur, sed etiam, si crescant dispositiones, *quamdiu* species remanent ; idque suadetur dupliciter : — *a*) *primo* ex ratione cibi, qui successive vim nutriendi exercet ; *b*) *secundo*

[1] — In rem sunt verba Alb. Magni (4 S. D. VIII, a. 1) de Eucharistia scribentis quod data est « ut sit nutrimentum hominis spirituale. Unde *panem Angelorum manducavit homo* (Ps. LXXVII, 25). Super quod dicit Augustinus : « Ut manducaret homo panem angelorum, creator angelorum factus est homo ». (Sap. XVI, 20) : *Paratum panem de coelo praestitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem* ».

ex ratione Christi præsentis toto tempore præsentiæ specierum, et cujus amor otiosus non est ; de quo *Cajetanus* (in h. l.) : « Est tunc præsens corporaliter in nobis, ac per hoc pascens et illuminans spiritualiter animam, ut sic etiam illud impleatur : *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi*[1] ».

2° Quantum ad gratiam *actualem*, dubium non est quin *toto* præsentiæ sacramentalis spatio Christus, dummodo nil obstet ex parte hominis, mentem excitet ad suî ferventem amorem suæque propinquitatis percipiendam dulcedinem : hoc enim ultro consequitur ex tam familiari commercio inter animam et Christum[2].

Solv obj. (cont. 1am concl.).— Obj. 1.— Nutrimentum eucharisticum nequit conferre gratiam nisi sub ratione augmenti. Atqui gratiæ augmentum pertinet ad sacramentum confirmationis. Ergo.

Resp. *D. M :*... per se, *C ;* quasi nec *per accidens* valeat conferre primam gratiam, *N.*— *D. m :* gratiæ augmentum quo homo instruitur ad persistendum contra *exteriores* impugnationes... *C ;* quo homo *in seipso* perficitur per conjunctionem cum Deo, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2. — Hoc sacramentum confertur ut quædam spiritualis refectio. Atqui hæc refectio spiritualis pertinere videtur magis ad usum quam ad collationem gratiæ. Ergo.

Resp. *D. M :*... tum in habitu tum in actu, *C ;* in actu tantum, *N.*— *C. d. m :* refectio *habitualis*... *N ;* refectio *actualis*, *S. d :* pertinet ad usum gratiæ dependentem ab amore Christi præsentis in sacramento, *C :*... independentem a sacramento, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— In Eucharistia corpus Christi offertur pro salute corporis, sanguis autem pro salute animæ. Atqui corpus nequit esse subjectum gratiæ. Ergo, saltem quantum ad corpus, etc.

Resp. *D. M :* secundum quamdam *assimilationem*, *C ;* quasi *reapse* non utrumque ad salutem utriusque operetur, *N.*— *D. m :*... nequit esse subjectum *immediatum* gratiæ, *C ;* nequit per *redundantiam* ex anima gratiæ effectum percipere quo se justitiæ instrumentum exhibeat, *N.*— *Neg. conseq.*

[1] — Cf. Gonet, in h. l.— Absurda est prorsusque rejicienda hypothesis cui favet oratorianus I. B. Dalgairns (*The holy communion : its philosophy, theology and practice*, 7th ed., P. II, chap. III) quod in communione, cessante præsentia corporis Christi, ejus *anima* perseverat, atque, possidentis spiritus ad instar, totam humanam naturam pervadit.

[2] — Recolatur exemplum discipulorum Emmaus, quorum *cor ardens erat* (Luc. XXIV, 32) dum confabulabantur cum Christo redivivo, sed nondum sibi cognito.

ARTICULUS II.

Utrum effectus hujus sacramenti sit adeptio gloriae

Commune quidem est omnibus sacramentis, quatenus gratiam conferunt, hominem disponere ad consequendam gloriam. Verum præsens quæstio hoc sensu accipi debet, num speciali ac *propriissima* ratione conveniat sacramento Eucharistiæ perducere ad terminum gloriæ.— Cum autem gloria spectari possit principaliter ex parte *animae*, secundario autem ex parte *corporis*, utroque sub adspectu res in una conclusione bimembri determinabitur.

Conclusio.— SACRAMENTI EUCHARISTIÆ EFFECTUS EST ADEPTIO GLORIÆ TUM ANIMÆ TUM QUOQUE CORPORIS.

1ª *Pars* ostend :

1° *Extrinsece.*— *a*) Dicitur enim (Joan. VI, 52) : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum ;* vita autem æterna maxime in gloria animæ visione Dei fruentis consistit.— *b*) Præterea, Eucharistia figurabatur per *manna ;* unde sicut ille cibus Hebræos per desertum ad terram promissionis duxit, ita pronum est ut esca sacramentaria fideles desertum hujus sæculi transeuntes in cœlum subvehat.— *c*) Idcirco, ecclesiastico usu, nominatur esca illa *viaticum*, quatenus in via reficiens ad patriam usque perducit (*S. Th.*, Opusc. LVII, c. 23) ; in cujus figuram legitur (3 Reg. XIX, 8) quod Elias *comedit et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb.*

2° *Intrinsece.*— Sane *a*) hoc sacramentum continet ipsum *Christum ;* qui nobis vitæ æternæ aditum aperuit, eaque jam potitus amicos suos seu gratia donatos ad illam adducit. — *b*) Item, per hoc sacramentum peculiari modo commemoratur atque applicatur *passio* Domini, cujus *morte intercedente* factum est ut *repromissionem accipiant, qui vocati sunt, aeternae haereditatis* (Heb. IX, 15).— *c*) Rursus, Eucharistia nobis exhibetur sub ratione *cibi* spiritualis ; cujus proprium est sustentare vires ad perseverandum in bono[1], donec assequamur patriam ubi nemo amplius esuriat neque sitiat.— *d*) Tandem *unio mystica* Christi et fidelium, per species panis et vini significata, ideo inchoatur in hoc sa-

[1] — Hæc perseverantia robur accipit ex *amore* per Eucharistiam foto qui « operatur magna et reputat parva, operatur multa et reputat pauca, operatur diu et reputat breve » (S. Th., Opusc. LX, *De decem grad. amor.*, gr. 3).

cramento, quia ejus vi consummanda est in societate sanctorum ubi pax erit et unitas plena atque perfecta.

2ª *Pars* probanda ac declaranda est.

1° Huc spectant verba (Joan. VI, 55) : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* — Unde *Patres* sæpe docent ex Eucharistia dependere gloriosam resurrectionem, quatenus est « immortalitatis pharmacum » (S. Ignatius M.) vel « semen » (S. Cyr. Alex.), quo corpora nostra « spem resurrectionis » (S. Iren.) obtinent et homo fit « particeps incorruptionis » (S. Greg. Nyss.)[1].

2° Modus, quo SS. Eucharistia causat resurrectionem corporum, potest intelligi dupliciter[2]: — *a) primo*, ratione *generali*, in quantum confert gratiam et gloriam, cui suo tempore debita est corporis resurrectio ; *b) secundo*, ratione *speciali* quatenus corpus Christi, nobis in hoc sacramento corporaliter associatum, influit in corpore sibi conjuncto resurrectionem et immortalitatem cujus est sedes et fons. Id autem non videtur accipiendum secundum effectionem alicujus qualitatis physicæ in corpore sumentium relictæ (ut quidam ponunt), sed morali quadam affinitate, vel exigentia, vel oppigneratione, secundum quod Christus hoc sacramentum « *pignus* esse voluit futuræ nostræ gloriæ et perpetuæ felicitatis » (*C. Trid.* Sess. XIII, cap. 2).

Solv. obj. — Obj. 1.— Effectus proportionatur suæ causæ. Atqui Eucharistia competit viatoribus nondum capacibus gloriæ. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... i. e. quos non expedit statim *de facto* introduci in gloriam, *C ;* qui nequeant suscipere *jus* ad gloriam vel *virtutem* perveniendi ad illam, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Posita causa sufficienti, ponitur effectus. Atqui multi accipiunt hoc sacramentum qui numquam pervenient ad gloriam. Ergo.

Resp. *D. M*... quantum est *ex parte causæ*, *C ;* quasi non possit oriri impeditio *ex parte subiecti*, *N.*— *C. d. m* :... defectu virtutis sacramenti, *N ;* defectu sumentium qui vel sacramentum suscipiunt sine virtute, vel receptam virtutem peccato intercipiunt, *C.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Majus non efficitur a minori. Atqui minus est accipere Christum sub specie aliena seu sacramentali quam eo frui in specie propria secundum statum gloriæ. Ergo.

[1] — Ap. Sasse, th. XVI.

[2] — Joan. a S. Thoma, Disp. XXX, art. 1.

Resp. *D. M* :... tanquam a causa *principali*, *C* ; tanquam a causa *instrumentali*, *N*.— *C. d. m* :... et esca eucharistica principaliter operatur gloriam, *N* ; instrumentaliter, *C*.— *Neg. conseq.*

ARTICULUS III.

Utrum effectus hujus sacramenti sit remissio peccati tum mortalis tum venialis secundum reatum culpæ et pœnæ.

(Q. LXXIV, aa. 3-5)

1° Titulus per se clarus est, triaque singillatim enucleanda importat ; dubitatur enim utrum sacramento Eucharistiæ conveniat : *primo*, remissio *culpae mortalis* ; — *secundo*, remissio culpæ *venialis* ; — *tertio*, remissio *pœnæ* temporalis,

2° Quantum ad remissionem *culpae mortalis*, recenseri debet error *Novatorum*[1] in ea remissione collocantium effectum primarium Eucharistiæ : ad quem capiendum (juxta ipsos) sola fides sufficit ; nec illi hæretici aliter sentire possunt, si suis principiis de justificatione citra gratiæ infusionem stare velint.

Conclusio 1ª.— Quamvis Eucharistia secundum se virtutem habeat delendi peccatum mortale, illud tamen per se non delet, sed per accidens tantum.— Agitur, ut patet, de sacramento *re* suscepto, non voto solum : quippe liquet posse hominem prius justificari a peccato per *votum* Eucharistiæ, quale v. g. implicite saltem continetur in susceptione sacramentorum Baptismi vel Pœnitentiæ quæ ad Eucharistiam ordinantur.

1ª *Pars* manifesta est : — siquidem hoc sacramentum operatur in virtute Christi quem continet et passionis ejus quam repræsentat ; Christus autem vel ejus passio fons est et causa remissionis omnium peccatorum.

2ª *Pars* sancita est his verbis a *C. Trid.* (Sess. XIII, can. 5) : « Si quis dixerit præcipuum fructum ss. Euch. esse remissionem peccatorum... A. S.» Remissio namque peccati, ubi per se a sacramento producitur, præcipuus effectus recte dici potest.

1° *Scripturae* testimonium suppetit ; dicitur enim (1 Cor. XI, 28-29) : *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne,*

[1] — Cf. Bellarminum, l. IV, c. 17.

judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini. Ubi patet prærequiri ad sumptionem Eucharistiæ *probationem* seu diligens conscientiæ examen quo peccatum grave removeatur ; secus enim *indigne* sumens, nedum mortalium veniam consequatur, judicium seu *condemnationem* sibi manducat et bibit, non discernens corpus Domini ab aliis cibis.

2° Idem *Patres* (prouti refert *Bellarm.* l. IV, c. 18) unanimiter docent ; inter quos eminet *S. Chrysostomus* nihil sæpius repetens quam puros et purgatos esse debere qui ad Eucharistiam accedunt, idque probans multis argumentis et exemplis, puta *exemplo* terreni regis quem nemo audeat inquinato ore osculari.— Hinc semper in Ecclesia *consuetudo* fuit arcendi a communione catechumenos et pœnitentes qui nondum absoluti ac reconciliati sint.

3° Sic ratiocinabimur : — Sacramentum Eucharistiæ nequit effectum producere in eo qui impeditur quominus effectum illum percipiat. Atqui quicumque conscientiam habet peccati mortalis, impedimento hujusmodi laborat. Ergo. *Min. ostend.* Duplici ratione peccator impeditur a percipiendo Euch. effectu : *a*) *primo*, quia *non vivit* spiritualiter, nec proinde ei competit spirituale nutrimentum, quod non est nisi viventis ; *b*) *secundo*, quia vel actu vel habitu secumfert *affectum peccandi* mortaliter, affectus autem istiusmodi penitus excludit unionem cum Christo quæ proprius est Eucharistiæ effectus.

3ª *Pars*, scil. quod *per accidens* Eucharistia possit operari remissionem peccatorum mortalium, a plerisque asseritur (contra *Vasquezium* aliosque nonnullos).

1° Id diserte tradit *S. Thomas* (art. 3), supponens sacramentum « perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam et affectum non habet : forte enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devote et reverenter accedens consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet et remissionem peccati ».— 2° *Ratio* non deest : ubi enim subjectum bene est dispositum seu eam dispositionem affert quæ a sua voluntate pendeat, pronum est divinæque Providentiæ consonum ut sacramentum gratiam producat. Atqui in casu, de quo loquitur S. Thomas, habetur præfata dispositio ; gratia autem quæcumque, etiam in minimo gradu, deletiva est peccati mortalis quod in subjecto pro viribus disposito adinvenit : ergo[1].

[1] — Vid. plura ap. Joan. a S. Thoma, Disp. XXX, art. 2 ; — ap. Gonet, Disp. VIII, art. 1.

Conclusio 2ª.— PER SACRAMENTUM EUCHARISTIÆ REMITTUNTUR PECCATA VENIALIA ; — quod definivit *Tridentina Synodus* vocans illud sacramentum « antidotum quo *liberamur* a culpis quotidianis » (Sess. XIII, cap. 2).

1° *De facto* per Euch. remitti peccata venialia, res est indubitata, quam *Auctor* (art. 4) duplici ratione demonstrat : *a*) *Primo* ex *indole hujus sacramenti*. Sumitur enim Eucharistia sub specie cibi nutrientis, cujus est in corpore restaurare id quod internæ erosionis vi quotidie detrahitur. Atqui in ordine spirituali quotidie in nobis aliquid deperit ex calore concupiscentiæ ad venialia peccata incitante. Ergo.— *b*) *Secundo* ex *re* seu *effectu sacramenti*. Dictum est enim per hoc sacramentum produci seu augeri gratiam exindeque charitatem non solum quoad habitum, sed etiam quoad actum. Atqui charitatis fervor, in quo virtualis saltem displicentia claudatur, tollit peccata venialia sibi opposita[1]. Ergo.

2° Quoad *modum* quo hæc remissio fiat, dubitatio est : quidam enim, ut *Suarez* et *Sylvius*, docent Eucharistiam, non mediante charitatis actu tantum, sed et immediate seu ex opere operato delere venialia ; alii, ut *S. Alph. Lig.* et *Billot*, primum medium duntaxat propugnant.— *a*) Hæc secunda opinio videtur *S. Thomae* dicentis (hic, ad 1) : « Peccata venialia, etsi non contrariantur charitati quantum ad habitum, contrariantur tamen ei quantum ad *fervorem actus* qui excitatur per hoc sacramentum, *ratione cujus* peccata venialia tolluntur[2] ».— *b*) *Ratio* quoque iisdem verbis indigitatur : nimirum unumquodque tollitur per suum oppositum. Sed peccatum veniale contrariatur quidem fervori seu exercitio caritatis, non vero ejus *habitui*, sicut nec ordinationi hominis in Deum (secus mortale esset) : igitur convenit ut mediante actuali cordis motione deleatur.

Conclusio 3ª.— PER HOC SACRAMENTUM ETIAM PŒNA PECCATI REMITTI POTEST, NON QUIDEM DIRECTE, SED CONSEQUENTER.

1ª *Pars*, scil. *non directe* remitti pœnam, ex eo evincitur quod sacramentum Eucharistiæ illum effectum directe sortitur ad quem est institutum. Atqui non est instituta Eucharistia ad satisfaciendum pro peccato, sed ad spiritualiter *nutriendum* secundum conjunctionem animæ cum Christo

[1] — Tantus *potest* esse fervor devotionis, quod omnia venialia peccata deleat : id tamen non semper fit, sed pro devotionis mensura (4 S. D. XII, Q. II, a. 2, qu. 1 ad 1).

[2] — Cf. III, Q. LXXXVII, et 4 S. D. XII, Q. II, a. 2, sol. 1; ubi S. Doctor ex *solo* fervore caritatis venialium remissionem repetit.

ejusque membris. Ergo.— *Conf.* ex distinctione Eucharistiæ a Baptismo : « Sacramentum baptismi directe ordinatur ad remissionem pœnæ et culpæ, non autem Eucharistia, quia Baptismus datur homini quasi commorienti Christo, Eucharistia autem quasi nutriendo et perficiendo per Christum » (art. 5 ad 1).

2ª *Pars* apparet ; quia unitas cum Christo et fidelibus, ad quam producendam Eucharistia ordinatur, fit per charitatem. Porro ex fervore caritatis homo consequitur non solum remissionem culpæ, sed etiam remissionem pœnæ partialem vel totalem, secundum devotionis suæ modum seu quantitatem. Ergo *consequenter* et per quamdam concomitantiam pœna in Eucharistiæ sacramento remitti potest.

Solv. obj. (cont. 1ªm concl.).— Obj. 1.— Ecclesia in quadam Collecta orat ut Eucharistia « sit ablutio scelerum ». Atqui scelera dicuntur peccata mortalia. Ergo.

Resp. *D. M :* . . . petit robur ad *futura* scelera vitanda, *C ;* orat de *præteritis*, *S. d :* petit ablutionem scelerum *ignotorum*, scil. quorum conscientiam non habemus, vel *perfectionem* contritionis de aliis, *C ;* secus, *N.*— *C. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Hoc sacramentum agit in virtute passionis Christi, sicut et baptismus. Atqui per baptismum peccata mortalia dimittuntur. Ergo.

Resp. *D. M :* . . . scil. applicat *eamdem virtutem* passionis Christi, *C ;* eam applicat *eadem ratione*, nempe per modum *regenerationis* et *ablutionis* (quæ duo mortem et maculam peccati gravis supponunt), et non per modum *nutrimenti*, *N.*— *C. d. m.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Per hoc sacramentum gratia confertur. Atqui gratia emundat a peccatis mortalibus. Ergo.

Resp. *D. M :* . . . augmentum gratiæ, *C ;* prima gratia, *S. d : per se*, *N ; per accidens*, *C.*— *D. m :* secundum *sufficientiam* virtutis, *C ; actu*, *S. d :* absolute, *N ;* prout primo datur peccatori, *C.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS IV.

Utrum per hoc sacramentum præservetur homo a peccatis futuris.

Præter insignia ss. Eucharistiæ beneficia jam commemorata, aliud investigationi theologicæ objicitur, num scil. per ipsam *futura* peccata caveantur : peccata intelligo cum venialia (saltem aliqualiter), tum quoque ac præsertim *morta-*

lia.— Ubi opportunitas dabitur expendendi vim Eucharistiæ ad mitigandum *fomitem.*

Conclusio.— Præservatio a peccatis futuris debet effectibus ss. Eucharistiæ adnumerari.— Expresse enim docet *Trid. Conc.* (Sess. XIII, cap. 2) quod per sacramentum illud « a peccatis mortalibus præservamur »; — nec immerito.

1° Etenim legitur (Joan. VI, 49-50) : *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* Hic, testibus interpretibus[1], panis eucharisticus præstare præ manna asseritur duplici discrimine : vid. datur ad vitam animæ, non corporis tantum, tuendam, et vim habet custodiendi illam vitam a morte peccati.

2° *SS. Patres* hanc virtutem laudibus efferunt ; inter quos eminent *S. Joan. Chrysostomus, S. Cyrillus Alex.* et *S. Bernardus ;* postremum hunc audiamus sic eloquentem (Serm. de Cœna Domini, n. 3) : « Duo sacramentum (Eucharistiæ) operatur in nobis, ut vid. et sensum minuat in minimis, et in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut ceterorum hujusmodi, gratias agat corpori et sanguini Domini ».

3° *Ratione* efficax argumentum construitur : — « Peccatum est quædam spiritualis mors animæ. Unde hoc modo præservatur aliquis a peccato futuro, quo præservatur corpus a morte futura ; quod quidem fit dupliciter : *uno modo,* in quantum natura hominis interius roboratur contra *interiora* corruptiva, et sic præservatur a morte per cibum et medicinam ; *alio modo,* per hoc quod munitur contra *exteriores* impugnationes, et sic præservatur per arma quibus munitur corpus » (art. 6). Atqui utroque modo sacramentum Eucharistiæ præservat a peccato : ergo. *Min. decl.* per partes.

1ª *pars :* ss. Eucharistia roborat interius animam, tum ut cibus spiritualis, tum ut spiritualis medicina.— *Primo* ut *cibus,* auget gratiam et virtutes[2], maxime caritatem ; ex quo cor hominis firmatur in bono majoremque resistentiæ vim in perferendo certamine sortitur.— *Secundo* ut *medicina,* minuit ac restinguit concupiscentiæ ardorem ; quod multipliciter suadetur. *a*) Imprimis theologi arguunt ex prophetico oraculo, quod ad sacramentum Euch. pertinere fundata

[1] — Cf. *Curs. Script. sac.,* Knabenbauer, *Comm.* in h. l.

[2] — De virtute castitatis apposita est observatio *D. Thomae* (Opusc. LVII, c. 24) : « Sicut bonum nutrimentum facit ad decorem corporis, sic deliciae cibi spiritualis ad pulchritudinem castitatis ».

sententia est[1], scil. (Zach. IX, 17) : *Quid bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines ? b*) Inter *Patres* sic loquitur *S. Cyrillus Alex.* (in Joan. l. IV, c. 2, in fin.) : « Christus existens in nobis sopit sævientem in nostris membris carnis legem, pietatem in Deum exsuscitat, perturbationes mortificat ». *c*) Non aliter de eodem sacramento *Catech. Trid.* (P. II, n. 55) : « Carnis libidinem cohibet ac reprimit : dum enim charitatis igne animos magis incendit, concupiscentiæ ardorem restinguat necesse est ». *d*) *Ratio* est quia, intensificato appetitu rerum divinarum, proportionaliter minuitur intensitas appetitus rerum terrestrium. *e*) Imo plures existimant corpus Christi in sacramento aliquid de sua puritate immediate præstare corporibus sumentium, etiam per *physicam* quamdam humorum temperationem[2].

2ª *pars :* ss. Eucharistia confortat insuper contra exteriores impugnationes : tum quia signum est *dominicae passionis*, per quam debellati sunt dæmones ; tum quia continet *ipsum Christum*, quo sane munimento nihil efficacius contra quamcumque spiritualem aggressionem. Hinc *S. Cyprianus* scribebat (Epist. 54, n. 4) « non esse idoneum ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium, quia mens deficit quam non recepta Eucharistia erigit et accendit ». Et *S. Chrysost.* (Hom. 46 al. 45 in Joan. n. 3) : « Ab illa ergo mensa recedamus tanquam leones ignem spirantes, diabolo terribiles », etc.

Hæc *confirmantur* nuperrimo S. C. Concilii decreto (20 dec. 1905), ubi legitur : « Desiderium Jesu Christi et Ecclesiæ... in eo potissimum est ut Christifideles, per sacramentum Deo conjuncti, robur inde accipiant ad compescendam libidinem, ad leves culpas quæ quotidie occurrunt abluendas, et ad graviora peccata, quibus humana fragilitas est obnoxia, præcavenda ».

Solv. obj.— Obj. 1.— Multi digne sumentes Eucharistiam postea in peccatum cadunt. Atqui sacramentum præservans a peccatis futuris id non sineret. Ergo.

Resp. *D. M :...* vitio *Eucharistiae, N ;* vitio *liberi arbitrii*, juxta cujus versatilem conditionem effectus Euch. recipitur, *C.— C. d. m :* sacramentum auferens homini *possibilitatem peccandi* per liberum arbitrium... *C ;* præservans a peccatis *quantum est de se* tantum, *N.— Neg. conseq.*

[1] — Cf. Cornel. a Lapide, in h. l.

[2] — Vid. Joan. a S. Thoma, Disp. XXX, art. 1, n. 7.

Obj. 2.— Eucharistia est sacramentum charitatis. Atqui charitas, utpote amissibilis per peccatum, non præservat a peccato. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... i. e. non tollit *mutabilitatem* nativam humanæ voluntatis, *C ;* non addit *vires* quæ huic mutabilitati mederi possint in vitando peccato, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Peccatum in nobis maxime provenit ex fomite. Atqui mitigatio fomitis non videtur esse effectus Eucharistiæ, sed magis baptismi. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m* :... *directe, C ; indirecte* et ex quadam consequentia, *N.*— *Neg. conseq.*[1]

ARTICULUS V.

Utrum hoc sacramentum prosit aliis quam sumentibus.

1° Determinatis sacramenti Eucharistiæ effectibus, sub eadem quæstione inquirendum offertur *quibus generatim* prosint, num sumenti tantum vel etiam aliis (de qualitate enim sumentis mox dicetur in quæst. de *subjecto*).— Cum autem Eucharistia non solum sit sacramentum, sed etiam sacrificium, pro instituto a nobis ordine modo de *sacramento* duntaxat loquemur, infra vero de sacrificio.

2° Quidam, *Suarezii* (Disp. LXIII, s. 10, n. 5) vestigia persequentes, tenent communionem aliis prodesse, quatenus *de se* seu ex genere operis satisfactoria et meritoria esse ponitur ; alii e schola *D. Thomae*, accuratius distinguentes inter ipsam receptionem sacramenti Eucharistiæ et ea quæ vel dispositive, vel concomitanter, vel consequenter ad eam pertinent, docent communionem non primo modo seu secundum se utilem esse aliis, sed altero modo tantum : iis assentimur.

Conclusio.— Sacramentum Eucharistiæ directe et per se non prodest nisi sumenti, indirecte tamen seu secundum ea quæ sibi sunt annexa prodesse potest aliis.

1ª *Pars* evincitur.

1° Indubium habetur suffragium *S. Thomae*, qui heic (art. 5) statuit sumentibus quidem Eucharistiam prodesse ut sacramentum et sacrificium, non sumentibus vero ut sacrificium tantum ; unde (resp. ad 3) : « Ex hoc, inquit, quod ali-

[1] — De variis effectibus ss. Eucharistiæ plura edisserit *S. Thomas* (Opusc. LVII jam cit.).— Vid. quoque *Somme de la Prédication eucharistique*, par le R. P. Tesnière : *La sainte Communion*, t. 1-2.

quis sumit corpus Christi, vel etiam plures, non accrescit *aliis* aliquod juvamentum ». Item (*Comm.* in Joan. VI, lect. 6, n. 7) : « Nec si laicus sumat hoc sacramentum, prodest aliis quantum est ex opere operato, in quantum consideratur ut perceptio... Ex quo patet quod laici sumentes Eucharistiam pro his qui sunt in purgatorio errant ». Quibus locis S. Doctor manifeste loquitur de sacramento Eucharistiæ sensu proprio et formali seu quantum ad ea quæ *per se* ei conveniunt.

2° *Rationes* suasoriæ præsto sunt.— *a*) Etenim imprimis commune est *omnibus sacramentis*, ex fine proximo sibi præstituto, ut solis recipientibus *per se* proficiant ; quod diserto eloquio docet *Angelicus* (Suppl. Q. XIII, a. 2 ad 2) : « Non potest unus sacramentum pro alio accipere, quia in sacramento gratia suscipienti datur, non alii ».— *b*) Si vero ad indolem propriam sacramenti Eucharistiæ respiciamus, id ipsum penitus convincitur : siquidem hoc sacramentum exhibetur *sub ratione cibi :* cibus autem per se et immediate nonnisi sumenti utilitatem affert. Quis enim manducet pro alio? — *c*) Ad hæc, *proprius*, intrinsecus ac formalis agendi modus sacramentorum N. L. est *ex opere operato ;* porro, fatentibus ipsis contradictoribus, ss. Eucharistia nihil producit ex opere operato nisi in eo qui illam sumit.— *d*) Demum (et hoc quidam theologi non satis advertunt) satisfactio, prouti persuadet sensus communis, requirit aliquid *poenale*, juxta verba *S. Thomae* (Suppl. Q. XV, a. 1) : « Ad hoc quod aliquod opus sit satisfactorium, oportet quod sit pœnale, ut per hoc aliquid peccatori subtrahatur »; communio autem *in se* sumpta seu præcisione facta ab adjunctis nihil pœnalitatis continet[1], sed e contra animam cœlestis voluptatis sensu inundat atque lætificat. Immo quia *receptio* sacramenti, qua talis, passionem dicit magis quam actionem, meritum (ad quod actus probabilius requiritur) ubi communicanti accedit, non jam ex communione ipsa seu ex genere rei, sed ex actibus circumstantibus quos adulti perficiunt desumendum est.

2ª *Pars* ab omnibus, ut puto, admittitur.

1° Huc pertinent quæ *S. Thomas* scribit de baptismo (4 S. D. XLV, Q. II, a. 3, qu. 1 ad 3), nempe quod « ex opere operante vel baptizantis vel baptizati possit aliis prodesse, sicut et cætera opera meritoria ». A fortiori enim Eucharistia, « cum sit sacramentum ecclesiasticæ unionis, continens illum in quo tota Ecclesia unitur et consolidatur, scil. Chri-

[1] — Cf. Catech. Trid., P. II, n. 78.

stum » (*ibid.* sol. 1), modo prædicto, videlicet indirecte et ex opere operantis seu communicantis, aliis proficere posse judicabitur.— In hunc sensum (et non aliter) valere censendus est *usus Christifidelium* offerentium pro aliis, sive vivis sive defunctis, suam communionem aut ejus fructus.

2° Enimvero plura sunt *communioni annexa* quæ aliis prodesse intelliguntur sive per modum *impetrationis* ac *meriti de congruo*, sive per modum *satisfactionis* : — *a*) nimirum præviæ dispositiones, ut confessio, jejunium, animi desideria, etc.; — *b*) actus virtutum, præsertim caritatis, humilitatis, religionis, quos quis in sacra mensa adeunda proximoque tempore elicit (cf. supra, art. 3.— *c*) orationes fervidiores quæ, præsente Christo impellenteque uberiori gratia, coram Deo effunduntur ;—*d*) indulgentiæ diversæ quas tunc sæpe sæpius, Ecclesia concedente, facultas est maxime in defunctorum utilitatem lucrandi.

3° Igitur mirum non est quod *S. C. Indicis* sub Innoc. X proscripserit (dec. 1646) librum *Theoph. Raynaudi*, quo communionem pro mortuis *indiscriminatim* et comprehensive sumptam, seu prout comprehendit omnia sibi adsociata, auctor ille (ut fertur) impugnabat tanquam errorem popularem, piam fraudem et sordem non ferendam : patet enim commenti hujus falsitas et consectariorum noxia.

4° Cæterum utiliter fideles hæc monebuntur : *primum*, merita atque satisfactiones, quæ inter communicandum Deo in proximi gratiam offeruntur, non jam a mero facto communionis in se sumpto, sed a vi dispositionum, actuum ac orationum personalium dependere, quibus eapropter maxime insistendum est ; *secundo*, non esse ideo reputandum quod quisque etiam frequenter communicans possit sine suî vel aliorum præjudicio negligere reliqua opera quæ per se seu directa utilitate ad satisfaciendum ordinantur, quæque Ecclesia summopere commendat.

ARTICULUS VI.

Utrum per veniale peccatum impediatur effectus hujus sacramenti.

Reliquum est ut dicamus de dispositionibus ad effectum sacramenti Eucharistiæ requisitis, quibus deficientibus effectus ille *impeditur*.

1° Satis constat peccata mortalia (excepto casu accidentali quem recensuimus) obstare prorsus effectui illi percipiendo (vid. supra, art. 3) ; unde dubium nunc proponitur de pecca-

tis *venialibus*. Hæc autem peccata dupliciter accipi possunt : *uno modo*, prout sunt præterita et in habitu tantum manentia ; *alio modo*, prout sunt actu exercita vel affectu vigentia.

2° Licet omnes concedant peccata venialia, hoc ultimo modo spectata, prohibere effectum *actualis* refectionis, controversia est de augmento gratiæ *habitualis*, num scil. per defectum actualis devotionis prohibeatur : antiqui plures, ut *Halensis*, *Durandus*, *Paludanus*, affirmant ; plerique tamen alii cum *Suarezio*, *Sylvio*, *Gonet*, verius negant.

Conclusio 1ª.— VENIALIA PRÆTERITA MINIME IMPEDIUNT EFFECTUM SACRAMENTI EUCHARISTIÆ, SED VENIALIA ACTU VEL AFFECTU EXISTENTIA, PARTIALITER SALTEM, EIDEM EFFECTUI OFFICIUNT.

1ª *Pars* de facili ostenditur.— Etenim nihil quod removetur per actionem alicujus causæ, potest impedire ejus effectum. Atqui ex præcedentibus compertum est peccata venialia, quorum affectus non remanet, tolli per Eucharistiam sub influxu prævalente charitatis. Ergo si quem contingat post multa venialia commissa devote accedere ad hoc sacramentum, plenarie ejus effectum consequetur.

2ª *Pars* prob.—Effectus sacramenti Eucharistiæ non est solum adeptio majoris gratiæ vel charitatis habitualis, sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis. Atqui huic refectioni seu fervori actuali manifeste contradicit, vel ex toto vel ex parte, mentis divagatio qua quis aut peccatis venialibus actu indulget aut venialium affectu qualicumque in alia distrahitur. Ergo.— Dixi « vel ex toto vel ex parte »; apposite enim scribit *S. Thomas* (4 S. D. XVI, Q. II, a. 1 qu. 1 ad 2) : « Quodlibet peccatum mortale opponitur cuilibet quamtumcumque parvæ caritati; non autem quodlibet veniale opponitur cuicumque fervori caritatis. Dicitur enim fervor caritatis per similitudinem, secundum quod ad exteriora quodammodo ebulliendo refunditur. Ex illa autem parte qua veniale committitur, caritatis fervor non apparet, sed aliquid præter caritatem. Unde quamvis sit fervor caritatis quantum ad aliqua, potest tamen esse tepiditas quantum ad alia ; et sic non quilibet fervor opponitur cuilibet veniali ».

Conclusio 2ª.—LONGE PROBABILIUS EST DEFECTU ACTUALIS DEVOTIONIS NON PRÆPEDIRI IN SUSCIPIENTE EUCHARISTIAM AUGMENTUM GRATIÆ ET CARITATIS HABITUALIS, QUAMVIS AUGMENTUM ILLUD EA DE CAUSA IN MINORI GRADU HABEATUR.

1ª *Pars* prob : — 1° auctoritate *D. Thomae* qui expresse dicit (art. 8) : « Si aliquis accedat ad hoc sacramentum per peccata venialia mente distractus, *non tollitur augmentum habitualis gratiae* vel charitatis » (cf. *ibid.* ad 1).— Non diffitemur dubia videri verba quæ leguntur (4 S. D. XII, Q. II, a. 1, sol. 3), ubi docet *Angelicus* fieri posse ut, deficiente actuali devotione, absque peccato mortali « aliquis augmentum gratiæ non consequatur ». At *a*) inprimis novimus præferendam esse sententiam in *Summa* enunciatam. *b*) Præterea, ibi agit S. Doctor de *plenario* effectu sacramenti, ideoque recte dixeris ipsum in allato textu negare augmentum gratiæ *actualis*, non tamen habitualis.

2° *Ratione.*— *a*) Sacrilegum per se videtur accedere ad sacramentum Eucharistiæ sine ea dispositione qua aliquis saltem ejus fructus capi valeat ; id enim gravem injuriam irrogat sacramento. Atqui ex omnium consensu et *C. Trid.* (Sess. XIII, cap. 7) ad vitandam communionem sacrilegam hoc requiritur et sufficit, ut quis *conscius non sit peccati mortalis*. Ergo in ea conditione et citra actualem devotionem potest communicans aliquem fructum Euch., scil. aliquale augmentum gratiæ habitualis, percipere.— *b*) Præterea, ut arguit *Gonet* (Disp. VII, a. 3), « sacramenta N. L. conferunt gratiam non ponentibus obicem. Sed accedens ad hoc sacramentum cum veniali aut sine actuali devotione, non *ponit obicem* gratiæ habituali, cum nec carentia actualis devotionis, nec peccatum veniale gratiæ et charitati (scil. habituali) opponatur. Ergo etc.».

2ª *Pars* vix declaratione eget : minus enim se disponenti pronum est ut minor gratiæ gradus conferatur. Hinc *S. Bonaventura* non dubitat asserere (4, D. XII, p. 2, a. 1, q. 1) quod « si justus ex quodam torpore vel ex distractione non se debite præparet, aut nullam[1], aut modicam reportat efficaciam, quamvis non incurrat mortalem offensam ».

[1] — Quod tamen severius est.— Rigidius item, licet non omnino spernendum, est quod scribit *Cajetanus* (in h. l.), carpens sacerdotes distracto animo quotidie celebrantes « qui tamen seipsis meliores non quotidie fiunt ».— Argumentis rigidioris sententiæ occurrunt *Sylvius*, *Gonet*, etc.— Accedunt verba S. C. Concilii (decr. 20 dec. 1905) : « Etsi quam maxime expediat ut frequenti et quotidiana Communione utentes venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se numquam in posterum peccaturos: quo sincero animi proposito, fieri non potest quin quotidie communicantes a peccatis etiam venialibus, ab eorumque affectu sensim se expediant ».

DISPUTATIO SEPTIMA

DE SUBJECTO VEL USU ET DE MINISTRO EUCHARISTIÆ

Ipsa tituli enunciatio indicat geminam esse hujus disputationis partem, unam quidem de *usu* ss. Eucharistiæ seu, quod idem est, de subjecto utente (Q. I), alteram de *ministro* conficiente (Q. II) : quibus in quæstionibus summa duntaxat principia attingemus, cætera moralistis relinquentes.

QUÆSTIO PRIMA

DE SUBJECTO ET USU EUCHARISTIÆ

Præsens argumentum considerari poterit vel *in communi* (art. 1-6), vel *specialiter* quoad rationem qua Christus usus est hoc sacramento (art. 7).— In communi vero hæc inquirenda se præbent : *quot modis* corpus Christi manducetur (art. 1), *a quibus* hæc manducatio fieri possit (art. 2), quibus *impedimentis* vel ex peccato (art. 3), vel ex inconvenientia provenientibus (art. 4) prohibeatur, qualiter *praecipiatur* sive quoad tempus (art. 5), sive quoad ritum communicandi sub *una vel utraque specie* (art. 6).

ARTICULUS I.

De modis manducandi corpus Christi.

Quæstio de sumptione sacramenti Eucharistiæ nequit plene pertractari nisi prius comperti habeantur diversi *modi* quibus corpus Christi manducari valeat.— His autem modis non solet annumerari sumptio corporis Christi per animal brutum, utputa per canem ; quia etsi contra quosdam et ad tuendam sacramenti veritatem arbitrandum sit etiam tunc Christi corpus consecrata specie permanere, nihilominus sumptio illa *materialiter* tantum et *per accidens* se habet

(art. 3 ad 3).— Duarum conclusionum ambitu doctrinam Auctoris claudemus.

Conclusio 1ª.— RECTE DIVIDITUR IN USU EUCHARISTIÆ MANDUCATIO SACRAMENTALIS TANTUM CONTRA SACRAMENTALEM SIMUL ET SPIRITUALEM.— Huc spectat decretum *Trid.* (Sess. XIII, can. 8) : « Si quis dixerit, Christum in Eucharistia exhibitum spiritualiter tantum manducari, et non etiam sacramentaliter et realiter, A. S.»

1° Revera, in sumptione hujus sacramenti duo considerare est, scil. ipsum sacramentum et effectum ejus : porro evidens est *perfectum* sumendi modum haberi, quando quis ita suscipit sacramentum quod ejus effectum etiam percipiat ; *imperfectum* vero, si sumens a percipiendo effectu sacramenti impediatur Atqui imperfectum, quod non pertingit ad perfectionem speciei, recte dividitur contra perfectum, v. g. animal contra hominem (animal rationale). Ergo sacramentalis manducatio, per quam sumitur solum sacramentum absque effectu, merito distinguitur a sacramentali simul et spirituali manducatione per quam quis percipit una cum sacramento effectum quo spiritualiter seu per fidem et charitatem Christo conjungitur.

2° Quia effectus sacramenti potest ab aliquo percipi per solum sacramenti *votum*, inde fit quod sacramentum Euch. potest spiritualiter manducari, antequam sacramentaliter sumatur ; idque dicitur *communio spiritualis*.— Quo perspecto, *Conc. Trid.* (Sess. XIII, cap. 8) *tres modos* recenset *sumendi* ss. Eucharistiam ; ait enim : « Sapienter patres nostri tres rationes hoc sanctum sacramentum accipiendi distinxerunt. Quosdam enim docuerunt *sacramentaliter duntaxat* id sumere, ut peccatores ; alios *tantum spiritualiter*, illos nimirum qui voto propositum illum cœlestem panem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus et utilitatem sentiunt ; tertios porro *sacramentaliter simul et spiritualiter :* hi autem sunt qui ita se prius probant et instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant ».

Conclusio 2ª.— LICET COMMUNIO SPIRITUALIS DEBITIS VESTITA CONDITIONIBUS SIT VALDE UTILIS, NON TAMEN POST EAM SUPERFLUIT COMMUNIO ETIAM SACRAMENTALIS.

1ª *Pars* patet ex verbis *Conc. Trid.* mox citatis ; ubi assignantur tanquam *conditiones* communionis spiritualis, præter desiderium sumendi sacramentum Euch., « fides viva quæ per dilectionem operatur » seu fides formata per caritatem. Has conditiones expresserat *D. Thomas* (4 S. D. IX, Q. I, a. 2,

qu. 4) dicens illum tantum spiritualiter manducare sacramentum Euch. « qui habet fidem et caritatem ad Christum cum devotione et proposito sumendi hoc sacramentum, etiam si sacramentaliter non manducet ».— *Utilitatem* communionis spiritualis demonstrant et sanctorum praxis et hujus pii desiderii intima connexio cum manducatione sacramentali : quod desiderium die noctuque multoties iterari potest[1].

2ª *Pars* ita decl. ex *D. Thoma* (4 S. *l. cit.* ad 1) : « Sicut, inquit, baptizatus baptismo flaminis emundationem consecutus est propter propositum baptismi sacramentalis, et accipiens sacramentum ampliorem gratiam consequitur ; ita etiam qui spiritualiter manducavit, in proposito et devotione habuit manducationem sacramentalem, ad quam accedens *ex ipsa vi sacramenti* majorem gratiam consequitur ; unde non sequitur quod sacramentalis manducatio superfluat ».

ARTICULUS II.

De iis quibus convenit sumptio Eucharistiæ.

(Q. LXXX, aa. 2-3)

In determinando subjecto Eucharistiæ, quæstio, ut patet, esse non potest nisi de creaturis intellectu præditis.— Cum autem alia sit manducatio spiritualis, alia manducatio sacramentalis, tum *Angelus* tum *homo*, isque vel *absolute* vel *ut peccator* spectatus, sub præsentem considerationem cadunt. — Propositam doctrinam in duabus conclusionibus aperiemus.

Conclusio 1ª.— LICET ANGELUS POSSIT QUODAMMODO CHRISTUM SPIRITUALITER MANDUCARE, TAMEN MANDUCATIO SACRAMENTI NON COMPETIT NISI HOMINI BAPTIZATO ET VIATORI.

1ª *Pars* ex eo innotescit, quod in sacramento Eucharistiæ continetur ipse Christus, non quidem in specie propria, sed in specie sacramentali. Porro Angeli in cœlis Christo secundum speciem propriam existenti uniuntur et visione manifesta et perfectæ charitatis fruitione ; manducatio autem spiritualis in spirituali conjunctione cum Christo consistit. Ergo Angeli boni spiritualiter *Christum* manducant.— Non tamen eis convenit spiritualiter manducare *sacramentum* eucharisticum ; siquidem *a*) capaces non sunt sumendi species sacramentales, nec proinde desiderandi hanc sumptionem conditioni nostræ accommodatam. *b*) Ideo autem homo dicitur

[1] — Plura de ea re habet *S. Thomas* (Opusc. LVII, c. 19).

manducare *panem angelorum*, quia sub specie sacramentali accipit eum cibum seu Christum quo perfectius et in termino patriæ jamdudum angeli in specie propria delectantur (art. 2).

2ª *Pars*, supposito ex dictis quod *homo* tantum sit capax manducandi sacramentum Eucharistiæ, duo subjicit, nempe hanc manducationem competere soli homini *baptizato* nec non *viatori :*

1° Soli *baptizato :* — baptismus enim, sicuti Ecclesiæ, ita et sacramentorum, quæ penes eam sunt, janua recte nominatur.— Unde *infidelis*, sumens species sacramentales, proprie et simpliciter loquendo non manducaret sacramentum (art. 3 ad 2) ; nec, si forte intenderet recipere quod Ecclesia confert, nempe ipsum Christum, gratiam consequeretur ex opere operato.

2° Soli *viatori :* — *a*) Referunt historici[1] morem olim invaluisse dandi ss. Eucharistiam *mortuis :* quod ortum videtur ex simplicitate fidelium existimantium viatici subsidia inde defunctis obvenire. Hunc abusum damnarunt plura concilia, utputa *Carthag. III*, c. 6 : « Placuit, ut corporibus defunctorum eucharistia non detur ; dictum est enim a Domino : *accipite et edite* ; cadavera autem nec accipere possunt nec edere[2]».— *Beatis* quoque non competere sacramenti Euch. manducationem, nimis evidens est : sicuti enim alia sacramenta, ita et sacramentum istud proportionatur statui viæ et fidei, per quam homo credit Christum sibi invisibiliter præsentem gratiæque munere sub signis sensibilibus auxiliantem, antequam illum visibiliter triumphantem in cœlis aperta visione contempletur.

Conclusio 2ª.— PECCATOR, ETSI NON SPIRITUALITER, SACRAMENTALITER TAMEN CORPUS CHRISTI MANDUCARE POTEST.

1ª *Pars* consideranti cuique mox apparet : — *a*) Constat enim ex dictis (Disp. præc.) sacramentum Euch. esse sacramentum *vivorum* nec, nisi per exceptionem, ad peccati mortalis deletionem conferre ; unde proprius ejus effectus, utpote supponens primam gratiam mortalium deletivam, nequit a peccatore percipi.— *b*) Quin imo accedens ad illud sacramentum cum conscientia peccati mortalis sacrilegium committit (ut dicetur in art. seq.) ; quod certe spiritualem manducationem præcludit.

[1] — Ita Kraus, *Hist. de l'Eglise*, vol. I, p. 360 (3a ed. gallica).

[2] — Alter usus huic affinis longius perstitit, quatenus nempe veluti ad protegenda defunctorum corpora hostia consecrata supra pectus mortuorum deponebatur et cum eis sepeliebatur.

2ª *Pars* dirigitur contra *quosdam antiquos* censentes corpus Christi tam cito sub speciebus esse desinere quam cito labiis peccatoris tangatur, facileque ostendi potest :

1° *Directe:* etenim ad veritatem sacramenti Eucharistiæ pertinet ut, quoad species maneant, corpus Christi sub eis esse non desinat. Atqui species eucharisticæ manent etiam in ore peccatoris : ergo. *Min.* evincitur ex eo quod illæ species tamdiu perseverant quamdiu perseveraret substantia panis, si ibi adesset. Manifestum est autem substantiam panis non ideo ab essendo cessare quia a peccatore assumitur, sed manere quamdiu non sit per digestionem specifice corrupta. Ergo.

2° *Indirecte :* nam « ex hoc quod corpus Christi sumitur a peccatoribus, nullo modo aliquam immunditiam contrahit : quia labia peccatoris non tangunt nisi species, sub quibus secundum veritatem est corpus Christi ; et præterea in hoc dat exemplum mansuetudinis et humilitatis » (4 S. D. IX, Q. I, a. 2, qu. 1 ad 3).— *Conf.* ab exemplo consecratæ hostiæ vel a mure manducatæ vel in lutum projectæ, quin corpus Christi sub speciebus illis esse desinat : « nec hoc, ait *S. Thom.* (art. 3 ad 3), vergit in detrimentum dignitatis corporis Christi, qui voluit a peccatoribus crucifigi absque diminutione suæ dignitatis ».

ARTICULUS III.

De impedimento peccati.

(Art. 4-5)

Succedit sermo de *impedimentis* quæ obstant receptioni fructuosæ sacramenti Eucharistiæ, quorum primum ac præcipuum, modo considerandum, consistit in statu *peccati mortalis :* hic enim status, nedum impediat effectum sacramenti, peccatum peccato adjicit seu communionem sacrilegam reddit.— Cum *Auctore* duo inquiremus: *num* scil. peccator accedens ad sacram mensam reapse peccet graviter, et *quaenam* sit relativa seu comparativa hujus peccati gravitas.

Conclusio 1ª.—Nisi peccator debita pœnitentia se ad ss. Eucharistiam suscipiendam disposuerit, sumendo corpus Christi mortaliter peccat seu sacrilegium incurrit.— Notetur hic sermonem esse de peccatore conscio peccati mortalis vel *formaliter* vel *aequivalenter :* contingere enim potest quod aliquis non habeat conscientiam sui peccati ex *culpa propria*, quia vel ignorat jus ignorantia inexcusabili,

vel negligens est in sui ipsius examinatione ; unde iste peccatoribus formalibus adnumerandus est (art. 4 ad 5).

1ª *Pars*, de requisita in peccatore *poenitentia* ad Eucharistiam rite suscipiendam, satis decl. ex *Conc. Trid.* (Sess. XIII, cap. 7) : « Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte ; certe, quo magis sanctitas et divinitas cœlestis hujus sacramenti viro christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat, præsertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum : *Probet autem seipsum homo.* Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quamtumvis sibi contritus videatur, absque præmissa *sacramentali confessione* ad sacram Eucharistiam accedere debeat ». Hæc repetens *Codex* subdit (can. 856) : « Quod si urgeat necessitas ac copia confessarii illi desit, actum perfectæ contritionis prius eliciat.» Cf. quæst. præc. art. 3.

2ª *Pars* prob :

1° Mortale est graviterque sacrilegum abuti aliquo sacramento atque per abusum illud violare vel exhonorare. Atqui triplici ratione peccator, accedens ad SS. Euch., hanc injuriam infert sacramento : ergo. *Maj.* patet ex definitione sacrilegii ; cujus malitia in eo est quod « violatur res sacra per aliquam irreverentiam » (II-IIæ, Q. XCIX, a. 2). *Min. ostend.* per partes : *a) primo*, ratione *sacramenti ipsius.* Nam « hoc sacramentum *in modum cibi* proponitur ; cibus autem non competit nisi viventi : unde si carens vita spirituali per peccatum mortale accipiat hoc sacramentum, abutitur ipso » (4 S. D. IX, Q. I, a. 3, qu. 1).— *b) Secundo*, ratione *rei contentae :* hæc enim « est ipse Christus, qui est *sanctus sanctorum ;* unde receptaculum ejus debet esse sanctum ; et ideo si aliquis cum contrario sanctitatis corpus Christi sumat, sacramento abutitur » (*ibid.*) — *c) Tertio*, ratione *rei significatae :* significatur enim per sacramentum tum corpus Christi verum, tum corpus ejus mysticum quod est societas sanctorum, adeo ut quicumque Eucharistiam sumit, eo ipso demonstret se esse Christo unitum et membris ejus incorporatum. Jamvero hoc non fit nisi per fidem caritate formatam, quam peccatum mortale excludit. Ergo quicumque cum peccato mortali Eucharistiam sumit, falsitatem in hoc sacramento committit.

2° Præterea ex solutione obj. (art. 4) veritatis *confirmationem* colligimus.— *a*) Ideo Christus *sub propria specie*

apparens convenienter *peccatoribus se tangendum exhibebat*, quia ex una parte gerebat adhuc similitudinem carnis peccati, ex altera vero per hoc intendebat peccatores convertere. At sub specie sacramentali Christi caro per gloriam resurrectionis longe distat a carne peccati ; nec ipse in hoc sacramento se nobis tradit in finem conversionis, sed in signum spiritualis unionis : ergo (resp. ad 1).— *b*) Rursus « non quælibet medicina competit secundum quemlibet statum infirmitatis ; nam medicina quæ datur jam liberatis a febre ad confortationem, noceret, si daretur adhuc febricitantibus. Ita etiam baptismus et pœnitentia sunt quasi medicinæ *purgativae*, quæ dantur ad tollendam febrem peccati ; hoc autem sacramentum est medicina *confortativa*, quæ non debet dari nisi liberatis a peccato » (resp. ad 2) : secus nocumentum infert.

Conclusio 2ª.— PECCATUM SACRILEGÆ COMMUNIONIS EX PARTE OBJECTI ET PER SE, ETSI NON SIT OMNIUM GRAVISSIMUM, EST TAMEN MULTIS ALIIS GRAVIUS.— Dico *ex parte objecti* et *per se ;* nam *ex parte peccantis* et *per accidens*, v. g. ob circumstantias ignorantiæ vel certæ scientiæ, infirmitatis vel contemptus, etc., aliter se res habere potest. « Istud peccatum in quibusdam potest esse gravius, sicut in his qui ex actuali contemptu cum conscientia peccati ad hoc sacramentum accedunt ; in quibusdam vero minus grave, puta in his qui ex quodam timore, ne deprehendantur in peccato, cum conscientia peccati » sacram mensam adeunt (art. 5).

1ª *Pars* ostend :

1° *Absolute.*— Tanto enim gravius est peccatum, quanto id contra quod peccatur præstantius existit. Atqui divinitas secundum se vel Christi humanitas sub specie propria quiddam præstantius sunt quam sacramenta vel Christi humanitas sub specie sacramentali. Ergo peccata quæ directe committuntur in *ipsam divinitatem* vel quæ *humanitatem Christi sub propria specie* impetunt, graviora sunt quam peccatum sacrilegæ communionis, quo Christi corpus sub specie sacramentali offenditur.

2° *Inductive* (ex resp. ad obj.).— *a*) Per peccatum *infidelitatis* et *blasphemiae* ipse Deus in seipso contemnitur, et idcirco peccata ista sunt omnium gravissima. Quam ob rem, licet secundum quid peccatum fornicationis, quo maxime spiritus carni subjicitur, magis reddat hominem ineptum ad communicandum quam alia peccata (magis enim tollit fervorem dilectionis) ; tamen, *simpliciter* loquendo, infidelis sumens corpus Christi *indignior* manducat, præsertim cum ex

defectu fidei sacramentum in seipso offendat ; fidelis peccator vero, veritatis luce donatus[1], *indignius* sacramento utitur.— *b*) Peccatum sacrilegæ communionis quodammodo assimilatur *peccato occisorum* Christi, quia utrumque committitur contra corpus Christi, vel peccato *Judae Christum osculantis*, quatenus in utroque Christus ex signo charitatis offenditur. Verum eadem non est criminis quantitas : peccatum enim crucifixorum et Judæ longe gravius fuit, tum quia attingebat corpus Christi in specie propria, tum quia procedebat ex intentione directe nociva Christo.— *c*) Tandem qui *corpus Christi in lutum projiceret* magis quoque peccaret quam manducans peccator. Ratio est, quia manifesta foret illius intentio *injuriam directe irrogandi* sacramento, istaque injuria eo gravior foret quod peccator est *capax gratiae sacramentalis*, ens vero irrationale nequaquam.

2ª *Pars* facile intelligitur : — gravius est enim Deum contemni in suis sacramentis maximeque in sacramento sui corporis, prout fit per communionem sacrilegam, quam contemni in suis membris vel puris creaturis de quibus sunt multa præcepta mortaliter transgressa. Hinc, recte concludit *Angelicus* (4 S. D. IX, Q. I, a. 3), « peccatum de quo nunc agitur neque est omnium gravissimum, neque est omnium minimum ; sed est *medium* inter peccata quæ committuntur in Deum, et alia peccata quæ committuntur in proximum vel in seipsum ».— *Subnotare* juvat *mala* quæ S. Doctor (Opusc. LVII, c. 18) veluti communionis sacrilegæ *effectus* recenset ; ait enim : « Si qui irritam legem Moysi fecerit, sine ulla miseratione moritur, quanto deteriora supplicia meretur qui Filium Dei conculcaverit et sanguinem testamenti pollutum duxerit ! Hæc supplicia possunt dici triplices plagæ : prima, multa damna spiritualium bonorum ; secunda, sterilitas terræ sive caristia temporalium ; tertia, pestes corporum et strages hominum ». Cf. *S. Cyprianum* (l. de Lapsis, n. 26)[2].

[1] — Huic peccatori præcipue applicantur verba *S. Thomae* (Opusc. LVII, c. 18) : « Quæ (ingratitudo), inquit, potest esse major quam si quis habens dominum, a quo accepisset quidquid boni haberet, et qui ipsum insuper morte sua de suspendio liberasset, eumdem dominum in stabulum immundissimum inimici sui traditione duceret, et ibi conculcaret, et rursus occideret ? Tanta ingratitudine peccant, qui corpus Domini sumunt in peccato mortali ».

[2] — In articulis sequentibus (6-7) materiam pertractat *S. Thomas* quæ convenientius moralistis relinquitur.

ARTICULUS IV.

De impedimentis ex inconvenientia.

(Art. 8-9)

1° Impedimenta *defectu convenientiae* ea in proposito nominamus quæ, etsi secundum se ss. Euch. sacramento non repugnent, attamen minus decent tam augustum mysterium proptereaque ab Ecclesia sunt prohibita : quorum unum est *ex parte corporis*, scil. præassumptus cibus vel potus, alterum vero se tenet *ex parte animae*, scil. carentia usus rationis.

2° Quantum ad primum, *a*) licet initio juxta exemplum ipsius Christi usus haud raro obtinuerit sumendi Eucharistiam post agapas[1], brevi tamen, conviviis illis cessantibus, præfatus usus nonnisi apud aliquos et una die Cœnæ Domini, in dominicæ Cœnæ memoriam, permansit ; quæ exceptio et ipsa abrogata est (art. 8 ad 3).— *b*) Lex itaque jamdudum prævalens jejunii naturalis ante Eucharistiæ sumptionem id importat ut a media nocte nihil sumatur *per modum cibi* vel *potus*. Unde « reliquiæ cibi remanentes in ore, si casualiter transglutiantur, non impediunt sumptionem hujus sacramenti, quia non trajiciuntur per modum cibi, sed per modum salivæ ; et eadem ratio est de reliquiis aquæ vel vini, quibus os abluitur, dummodo non trajiciantur in magna quantitate, sed permixtæ salivæ, quod vitari non potest » (*ibid.* ad 4).

3° Quantum ad secundum, diversa est observanda praxis secundum quod defectus usus rationis multipliciter contingit. Alii enim *aliqualiter* tantum, alii *totaliter* ratione carent ; totalis autem carentia vel *temporaria* est, vel *perpetua*.

Conclusio 1ª.— CIBUS VEL POTUS PRÆASSUMPTUS IMPEDIT SUMPTIONEM SS. EUCHARISTIÆ NON QUIDEM SECUNDUM SE, SED PROPTER ANTIQUAM, EAMQUE LEGITIMAM, ECCLESIÆ PROHIBITIONEM.

1ª *Pars* patet : — 1° ex *natura rei ;* in se enim nihil habet cibus corporeus quod contrarietur cibo spirituali, sed solum peccatum mortale hanc contrarietatem præfert.— 2° Ex *facto : a*) *Christus* enim, quo evidentius insufficientiam V. L. ostenderet magisque altitudinem mysterii N. L. commendaret, post peractam cœnam paschalem Eucharistiam celebravit ; *b*) et etiam nunc ab ordinaria jejunii regula excipiuntur *infirmi* in statu *periculoso* decumbentes, quia « necessitas legem non habet » (S. Thom. a. 8).

[1] — Cf. Gasparri, *Tract. canon. de SS. Euch.*, n. 426.

2ª *Pars* adstruitur: — 1° *traditionis* auctoritate. Testes sunt *Tertullianus* (ad Uxorem, l. II, c. 5), *S. Basilius* (Hom. 1 de Jejun., n. 11), *S. Joan. Chrys.* (Hom. 27 in 1 Cor. n. 5), necnon *S. Augustinus* qui (Ep. 54 ad Januar. c. VI) scribit : « Placuit Spiritui Sancto ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius dominicum corpus intraret quam cæteri cibi ; nam ideo per universum orbem mos iste servatur ».— Hanc consuetudinem *decretis conciliaribus* et *pontificiis* (præsertim Innoc. III) sanxit Ecclesia. Cf. C. J. C. (can. 858).

2° *Rationibus convenientiae.*— *a*) *Primo* ex *sanctitate sacramenti :* decet enim tanti sacramenti dignitatem « ut os Christiani, quo sumendum est, non sit alio cibo prius imbutum, sed quasi novum et purum ad perceptionem ejus reservetur » (4 S. D. VIII, Q. I, a. 4, sol. 1).— *b*) *Secundo* ex *mystica significatione ;* per hunc enim jejunii ritum datur intelligi quod Christus in sacramento contentus ejusque charitas primum in cordibus nostris locum deposcunt, juxta illud (Matth. VI, 33) : *Quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus.*— *c*) *Tertio* ex *periculo vomitus* et *ebrietatis :* quippe hæc quandoque contingere possunt ex inordinato vel inconsulto ciborum usu, sicut ait Ap. (1 Cor. XI, 21) : *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est.*— *d*) *Quarto* ex requisita *attentione* et *devotione ;* constat enim per acceptos cibos mentem aggravari animumque facile in terrestria distrahi (4 S. *l. cit.*).

Conclusio 2ª.— HABENTES ALIQUALEM USUM RATIONIS NON PROHIBENTUR A RECIPIENDA SS. EUCHARISTIA ; QUI VERO TOTALITER USU RATIONIS CARENT, ETSI ABSOLUTE SINT CAPACES SUSCIPIENDÆ EUCHARISTIÆ, EA TAMEN SATIUS AB ECCLESIA PRIVANTUR, EXCEPTIS FORTE MORIBUNDIS IN QUIBUS, DUM ERANT SUI COMPOTES, DEVOTIO ALIQUA SACRAMENTI APPARUERIT.

1ª *Pars* eo nititur quod habentes « *aliqualem* » usum rationis « possunt *aliquam* devotionem hujus sacramenti concipere » (art. 9). Unde « pueris jam incipientibus habere discretionem (qua nempe distinguant, ut ait *S. Thomas*, inter cibum spiritualem et corporalem), etiam ante perfectam ætatem, puta cum sint decem vel undecim annorum, aut circa hoc, potest dari (Eucharistia), si in eis signa discretionis appareant et devotionis » (4 S. D. IX, Q. I, a. 5, sol. 4). Non excludit S. Doctor præcociorem ætatem, etiam septennium, circa quod plerique pueri, certis præsertim in regionibus, ratione uti incipiant. Immo verba *Summæ*, certe præferenda, rem extra omne dubium ponunt.[1]— Cæterum de præcisa ætate qua

[1] — Cf. *Questions actuelles*, t. CX, pp. 428-431 ; ubi referuntur verba commentatoris Cajetani reprehendentis nimiam in hac re parentum cautelam.

primo appareat rationis usus, non potest mathematica et uniformis regula tradi[1]. Requirit *Codex* (can. 854, n. 1), ad receptionem Eucharistiæ, « hujus sacramenti *cognitionem* et *gustum* », et (*ibid.* nn. 2-3) hæc decernit: « *In periculo mortis*, ut ss. Eucharistia pueris ministrari possit ac debeat, satis est ut sciant Corpus Christi a communi cibo discernere illudque reverenter adorare. *Extra mortis periculum*, plenior cognitio doctrinæ christianæ et accuratior præparatio merito exigitur, ea scilicet, qua ipsi fidei saltem mysteria necessaria necessitate medii ad salutem pro suo captu percipiant, et devote pro suæ ætatis modulo ad ss. Eucharistiam accedant ». Porro « de sufficienti puerorum dispositione ad primam communionem judicium esto sacerdoti a confessionibus eorumque parentibus aut iis qui loco parentum sunt » (*ibid.* n. 4). Ad parochum autem, ea de re, pertinet superior vigilantia et cura (*ibid.* n. 5[2]).

2ª *Pars* contra quosdam enunciat, eos sive parvulos sive amentes qui rationis usu penitus destituuntur, absolute loquendo, *capaces* esse suscipiendæ Eucharistiæ.

Id 1° asseritur ex *praxi* quæ olim in pluribus locis Ecclesiæ tum Occidentalis tum Orientalis viguit ministrandi infantibus mox baptizatis sacram communionem, quæque etiam nunc, tolerante S. Sede, apud quosdam Orientales perseverat[3]. Damnandam in hoc non esse antiquitatem, diserte declaravit *C. Trid.* (Sess. XXI, cap. 4).— Sane 2° ex una parte, nulla repugnantia est quod donati vita spirituali per baptismum nutrimentum quoque spirituale per Eucharistiam inconscii suscipiant ; ex altera parte, in primæva Ecclesia quæ fide reverentiaque sacrorum fervebat, plus forte ex illa praxi utilitatis quam incommodi derivari poterat.

3ª *Pars* tamen habet, sapienter Ecclesiam postea prohibuisse ne parvulis, aut iis qui nunquam ratione usi sunt, sacra communio detur. (C. J. C. can. 854, n. 1).

Ratio petitur ex reverentia et actuali devotione sacramento tantæ perfectionis debita : « hi enim neque S. Eucharistiam a profano et communi pane sciunt discernere, neque ad eam accipiendam pietatem animi et religionem afferre possunt. Atque id etiam a Christi Domini institutione alienissimum videtur ; inquit enim : *Accipite et comedite :* infantes autem idoneos non esse qui accipiant et comedant, satis constat » (*Catech. Trid.* P. II, de Euch. n. 67).— Neque tamen aliquod animæ detrimentum patiuntur ex eo quod Dominus dixerit

[1] — Cf. *Nouvelle revue théologique*, mai 1921.

[2] — Eruditionis gratia cf. Adrieux, *La première Communion. Histoire et discipline* (Beauchesne, Paris).

[3] — Gasparri, *op. cit.*, n. 1122.

(Joan. VI, 54) : *Nisi manducaveritis... non habebitis vitam in vobis.* « Siquidem, per baptismi lavacrum regenerati et Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt » (*Conc. Trid.* Sess. XXI, cap. 4).

4ª *Pars* est *S. Thomae* (art. 9) ; cui consentit *Catech. Trid.* (*l. cit.* n. 69) : « Amentibus, inquit, qui tunc a pietatis sensu alieni sunt, sacramenta dare minime oportet ; quamvis si, antequam in insaniam inciderint, piam et religiosam animi voluntatem[1] præ se tulerint, *licebit* eis *in fine vitae* ex Conc. Carthag. decreto Eucharistiam administrare ; modo vomitionis vel alterius indignitatis et incommodi periculum nullum timendum sit ».

ARTICULUS V.

De tempore sumendae Eucharistiae.

(Art. 10-11)

Proximum est ut definiatur *quo tempore* sit ad mensam eucharisticam accedendum. Cum autem *communio* spectari possit vel ut *voluntaria*, vel ut *praecepta* divino aut ecclesiastico jure, utroque sub respectu ss. Eucharistiæ usus breviter expendendus est. — Quod ad liberam et *frequentem communionem* attinet, opportune monet cl. *Billot* (in h. l.) quod « abstrahitur a *sacerdotibus* celebrantibus, quia in eis, præter excellentiam dispositionum et privatam indigentiam vel utilitatem, intervenit ratio divini cultus et communis utilitatis fidelium. Est enim sacerdos celebrans legatus et publicus Ecclesiæ orator apud Deum, et ideo, in paritate dispositionum et indigentiæ, contingit ut convenienter sacerdos quotidie celebret, inconvenienter vero laicus quotidie communicaret ».

Conclusio 1ª.— EX PARTE SACRAMENTI SEU SECUNDUM SE, COMMUNIO QUOTIDIANA LAUDABILISSIMA EST ; EX PARTE VERO SUMENTIS, EST MODO SUADENDA MODO DENEGANDA, SECUNDUM SAPIENTISSIMAS ECCLESIÆ REGULAS.

1ª *Pars* (contra Jansenistas) innititur verbis *Conc. Trid.* (Sess. XXII, cap. 6) : « Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarentur ».

[1] — Notandum hanc conditionem, veluti requisitam in adultis intentionem, necessariam prorsus esse ad validitatem sacramenti.

1° Revera hujusmodi fuit *vetus Ecclesiae praxis* (art. 10 ad 5)[1]. « Tempus olim fuisse cum fideles quotidie Eucharistiam acciperent, ex Apostolorum actis intelligimus : omnes enim qui tunc christianam fidem profitebantur, vera et sincera charitate ita ardebant ut, cum sine intermissione orationibus et aliis pietatis officiis vacarent, quotidie ad sacra dominici corporis mysteria sumenda parati invenirentur.[2] Eam postea consuetudinem, quæ intermitti videbatur, Anacletus ss. martyr et pontifex[3] alia ex parte renovavit » (Catech. Trid. *l. cit.* n. 64).

2° Ratio multiplex suppetit : — *a*) Est enim Eucharistia, convenienter sumpta, uberrimorum fructuum ferax, neque præcipue ut merces virtutis,[4] sed ut *medium* ad augendam virtutem fuit instituta.— *b*) Quocirca nobis proponitur per modum *cibi spiritualis :* « Unde sicut cibus corporalis quotidie sumitur, ita et hoc sacramentum quotidie sumere laudabile est » (a. 10 ad 1). In quo manifeste differt a baptismo ; qui cum sit spiritualis regeneratio, per eum homo semel tantum renascitur, sicut et semel carnaliter nascitur. — *c*) Huc accedit Eucharistiam præfiguratam fuisse per *manna*, quod quotidie dabatur populo in deserto (*ibid.* ad 2)[5].— *d*) « Insuper, quod in oratione Dominica exposci jubetur *panem nostrum quotidianum*, per id ss. Ecclesiæ Patres fere unanimes docent, non tam materialem panem, corporis escam, quam panem eucharisticum quotidie sumendum intelligi debere » (Dec. S. C. C. jam. cit.).

3° *Objectioni* petitæ ex reverentia debita ss. sacramento præclare occurrit *D. Thomas* (*ibid.* ad 3) : « Reverentia, inquit, hujus sacramenti habet timorem amori conjunctum ; unde timor reverentiæ ad Deum dicitur timor filialis ; ex amore enim provocatur desiderium sumendi, ex timore autem consurgit humilitas reverendi. Et ideo utrumque pertinet ad reverentiam hujus sacramenti et quod quotidie sumatur et quod aliquando abstineatur[6]... *Amor* tamen *et spes*, ad

[1] — « In primitiva Ecclesia, quando vigebat devotio major ex propinquitate passionis Christi et erat major impugnatio ab infidelibus, quia hæc mensa adversus tribulationes Ecclesiæ præparatur, quotidie communicandum fidelibus indicebatur » (S. Th., 4 S. D. XII, Q. III, a. 1, sol. 3).

[2] — Act. II, 42-46.

[3] — Decr., P. III, De consecr. dist. II, c. 10.— Cf. egregium opusculum *Lettre de Fénelon sur la fréquente Communion* (nouv. éd., 1855), ubi mens antiquitatis christianæ præclare exponitur.

[4] — Dec. S. C. Conc. 20 dec. 1905.

[5] — Hanc comparationem in Joan. VI, 59 fundatam ceu consentaneam exhibet laudatum decretum.

[6] Ita S. *August.* (Ep. 54 ad Jan. cap. 3) ; ubi, relatis oppositis sententiis, subdit : « Neque litigaverunt inter se, aut quisquam eorum se alteri præposuit, Zachæus et ille Centurio, cum alter gaudens in domum suam susceperit

quæ semper Scriptura nos provocat, *praeferuntur timori.* Unde et cum Petrus dixisset : *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum*, respondit Iesus : *Noli timere* ».— Eo vel magis, quod « assumere Eucharistiam est bonum *per se*, abstinere est bonum *per accidens*, in quantum scil. timetur ne inordinate sumatur. Et quia quod est per se præjudicat ei quod est per accidens, ideo, simpliciter loquendo, melius est Eucharistiam sumere quam ab ea abstinere » (4 S. D. XII, Q. III, a. 2, sol. 3).— Præterea « in hoc maxime est gloria Dei et bonitas, quod se creaturis pro captu earum communicat ; unde magis videtur ad Dei gloriam pertinere quod aliquis ad communionem accedat quam quod abstineat » (*ibid.* ad 2).

4° Jure *Codex* (can. 863) illam doctrinam sic sancit : « Excitentur fideles ut frequenter, etiam quotidie, pane eucharistico reficiantur ad normas in decretis Apostolicæ Sedis traditas ; utque missæ adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam ss. Eucharistiæ perceptione, rite dispositi, communicent.»

2ª *Pars* rem inspicit *ex parte sumentis ;* — in quo (ait *Auctor*) requiritur ut cum magna devotione et reverentia[1] ad hoc sacramentum accedat. Porro talem devotionem ac reverentiam in quibusdam saltem fidelibus habitualiter reperiri, nemo inficiari potest. Ergo. *Min. conf.* ex eo quod damnata est ab Alex. VIII sequens prop : « Arcendi sunt a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei *purissimus* et omnis mixtionis expers ».— Ad rem *Angelicus* (4 S. D. XII, Q. III, a. 1, sol. 2) : « Si aliquis experimentaliter cognosceret ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri et reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare ; si autem sentiret per quotidianam frequentationem reverentiam minui et fervorem non multum augeri, talis deberet interdum abstinere, ut cum majori reverentia et devotione postmodum accederet ».— Certe fatendum est in pluribus hominibus multa impedimenta sive ex corporis sive ex animæ indispositione sæpius obstare ne sacra communio rite suscipiatur : unde (concludit *S. Thomas* a. 10) non est utile *omnibus* hominibus quotidie ad hoc sacramentum accedere, sed *quotiescumque* se ad illud homo invenerit *praeparatum.*[2]

Dominum (Luc. XIX, 6), alter dixerit, *Non sum dignus ut intres sub tectum meum* (Matth. VIII, 8) : ambo Salvatorem honorificantes diverso et quasi contrario modo ».

[1] — Motiva harum dispositionum evolvit *S. Thomas* in Opusc. LVII, cc. 15-16.

[2] — De mente S. Thomæ, hac super re, amplius declaranda, cf. *Le Rosaire* (nov. 1914).

Hisce præhabitis, sequentes referimus regulas juxta quas S. Sedes nuperrimo decreto S. C. Conc. superius laudato finem cuivis hac de re disputationi imposuit.

1° « Communio frequens et quotidiana, utpote a Christo Domino et a catholica Ecclesia optatissima, omnibus Christifidelibus cujusvis ordinis aut conditionis pateat ; ita ut nemo, qui *in statu sit gratiae* et *cum recta piaque mente* ad S. Mensam accedat, prohiberi ab ea possit.

2° « Recta autem mens in eo est, ut qui ad sacram Mensam accedit non usui, aut vanitati, aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate conjungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere.

3° « Etsi quam maxime expediat ut frequenti et quotidiana communione utentes venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se nunquam in posterum peccaturos ; quo sincero animi proposito, fieri non potest quin quotidie communicantes a peccatis etiam venialibus, ab eorumque affectu sensim se expediant.

4° « Cum vero sacramenta Novae Legis, etsi effectum suum ex opere operato sortiantur, majorem tamen producant effectum quo majores dispositiones in iis suscipiendis adhibeantur, idcirco curandum est ut sedula ad sacram communionem præparatio antecedat, et congrua gratiarum actio inde sequatur, juxta uniuscujusque vires, conditionem ac officia[1] ».

Conclusio 2ª.— Ex mandato Christi quandoque, determinatius vero ex statuto Ecclesiæ tenetur homo sumere Eucharistiam.— Agitur, ut patet, de necessitate *praecepti*, tum divini, tum ecclesiastici.

1ª *Pars* de *mandato Christi* ostend :

1° Ex verbis Domini (Joan. VI, 54) : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis ;* quæ ex communi sententia præceptum pro adultis important de reali sumptione Eucharistiæ.— Insuper per alia verba (Luc. XXII, 19), *Hoc facite in meam commemorationem,* Christus Apostolis futurisque sacerdotibus « præcepit ut offerrent et sumerent » (*C. Trid.* Sess. XXII, cap. 1) corpus suum ; hoc autem præceptum, immediate spectans ad sacerdotes ut celebrent, legitime extenditur ad laicos ut communicent, juxta aliam sententiam *C. Trid.* (Sess. XIII,

[1] — Vid. plura ibidem magis particularia circa confessarii munus et communionis frequentationem.

cap. 2) : « In illius (sacramenti) sumptione colere nos sui memoriam præcepit ».

2° *Ratione.— a) Primo* ex *congruentia praecepti :* alibi enim (Disp. IV, Q. un. a. 3) demonstravimus Eucharistiam esse quodammodo seu moraliter necessariam ad diu perseverandum in gratia salutis.— *b) Secundo* ex *obligatione virtuali :* jure enim divino homo tenetur suscipere baptismum per cujus gratiam Christo incorporetur, quasi eum spiritualiter manducando. Atqui quemadmodum baptismus ordinatur ad Eucharistiam sicut ad complementum suum, ita spiritualis Christi manducatio votum saltem implicitum includit manducationis realis seu eucharisticæ ; votum hoc autem petit quandoque, scil. tempore opportuno, impleri. Ergo.

2ª *Pars* est de præcepto *ecclesiastico ;* nam « ex statuto Ecclesiæ sunt determinata tempora exequendi Christi præceptum » (*S. Thomas*, a. 11).— Porro non una semper viguit circa hoc Ecclesiæ disciplina, sed pro diversis temporibus atque exigentiis diversa emanarunt decreta. *a*) Primitus fuisse in usu ut quotidie fideles communicarent, jam diximus ; imo asserit *S. Thomas* (a. 10 ad 1) id fuisse de præcepto, licet quidam[1] negent constare de vera obligatione. *b*) Postmodum vero, elabente fidei fervore, statutum fuit ut quisque fidelis saltem ter in anno, nempe in Paschate, Pentecoste et Natali Domini, ad sacram communionem accederet. *c*) Demum temporum iniquitas suasit ut annua tantum seu paschalis communio præscriberetur (*CC. Later. IV* et *Trid.*). Hanc disciplinam confirmat *Codex* (can. 859, n. 1) : « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, idest ad rationis usum, pervenerit, debet semel in anno, saltem in Paschate, Eucharistiæ sacramentum recipere, nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum.»

ARTICULUS VI.

De communione sub una vel utraque specie.

1° Quæstionem hanc ad communicandi *ritum* spectantem agitare cœperunt (sæc. XV) duo germani, *Petrus Dresdensis* et *Jacobellus Mismensis*, docentes non posse fideles salvari nisi de calice Domini biberent. Iis consenserunt *Hussitae* nec non *Lutherani* et *Calvinistae* (prout refert *Bellarm.*, l. IV, c. 20) ; quos et recentius sectati sunt *Graeci schisma-*

[1] — Gasparri, *op. cit.* n. 1155.

tici.— Catholici nonnulli, e quibus *Vasquez* et *de Lugo*, sentiunt majorem conferri gratiam ex opere operato per communionem sub utraque specie quam per sumptionem unius speciei : negat tamen cum *D. Thoma* sententia communior ; quam inter probandum principale intentum adstruemus.

2° *Præobservandum* est circa usum Eucharistiæ duo considerari posse : *unum* ex parte ipsius sacramenti, *aliud* ex parte sumentium.— Ex parte quidem sacramenti convenit quod utrumque sumatur, scil. et corpus et sanguis Christi, quia in utroque perfectio ejus consistit ; unde, cum ad *sacerdotem* pertineat hoc sacramentum consecrare et perficere, nullo modo debet corpus dominicum sumere sine sanguine.— At præsens disceptatio versatur circa *laicalem* sacramenti sumptionem.

Conclusio.— COMMUNIO SUB UTRAQUE SPECIE MINIME PRÆCIPITUR JURE DIVINO ; JUSTISQUE DE CAUSIS ECCLESIA UNIUS SPECIEI USUM PRÆSCRIBIT.

1ª *Pars fide* constat ex *C. Trid.* (Sess. XXI, can. 1) : « Si quis dixerit, ex Dei præcepto vel necessitate salutis, omnes et singulos Christifideles utramque speciem ss. Eucharistiæ sacramenti sumere debere ; A. S. » — Re quidem vera neque ex Scriptura, neque ex traditione, neque ex sacramenti indole obligatio illa repeti potest :

1° *Non ex Scriptura.*— « Neque, ait *Conc. Trid.* (Sess. XXI, cap. 1), ex sermone illo, apud *Joannem sexto*, recte colligitur utriusque speciei communionem a Domino præceptam esse, utcumque juxta varias ss. Patrum et Doctorum interpretationes intelligatur ; namque qui dixit : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, dixit quoque : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Et qui dixit : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam*, dixit etiam : *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Is demum qui dixit : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo*, dixit nihilominus : *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum* ».— Legitur quidem (Matth. XXVI, 27) : *Bibite ex hoc omnes.* Sed hæc verba dicta fuisse solis apostolis qui tunc ad mensam cum Christo sedebant, evincitur apertissime ex loco parallelo (Marc. XIV, 23) : *Biberunt ex illo omnes ;* ubi per *omnes* liquido patet designari solos apostolos adstantes. — Nec magis probat alter textus (Luc. XXII, 19) : *Hoc facite in meam commemoratienem.* Hæc enim verba potius afficiunt *rem* sumendam quam *modum* sumendi. Atque, etiamsi

ad modum spectarent, haudquaquam adversariis faverent ; quippe Ap. (1 Cor. XI, 24-25) post panis quidem consecrationem absolute ponit : *Hoc facite* etc ; sed post consecratum calicem conditionate tantum idem repetit : *Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem :* quæ conditio thesim nostram confirmat.

2° *Non ex traditione.*— Quamvis enim ad undecimum usque sæculum usus communionis sub utraque specie frequentior fuerit, *nunquam* tamen *Ecclesia* legitur oppositum morem *reprobasse.*— Imo communionem sub una specie fuisse approbatam, plane colligitur ex variis ritibus : scil. tum ex *communione domestica* quam fideles olim, et in specie martyres adhibebant utique sub specie panis ; tum ex *communione aegrotorum*, quæ ut plurimum (testibus historicis) fiebat sub una tantum specie ; tum ex *communione infantium* antiquitus data (sicut et nunc apud Græcos) sub sola specie vini ; tum denique ex *missa praesanctificatorum*, cujus usus vetustissimus est et in qua (a Latinis die Parasceves celebrata) una tantum species sumitur.— Jam sæc. XIII memoratur a *D. Thoma* (art. 12) « multarum Ecclesiarum usus, in quibus populo communicanti datur corpus Christi sumendum, non autem sanguis ». Similis usus vestigia antiquiora (penes *Bellarm.* l. IV, c. 24) reperiuntur, utputa tempore S. Gregorii M.

3° *Non ex indole sacramenti.*— *a*) Prouti enim in proposito declarat *C. Trid.* (Sess. XXI, cap. 3), « fatendum est etiam sub altera tantum specie totum atque *integrum Christum* verumque sacramentum sumi ; ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt ».— *b*) Imo contra paucos est tenendum *non majorem gratiae gradum* ex opere operato[1] conferri per utriusque quam per unius speciei usum. Ita sentit *Auctor* (hic ad 3) dicens : « Potest a populo corpus sine sanguine sumi ; nec exinde sequitur aliquod detrimentum ». *Ratio* est quam fuse evolvit *Cajetanus* (in h. art., qu. 2) : nimirum major fructus seu utilitas spectat ad majorem gratiæ collationem procedentem a re contenta in sacramento, non autem ad modum continentiæ, nec ad diversitatem signorum, significationum aut modorum significandi. Jamvero res contenta sub utraque specie est omnino una et eadem, scil. totus Christus ; neque magis confert spiritualem fructum sub una quam sub alia aut sub utraque quam sub una, si-

[1] — Dico *ex opere operato*, quod est *per se ;* ex opere enim operantis seu *per accidens* intensiorem gratiam per communionem sub utraque specie obtineri posse, haud diffitemur.

quidem nullo mediante instrumento nullaque mediante virtute utitur in hujusmodi collatione, sed per seipsum animæ præsentissimum ac sufficientissimum agens sub ratione cibi operatur (cf. Disp. VI, Q. un. a. 1, not.). Ergo.

2ª *Pars* sic traditur a *Conc. Trid.* (Sess. XXI, can. 2) : « Si quis dixerit, S. Ecclesiam cath. non justis causis et rationibus adductam fuisse ut laicos, atque etiam clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse ; A. S.»— Cf. C. J. C. (can. 852).

Rationes illæ plurimæ sunt : — 1ª sumitur ex *irreverentiae* in ss. sacramentum timore ; requiritur enim summa reverentia et cautela ne quidpiam accidat, quod ad injuriam tanti mysterii vergat. Vix autem sanguinis dominici effusio vitari posset, si illum sæpius, præsertim in magna populi omnigeni multitudine, ministrare oporteret.— 2ª ratio habetur in *penuria vini :* siquidem in multis regionibus non crescit, et quod aliunde adfertur, summo pretio emitur, non sine falsificationis periculo ; ex quo fieret ut plurini vel nunquam vel raro communicarent.— 3ª ratio est *abstemia* quorumdam temperatio, qui vini saporem ac ne odorem quidem perferre ullo modo possunt (cf. *Catech. Trid.* P. II de Euch. n. 71).

Solv. obj.— Obj. 1.— Gelasius R. P. (de Consec. dist. II, c. 12) eos reprehendit qui, « sumpta tantummodo corporis sacri portione, a calice sacrati cruoris abstinent ». Ergo.

Resp. *D. antec :...* et verba illa referuntur ad *sacerdotes* consecrantes, *C ;* ad cæteros laicaliter communicantes, *S. d :* i. e. ad quoscumque, *N ;* ad Manichæos negantes Christum esse sub specie vini, *C.— Neg. conseq.*

Obj. 2.— Ad perfectionem sacramenti Eucharistiæ pertinet utraque species. Atqui fas non est imperfectum reddere sacramentum. Ergo.

Resp. *D. M :...* utraque species *consecranda* et a consecrante sumenda, *C ;* a fidelibus etiam suscipienda, *N.— C. m.— Neg. conseq.*

Obj. 3.— Hoc sacramentum celebratur in memoriam dominicæ passionis. Atqui passio Christi maxime exprimitur per speciem sanguinis. Ergo.

Resp. *C. M.— D. m :...* secundum quod sanguis vi sacramenti consecratur seorsim a corpore, *C ;* secundum quod etiam seorsim a fidelibus sumitur, *S. d :* major fit repræsentatio, *C ;* nec prima sufficit, *N.— Neg. conseq*[1].

[1] — De hoc argumento communionis sub una specie prolixe scripserunt Cajetanus (*Comm.* in h. art.), Bellarminus (*de Euch.* l. IV, cc. 20-28), Bossuetius (*Traité de la comm. sous les deux espèces*) necnon (*La tradition défendue sur la matière de la comm. sous une espèce*), etc.

ARTICULUS VII.

De modo quo Christus Eucharistiae sacramento usus est.

(Q. LXXXI)

Sub hoc titulo considerandum offertur tum de ratione qua Christus sive *pro se* sive *pro aliis* sacramento illo usus est, tum de *qualitate* corporis sui tunc consecrati.— Diversæ enim de hisce argumentis extiterunt sententiæ : *a*) *quidam* imprimis, quos inter *Lutherus*, posuerunt Christum in cœna corpus et sanguinem suum discipulis tradidisse, non tamen ipsum sumpsisse ; *b*) *alii*, de quibus *Hilarius*, *Rupertus* etc., opinati sunt non fuisse corpus dominicum Judæ a Christo datum ; *c*) *alii* tandem, ut *Hugo de S. Victore*, dixerunt corpus in cœna consecratum, atque a Christo suisque discipulis sumptum, jam tunc fuisse impassibile et immortale.— Tres conclusiones pro tribus hisce enodandis quæstionibus constricta oratione adstruemus.

Conclusio 1ª.— Convenienter tenetur quod Christus in prima Eucharistiæ institutione suum corpus et sanguinem sumpserit (art. 1).

Rationes probabiles ex *D. Thoma* promuntur : — 1° Etenim Christus ea quæ ab aliis observanda instituit, ipse, quantum fieri congruebat, primitus observavit, ut patet de baptismo quem Joannis manu suscepit, juxta illud (Act. I, 1) : *Coepit Jesus facere et docere*. Igitur arbitrari fas est quod ipse suum corpus et sanguinem sumpserit, discipulis aliisque exemplum relinquens.— 2° In Evangeliis legitur Christum accepisse panem et calicem ; quod quidem intelligendum videtur eo modo quo aliis accipiendum tradidit. Jamvero discipulis dixit : *Accipite et comedite*, et iterum : *Accipite et bibite*. Ergo et ipse accipiens comedit et bibit (resp. ad 1)[1].— 3° Quamvis Christo gratiæ augmentum ex susceptione hujus sacramenti non obveniret, in eo tamen instituendo poterat (quod est alter Euch. effectus) *actualem* quamdam spiritualis dulcedinis delectationem experiri. Hoc equidem optime quadrat cum illa dominici cordis exoptatione vehementi (Luc. XXII, 15) : *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum ;* quod nonnulli exponunt de paschate novo (resp. ad 3).— 4° Neque impossibile dicatur, Christum fuisse in seipso : id enim de Christo asseritur, non secundum proprias dimensiones, sed quatenus

[1] — Hanc tamen rationem Knabenbauer (*Comm.* in Matth., p. 488) infirmam pronuntiat.

spectatur secundum dimensiones specierum sacramentalium quibus in Eucharistia ad locum comparatur (resp. ad 2).— 5° Igitur referre huc licet verba *Hieronymi* (Ep. 120, ad Hebidiam, cap. 2) : « Dominus Jesus, ipse conviva et convivium, ipse comedens et qui comeditur ».

Conclusio 2ª.— JUDAS CUM ALIIS DISCIPULIS CORPUS ET SANGUINEM DOMINI SUSCEPIT (art. 2).— Ita communius tum Patres tum theologi ; adeo ut proditori Apostolo tribuenda sit prima communio sacrilega.

Sane 1° ex Evangelio habemus, Judam fuisse præsentem in cœna. Porro, testante Marco (XIV, 23), *omnes* præsentes *biberunt* de calice consecrato.— Minime vero contrarium evincunt verba Christi (Matth. XXVI, 29) : *Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Quamvis enim ex hoc appareat Christum illis in cœna bibendum dedisse quibuscum erat in cœlis vino spiritualis voluptatis gavisurus, tamen manifestum est verba illa spectare ad *collegium* apostolorum magis quam ad singulos ; ita ut, salva eorum veritate, Judas potuerit esse præsens convivio terrestri, absens vero a convivio cœlesti : eo magis, quia Christus, *quantum erat de se* et nisi obstitisset libera Judæ malitia, vinum illud spirituale cum eodem Juda bibisset.

2° *Ratio* concl. ab *Auctore* (h. art.) assignatur : « Quia, inquit, Christus nobis debuit esse exemplum justitiæ, non conveniebat ejus magisterio ut Judam *occultum peccatorem* sine accusatore et evidenti probatione ab aliorum communione separaret, ne per hoc daretur exemplum prælatis Ecclesiæ similia faciendi, et ipse Judas exasperatus inde sumeret occasionem peccandi ».— Equidem legitur Christum dixisse (Matth. XXVI, 23) : *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.* Verum hac sententia id tantum significabatur, proditorem esse unum ex convictoribus et intimis amicis[1].— Item Judæ interroganti, numquid ipse Jesum traderet, Dominus respondit (*ibid.* v. 25) : *Tu dixisti ;* ita tamen ut hoc ei prope Jesum accumbenti dici potuerit quin cæteri adverterent proditoremque agnoscerent[2].— At dehinc, cum « jam omnibus eis distribuerat Dominus sacramentum corporis et sanguinis sui, ubi et ipse Judas erat, sicut S. Lucas evidentissime narrat (XXII, 21)... ad hoc ventum est, ubi secundum narrationem Joannis apertissime Dominus per *buccel-*

[1] — Knabenbauer, *Curs. Script. sac., Comm.* in Matth., h. 1.
[2] — Id., *op. cit.*

lam tinctam atque porrectam suum exprimit traditorem, fortassis per panis tinctionem illius significans fictionem» (*August.*, Tract. 62 in Joan. n. 3).

Conclusio 3ª.— CORPUS CHRISTI CONSECRATUM IN PRIMA EUCHARISTIÆ INSTITUTIONE ERAT IN SE PASSIBILE AC MORTALE, LICET MODO IMPASSIBILI SUB SPECIE SACRAMENTI EXISTERET (art. 3-4).

1ª *Pars* ostend.— Etenim erat idem verum Christi corpus quod a discipulis tunc in propria specie videbatur et in specie sacramenti sumebatur. Atqui, nedum impassibilitate gauderet secundum quod in propria specie videbatur, corpus dominicum jamjam passioni erat paratum. Ergo corpus Christi eucharisticum tunc erat *in se passibile*.— Erat et *mortale*, ita ut, servato sacramento usque ad tempus mortis Christi, corpus Domini sub specie sacramentali existens *mortuum fuisset:* ratio est, quia quidquid pertinet ad Christum, secundum quod in se est, et independenter a loco aliisque circumstantibus, potest attribui ei et in propria specie et in sacramento existenti, sicut vivere, mori (quod est separari animam a corpore), animatum vel inanimatum esse, etc. (cf. *Sylvium* in h. 1.).

2ª *Pars* prob.— Passibilitas corporis in essendi modo requirit ut corpus illud comparetur ad corpora circumstantia per dimensiones proprias, secundum quas eorum contactui et actioni subsit. Atqui corpus Christi sub sacramento non comparatur ad ea quæ circumstant mediantibus propriis dimensionibus, quibus corpora se tangunt, sed mediantibus dimensionibus specierum panis et vini. Ergo etiam ante Christi mortem corpus ejus eucharisticum existebat *impassibili modo*, adeo ut nec conspui nec flagellari posset : videlicet (res miranda inter tot mirabilia) corpus *in se* passibile, secundum quod erat sub sacramento, mori poterat, pati non poterat.

QUÆSTIO SECUNDA

DE MINISTRO SACRAMENTI EUCHARISTIÆ

Minister sacramenti Eucharistiæ, quatenus hoc loco considerandum se præbet, spectari potest dupliciter, nempe vel quoad *personam* ipsam (art. 1-2), vel quoad *qualitatem personæ* (art. 3). Cum autem in hoc sacramento, utpote re permanente, distinguere sit tum confectionem seu consecrationem tum dispensationem, idcirco persona tum *consecrans* (art. 1) tum *dispensans* (art. 2) theologicæ disquisitioni offertur.

ARTICULUS I.

De ministro consecrationis ss. Eucharistiæ.

(Q. LXXXII, aa. 1-2)

Sub hoc titulo duo investigari possunt : *primo*, num *proprium sacerdotis* sit consecrare corpus Christi ; *secundo*, num *plures* sacerdotes unam eamdemque hostiam consecrare valeant.— Ad Eucharistiæ consecrationem requiri certam ministrorum ordinationem, pro dubio habuit *Wicleffus*, aperte vero negavit *Lutherus*[1] suis nixus principiis quod sacramenta non operantur nisi excitando fidem et ordinatio nullum imprimit characterem : ex quibus concludebat nullam esse in ordinatis potestatem quæ penes laicos non vigeat[2], licet fateretur merito Ecclesiam, disciplinæ causâ, ad sacramenta conficienda ministrorum ordinationem exigere.— Doctrinam catholicam expressam habemus his verbis (*Imit. Ch.* l. IV, c. 5) : « Grande mysterium et magna dignitas sacerdotum, quibus datum est quod angelis non est concessum. *Soli* namque *sacerdotes* rite in Ecclesia ordinati potestatem habent celebrandi et corpus Christi consecrandi ».

Conclusio 1ª.— SOLIUS SACERDOTIS EST CONFICERE SACRAMENTUM SS. EUCHARISTIÆ.— *De fide* ex *CC. Nicaen. I* (c. 18), *Later. IV* (c. *Firmiter*), *Flor.* (Decr. pro. Arm.), et *Trid.* (Sess. XXII, cap. 1 et can. 2). Cf. C. J. C. (can. 802).

1° Ex *Scriptura* arguimus : — *a*) nam Christus « corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis, quos tunc N. T. sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba : *Hoc facite* etc., uti semper cath. Ecclesia intellexit et docuit » (*Conc. Trid.*, Sess. XXII, cap. 1). Quibus verbis ostenditur sacerdotium novæ Legis, prouti institutum est ad Eucharistiam consecrandam et distribuendam, solis apostolorum hæredibus convenire.— *b*) *Conf :* quia sacrificare munus est proprium solius sacerdotis (Heb. VIII, 3) ; sacramentum autem Eucharistiæ actione sacrifica conficitur, ut comperiemus infra.

2° *Traditionem* hac in re patefaciunt diserta testimonia, utputa *SS. Cypriani*, *Epiphanii*, *Hieronymi*, etc.— Neque

[1] — Apud Bellarm., l. IV, c. 16.

[2] — Cf. Conc. Trid., Sess. VII, can. 10.

alia de causa Ecclesiæ Patres et Doctores potestatem sacerdotalem *regiæ potestati anteponere* non dubitant, nisi quia solius sacerdotis est, veluti singulare quoddam et excellens privilegium, posse corpus Christi consecrare : unde celebratum illud, quod referunt, dictum *Ambrosii* ad Theodosium : « Purpura imperatores facit, non sacerdotes ».— His accedit (Bellarm. *l. cit.*) quod *nullum* proferri potest *exemplum* antiquitatis, quo probetur in aliquo casu diaconum aut laicum consecrasse Eucharistiam, quanquam exempla non desunt quibus ostenditur in certis casibus diaconos, imo et laicos baptizasse.— Tandem *rituales libri* antiquissimi sive Orientalium sive Occidentalium solis sacerdotibus collatam exhibent potestatem conficiendi Eucharistiam.

3° *Ratio* hoc ipsum evincit.— *a*) Etenim sacramentum Euch. tantæ est dignitatis ut non conficiatur nisi in persona Christi ; ex quo præcipue consuevit sacerdos appellari « alter Christus ». Atqui quicumque alterius personam gerit, id agat necesse est secundum potestatem ab illo derivatam, uti patet de legatis vel civilibus vel ecclesiasticis. Ergo nemo valide consecrare potest, nisi sacerdotali sit potestate insignitus ; quam non omnibus competere, sed quibusdam rite ordinatis reservari, ipsa (præter alia) ss. Eucharistiæ excellentia postulat.— *b*) Argumentum robur accipit *ex analogia :* sacerdotium enim N. L., utpote corporis Christi consecrativum, nobilitate longe præstat sacerdotio V. L., alterius præfigurativo. Atqui in V. L. sacerdotium non omnibus indiscriminatim permittebatur, sed Deus ipse illud viris de tribu Levi selectis commissum voluit. Ergo.

Conclusio 2ª.— PLURES SACERDOTES POSSE UNAM EAMDEMQUE HOSTIAM CONSECRARE, CUM FACTO, TUM RATIONE SUADETUR.— Hæc est sententia *communis* (contra paucos). Cf. C. J. C. (can. 803).

1ª *Pars* de *facto* ostend : — 1° ex *Pontificali Rom.* dicente de neomystis quod « concelebrant pontifici » et ritum concelebrationis præscribente.— 2° Ex *usu* nunc universali penes Latinos vigente ejusque usus *convenientia :* nam « plures sacerdotes episcopo concelebrant, quando ordinantur, ad *repræsentandum* quod, quando Dominus hoc sacramentum instituit, et potestatem consecrandi discipulis dedit, eis concœnavit » (4 S. D. XIII, Q. I, a. 2, sol. 2).

2ª *Pars* probatur :

1° Ratione *generali :* nequaquam enim repugnat unum eumdemque numero effectum procedere a pluribus *instru-*

mentis totalibus[1] sub uno principali agente eis per modum unius utente, quia tunc virtus instrumentaria est *formaliter* una. « Si quilibet sacerdotum operaretur in virtute propria, superfluerent alii celebrantes, uno sufficienter celebrante. Sed quia sacerdos non consecrat nisi in persona Christi, multi autem sunt unum in Christo, ideo non refert utrum per unum aut per multos hoc sacramentum consecretur, nisi quod oportet ritum Ecclesiæ servari » (heic, art. 2 ad 2).

2° Ratione *speciali :* potest namque accidere ut concelebrantes episcopo, prævenienda ipsum seu verba prius pronuntiando, ita consecrent ut verba episcopi super materiam jam consecratam cadant. At (monente Innoc. III) « omnes celebrantes debent intentionem referre ad illud instans in quo episcopus verba profert ; et sic episcopi intentio non defraudatur, nec aliquis ibi facit quod factum est » (4 S. *l. cit.* ad 2) ; quippe ea ratione concelebrantes velut hypothetice tantum consecrare intendunt, nempe quatenus finiant cum episcopo et non aliter.

Solv. obj. (cont. 1am concl.).— Obj. 1.— Sacramentum Euch. consecratur virtute verborum seu formæ. Atqui verba formæ non mutantur, sive dicantur a sacerdote, sive a quocumque alio. Ergo.

Resp. *D. M :...* virtute verborum *materialiter* sumptorum, *N ; formaliter* acceptorum, quatenus nempe proferuntur ab habente potestatem ita ut ex hac potestate et verbis ipsis una vis instrumentaria consurgat, *C.*— *C. d. m :...* non mutantur materialiter, *C ;* formaliter, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 2.— Sacerdos hoc sacramentum conficit in persona Christi. Atqui laicus sanctus Christo per charitatem junctus est. Ergo.

Resp. *C. M.*— *D. m :...* unione *affectiva* qua spirituale sacerdotium ad offerendum spirituales hostias obtinet, *C ;* unione *potestativa* qua verum sacerdotium exerceat, *N.*— *Neg. conseq.*

Obj. 3.— Eucharistia non minus ordinatur ad hominum salutem quam baptismus. Atqui etiam laicus baptizare potest. Ergo.

Resp. *D. M :...* quasi sit ejusdem necessitatis, *N ;* ita ut minori *necessitate, dignitate* vero majori polleat, *C.*— *C. m.* — *Neg. conseq.*

Obj. 4.— Hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ. Atqui solius episcopi est consecrare materias certe inferiores, ut chrisma, altaria, etc. Ergo a fortiori, etc.

[1] — Cf. supra, Disp. II, Q. II, a. 3.

Resp. *C. M.*— *D. m :* secundum potestatem in *corpus Christi verum*, *N ;* secundum potestatem in *corpus* ejus *mysticum*, ad quam pertinet quidquid dispositionem illius corporis diversorumque in Ecclesia officiorum regulationem vel exercitium respicit, *C.*— *Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

De ministro dispensationis Eucharistiæ.

(Art. 3-4)

1° Quæstionem movendo a quo sacram Eucharistiam dispensari oporteat, non de validitate, ut patet, sed de *liceitate* dispensationis agimus.— Dispensatio autem hujus sacramenti spectari potest vel quoad *jus* seu potestatem, vel quoad *obligationem*.— Rursus, jus ipsum aliud est ministri *principalis* et *ordinarii*, aliud ministri *secundarii* et *extraordinarii*.

2° Morem olim, sævientibus persecutionibus, fuisse ut fideles ss. Eucharistiam, in suis domibus asservatam, propriis sumerent manibus, monumenta historiæ testantur ; idque etiamnum aliquibus in locis licere, *S. C. de Prop. Fide* reposuit (1841).[1]— Verum quandoque per abusum factum est ut presbyteri laico aut feminæ corpus Domini ad deferendum infirmis traderent : quod, semel ac innotuit, ab Ecclesia est prohibitum.

3° Sub præsenti articulo duo cum *D. Thoma* in duabus conclusionibus determinabimus, *unum* quoad jus sive primarium, sive secundarium, dispensandi Eucharistiam, *aliud* quoad officium seu obligationem dispensandi tum respectu aliorum, tum respectu ipsius sacerdotis consecrantis.

Conclusio 1ª.— Minister Eucharistiæ dispensandæ principalis et ordinarius est sacerdos, secundarius autem et extraordinarius potest esse diaconus.— C. J. C. (can. 845, nn. 1-2).

1ª *Pars*, prætermissis aliis Ecclesiæ decretis, asseritur verbis *Conc. Trid.* (Sess. XIII, cap. 8) : « Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent : qui mos, tanquam ex traditione apostolica descendens, jure ac merito retineri debet ».

Hujus rei *tres rationes* adducit *S. Thomas*, unam ex *causa exemplari*, alteram ex *natura sacerdotii*, tertiam ex *dignitate sacramenti :* — « Ad sacerdotem, inquit, pertinet dispensatio

[1] — Gasparri, *Tract. can. de ss. Euch.*, n. 1081.

corporis Christi propter tria : *a*) *primo* quidem, quia, sicut dictum est, ipse consecrat in persona Christi. Ipse autem Christus sicut consecravit corpus suum in cœna, ita et aliis sumendum dedit. Unde sicut ad sacerdotem pertinet consecratio corporis Christi, ita ad eum pertinet dispensatio. *b*) *Secundo*, quia sacerdos constituitur medius inter Deum et populum ; unde sicut ad eum pertinet dona populi Deo offerrre, ita ad eum pertinet dona sanctificata divinitus populo tradere. *c*) *Tertio*, quia, in reverentiam hujus sacramenti, a nulla re contingitur nisi consecrata ; unde et corporale et calix consecrantur, et similiter manus sacerdotis, ad tangendum hoc sacramentum ; unde nulli alii tangere licet nisi in necessitate, puta si caderet in terram vel in aliquo alio necessitatis casu » (art. 3).

2ª *Pars* est de *diacono;* qui, vi suæ ordinationis, dispensandæ Eucharistiæ potestatem obtinet non quidem principalem et ordinariam, sed *secundariam* et *extraordinariam*.

1° Revera antiquitus, quando fideles sub utraque specie communicabant, diaconorum erat, veluti ex officio[1] a presbytero tamen dependente, *calicem Domini* præbere ; ad quem usum respiciens, *Auctor* dicit (*ibid.* ad 1) : « Diaconus quasi propinquus ordini sacerdotali aliquid participat de ejus officio, ut scil. dispenset sanguinem, non autem corpus, nisi in necessitate, jubente episcopo vel presbytero : *primo* quidem quia sanguis Christi continetur in vase, unde non oportet quod tangatur a dispensante, sicut tangitur corpus Christi ; *secundo*, quia sanguis designat redemptionem a Christo in populum derivatam ; unde et sanguini admiscetur aqua, quæ significat populum. Et quia diaconi sunt inter sacerdotem et populum, magis convenit diaconis dispensatio sanguinis quam dispensatio corporis ».— 2° Igitur *corpus Christi* dispensare convenit diacono tantummodo in *casu necessitatis*, et ex *commissione sacerdotis* jurisdictionem habentis cujus est in hoc veluti vicarius et instrumentum (cf. commentatores in h. art.).

Conclusio 2ª.— Tenetur sacerdos non solum aliis pro officio Eucharistiam dispensare, sed et sibi hoc sacramentum, quotiescumque consecrat, ministrare.

1ª *Pars* nullo negotio expeditur : — ex ipsa enim cibi eucharistici institutione et utilitate colligitur obligationem sacerdotibus incumbere, sive ex justitia, sive ex charitate[2],

[1] — 4 S. D. XIII, Q. I, a. 3, sol. 2.

[2] — De hoc moralistæ.

tantum sacramentum fidelibus rationabiliter petentibus administrandi.

2ª *Pars* expresse habetur in can. 5 Conc. Tolet. XII (Dec. III, de Consecr. dist. 2, c. 11), ubi sacerdoti sacrificanti præcipitur communio sub utraque specie (cf. Conc. Trid. *l. cit.*).

Sic *prob.*— Eucharistia non solum est sacramentum, sed etiam sacrificium (ut mox ostendetur). Atqui ex utroque capite requiritur ut sacerdos consecrans seipsum communicet : *a*) *primo* ratione *sacramenti ;* hoc enim suum mutuatur complementum sive significationis sive efficaciæ ex eo quod sumitur (4 S. D. XII, Q. III, a. 2, sol. 2). *b*) *Secundo* ratione *sacrificii :* oportet enim ut sacrificans ipse primo sacrificii fiat particeps, tum ut demonstret exteriori sacrificio, quod offertur, internam sui oblationem comitari seu sacrificium illud ad se interius pertinere, tum ut dispensatio divinorum a seipso ad populi eruditionem ordiatur.— *Excipitur*, nisi sacerdos consecrans a sumenda Eucharistia impediatur vel per violentiam, vel per infirmitatem, vel per miraculosam Christi apparitionem sub specie carnis aut sanguinis ; quo in casu consulendum esset sacerdoti ut corpus et sanguinem Domini iterato consecraret et sumeret (art. 4 ad 3).

ARTICULUS III.

De qualitate personæ consecrantis et dispensantis.

(Art. 5-9)

Malos maleve sentientes Ecclesiæ ministros valide posse, etsi non licite, sacramenta administrare, jam (Disp. I, Q. V) contra quorumdam errorem communi ratiocinatione determinavimus : paucis itaque idem argumentum, prouti ad Eucharistiam sive consecrandam sive dispensandam speciatim pertinet, modo tractabimus.

Conclusio 1ª.— SACERDOS MALUS, ETIAM HÆRETICUS ET EXCOMMUNICATUS, IMO ET DEGRADATUS, VALIDE CONSECRAT.

1ª *Pars* esto de sacerdote *malo* seu peccatore ; quæ *fide* constat ex *Conc. Trid.* (Sess. VII, can. 12) contra *Donatistas*, *Waldenses* et *Wicleffitas.*

Cum *Auctore* sic proceditur : — Sacerdos consecrat sacramentum Euch., non quidem virtute propria, sed sicuti minister Christi cujus personam induit et gerit. Atqui non ideo desinit aliquis esse minister Christi, quia malus est. Ergo. *Min. ostend.* dupliciter : *a*) *primo*, quia *Scriptura* ipsa nos

edocet, Domino esse tum bonos tum malos ministros (Matth. XXIV, 45 et 48) ; unde Apostolus, se ministrum Christi declarans (1 Cor. IV, 1), mox tamen confitetur nequaquam sibi constare de sua justitia : *nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum* (v. 4). *b*) *Secundo*, quia hoc decet supremam Dei providentiam, ut mali una cum justis, sicut et mala una cum bonis, ejus majestati subserviant in ejusque gloriam ordinentur.

2ª *Pars* de *hæreticis*, *excommunicatis* et *degradatis* etiam *certa* est ; — quam *Augustinus* contra adversarios sui temporis expresse propugnat (cont. ep. Parmeniani, l. II, c. 13) ; ubi de potestate ordinationis scribit : « Aliud est non habere, aliud perniciose habere, aliud salubriter habere ».

Prob. dupliciter : — 1° Ex *facto* (art. 7). Habet enim vetus in Ecclesia praxis, hæreticos aliosque pœnis ecclesiasticis mulctatos qui semel fuerint rite ordinati, cum ad unitatem Ecclesiæ redeunt, non reordinari, sed in suis ordinibus recipi. Atqui consecratio Eucharistiæ est actus consequens ordinis potestatem : ergo.— 2° Ex *indelebilitate characteris* (art. 8). Potestas consecrandi Eucharistiam pertinet ad characterem sacerdotalis ordinis. Atqui character quilibet, quadam consecratione datus, indelebilis est, sicut et quarumcumque rerum consecrationes perpetuæ sunt, nec amitti nec reiterari possunt (cf. Disp. I). Ergo.

Conclusio 2ª.— SACERDOTES UTCUMQUE MALI PROHIBENTUR CONSECRARE ET DISPENSARE EUCHARISTIAM ; NUM VERO PROHIBEANTUR FIDELES COMMUNIONEM A PRÆDICTIS ACCIPERE, DECLARATUR.

1ª *Pars* 1° colligitur ex gravissimo *Conc. Trid.* decreto (Sess. XXII, *de observ. et evitand. in celebr. missæ*) ; ubi ratio illius veritatis redditur : « Si necessario fatemur *nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum* a Christifidelibus tractari posse quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur, satis etiam apparet omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut *quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia* et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur ». Cf. C. J. C. (can. 807).

2° Idcirco *SS. Patres* vehementer sacerdotem increpant qui, quantumvis maculosus, ad altare accedere non vereatur ; ita *S. Hieronymus* (in Sophon. cap. 3 : *Sacerdotes polluerunt*) : « Sacerdotes, qui Eucharistiæ serviunt, et sanguinem Domini populis dividunt, impie agunt in legem Christi, putantes

Eucharistiam imprecantis facere verba, non vitam, et necessariam esse tantum solemnem orationem et non sacerdotum merita ; de quibus dicitur : *Sacerdos in quo fuerit macula, non accedet offerre oblationes Domino* (Lev. XXI) ». Quibus verbis S. Pater non inficiatur veritatem consecrationis factæ a malis sacerdotibus, sed eos insectatur qui prave existiment se, etsi peccato inquinatos, digne posse Eucharistiam conficere et dispensare (art. 5 ad 1)[1].

2ª *Pars* expl :

Ad propositum sunt quæ scribit *S. Thomas* (Q. LXIV, a 6 ad 1) : « Dicendum, inquit, quod ille qui ad sacramenta accedit, suscipit sacramenta a ministro Ecclesiæ, non in quantum est talis persona, sed in quantum est minister Ecclesiæ. Et ideo quamdiu *ab Ecclesia toleratur* in ministerio, ille qui ab eo suscipit sacramentum, non communicat peccato ejus, sed communicat Ecclesiæ, quæ eum tanquam ministrum exhibet. Si vero ab Ecclesia *non toleratur*, puta cum degradatur, vel excommunicatur, vel suspenditur[2], peccat qui ab eo accipit sacramentum, quia communicat peccato ipsius ». Revera, sacerdotes hæretici, schismatici, etc., quamvis habeant potestatem consecrandi Eucharistiam, non tamen ea recte utuntur, utentesque graviter peccant. Jamvero quicumque communicat alicui in peccato, ipse particeps peccati efficitur, juxta ea quæ leguntur (2 Joan. 11) : *Qui dicit illi* (scil. hæretico) *Ave, communicat operibus ejus malignis.* Ergo non licet a prædictis sacerdotibus communionem accipere aut eorum missam audire.

[1] — De sanctitate quam requirit sacerdotium Christi seu sacrificale sacerdotis munus, videre est (præ aliis) celebratissimum tractatum *S. Joan. Chrysost.* (de Sacerdotio, *passim*).

[2] — Attamen notari debent quæ secundum *praxim hodiernam* statuunt auctores *Juris Canonici*, puta cl. *Gasparri* (de Euch. n. 936) : « Hæc, inquit (post datum generale principium), applicentur sacerdotibus hæreticis vel schismaticis *nominatim* denuntiatis aut ad *damnatam sectam* pertinentibus. Id autem verum non est de aliis celebrantis censuris, quæ fidelibus non prohibent communicare cum eodem. Veteres canones, e. g., cap. ult. *De cohab. cleric. et mul.*, vetantes adstare missæ sacerdotis simoniaci, concubinarii, etc., obsoleverunt ; proinde solum ratione *scandali* in peculiaribus circumstantiis id illicitum esse poterit ».

DISPUTATIO OCTAVA

DE SACRIFICIO EUCHARISTICO

Ordiri expedit cum *D. Thoma* scribente de Eucharistia (III, Q. LXXIX, a. 5) : « Hoc sacramentum simul est sacrificium et sacramentum ; sed rationem sacrificii habet, in quantum offertur ; rationem autem sacramenti, in quantum sumitur ». Cum itaque Eucharistiæ duplex sit ratio, præhabita hactenus sufficienti ejus consideratione quatenus est *sacramentum*, superest ut ei paulisper insistamus quatenus est *sacrificium*.

De hoc præcipuo fidei argumento tunc maxime agi cœptum est quum hæreses protestantium latius grassantes dogma illud nefarie impeterent ; quamvis plura jam doctores scholastici de missæ sacrificio docuissent et Ecclesia universa inde ab initio missam ceu verum ac proprie dictum N. L. sacrificium profiteretur.

Vocem *missae* antiquissimam esse ac usitatissimam in Ecclesia latina, dubitari non potest (ait *Bellarminus*, de Euch. l. V, cap. 1) : quod ipse ex pluribus erudite demonstrat.— Nonnulli quidem putant illud esse nomen *hebraicum* « oblationem voluntariam » significans : id autem (juxta laudatum auctorem) minus probabile est, eo quod Græci, per quos vocabula hebraica ad nos devenerunt, non missam, sed *liturgiam* dicunt, periti vero linguæ hebraicæ, ut Origenes, Hieronymus, etc., nunquam ea voce usi sunt.— Verius existimatur illam esse vocem *latinam ;* quam *alii* derivant a missis seu directis ad Deum precibus[1], *alii* (improbabiliter tamen) a mittendis seu conferendis muneribus sacræ cœnæ, *alii* communius a missione seu dimissione populi in fine.— Quidquid sit de etymologia, quinque missæ acceptiones reperiuntur penes scriptores ecclesiasticos (Bellarm. *l. cit.*) : 1ª

[1] — Ita S. Th., III, Q. LXXXIII, a. 4 ad 9 : « Missa, inquit, nominatur, quia per angelum sacerdos preces ad Deum mittit, sicut populus per sacerdotem, vel quia Christus est hostia nobis missa a Deo ».

est pro missione seu dimissione catechumenorum ; 2ª pro officio sacro quod præsentibus catechumenis celebratur ; 3ª pro parte liturgiæ propria fidelium ; 4ª pro collectis et precibus in liturgia recitandis ; 5ª tandem pro tota celebratione divini officii in quo Eucharistia consecrabatur, quæ acceptio a tempore PP. Leonis et Gregorii communissima evasit apud omnes. Hoc postremo sensu missa (cujus mox indolem sacrificalem expensuri sumus) a nobis sumetur.

Tota disputatio de sacrifico missæ dispesci poterit in tres partes quarum *una* erit de *esse* illius sacrificii (Q. I), altera de *effectu* vel fructu (Q. II), tertia de *ritu* (Q. III).

QUÆSTIO PRIMA

DE ESSE SACRIFICII EUCHARISTICI

Catholica veritas circa sacrificium eucharisticum nequit convenienter exponi planeque dilucidari nisi germana notio sacrificii *in genere* præhabeatur. Hanc igitur notionem præprimis trademus (art. 1), dein vero ad esse sacrificii eucharistici considerandum gradiemur. Porro aliud est esse *existentiae* (art. 2), aliud esse quidditatis seu *naturae* quod in proposito tum *relative* (art. 3), tum *absolute* (art. 4) inspici potest : quatuor ergo proponentur articuli.

ARTICULUS I.

De sacrificio in genere.

(I-IIæ, Q. CII, a. 3 ; II-IIæ, Q. LXXXV)

1° Sacrificium est quidam specialis actus ex eo laudem desumens quod fit in divinam reverentiam ; propter quod ad determinatam virtutem refertur, scil. ad religionem. Contingit autem ea quæ secundum alias virtutes fiunt, utputa eleemosynam de rebus propriis vel proprii corporis afflictationem, in divinam reverentiam ordinari ; unde illa, prouti *imperantur* a religione et speciem nobiliorem quodammodo participant, *participative* sacrificia dici possunt. Sunt tamen quidam actus « qui non habent ex alio laudem, nisi quia fiunt propter reverentiam divinam » ; et ad istos actus, a virtute religionis *elicitos*, *proprie* sacrificia pertinent (II-IIæ, *l. cit.* a. 3). — De sacrificio proprie dicto heic loquemur, non de sacrificio improprie seu *participative* sumpto.

2° Tria præstabit sub præsenti articulo determinare : primum, *quid* sit sacrificium seu quomodo definiatur ; secundo, *quotuplex.* sit seu quomodo dividatur ; tertio, num sit *de jure naturae* seu quomodo in existentiam prodeat : quæ tamen una conclusione tripartita comprehendemus.

Conclusio.— DEFINITO SACRIFICIO, DATISQUE PRÆCIPUIS EJUS PARTITIONIBUS, STATUITUR SACRIFICIUM IN COMMUNI ESSE DE JURE NATURÆ.

1ª *Pars* ut appareat, satis erit breviter recolere quæ alibi (de *Incarnatione*, Disp. IX, Q. III, a. 3) instituimus ; ubi, ex doctrina Bellarmini (de Euch. l. V, c. 2), sacrificium proprie dictum definitum est « oblatio externa per legitimum ministrum facta soli Deo, in qua res aliqua sensibilis et permanens ritu mystico consecratur et transmutatur ad honorandam divinam majestatem eamque maxime placandam. »

1° *Novatores* quidem aliter describunt sacrificium proprii nominis quod confundunt vel cum omni virtutis opere, vel cum omni oblatione Deo facta ; eosque Bellarminus (*op. cit.*) efficaciter improbat.— Definitio nostra quam exacta sit, ex rapida analysi colligitur.

2° Itaque, descriptio illa quatuor sacrificii causas clare exhibet quæ sunt efficiens, materialis, formalis et finalis.— Causa enim *efficiens* habetur in legitimo ministro seu in sacerdote (unde in præsenti œconomia, secundum Dei legem, nullum datur sine sacerdote verum sacrificium).— Causa *materialis* constat ex genere remoto et proximo. Porro *remotum genus* in sacrificio est res sensibilis et permanens (unde excluduntur actiones transeuntes, ut psalmodiæ, genuflexiones, etc.) ; *proximum* genus vero reponitur in externa rei illius oblatione, siquidem actio sacrificandi species est oblationis, adeo ut quandoque (etsi minus proprie) una vox pro alia adhibeatur.— Succedit causa *formalis ;* quam in tu sacro hostiæ destructivo vel immutativo sitam esse, ipse gentium sensus evincit, universique theologi docent. Sic enim, facto et gestu, protestatur homo supremum Dei dominium suamque servitutem.— Quarta causa est *finalis ;* qua significatur Deus sacrificio præcipue honorandus maximeque homini peccatori conciliandus.

2ª *Pars* concl. respicit diversas sacrificii *partitiones*, quæ multipliciter fieri possunt, scil. ex parte status, ex parte materiæ, ex parte actionis seu formæ, ex parte modi, ex parte efficaciæ et ex parte finis.

1° Ex parte *status* distinguuntur sacrificia legis *naturae*, legis *mosaïcae* et legis *christianae ;* qua quidem sub lege nova

unicum habetur sacrificium, scil. Christi sive in calvariæ loco sive in altaribus nostris immolati.— Sacrificia autem V. L. *præfigurativa* erant sacrificii Novæ Legis, in qua sacrificium eucharisticum (ut mox dicetur) se habet veluti *commemorativum* seu reproductivum sacrificii crucis.

2° Ratione *materiae* dividitur sacrificium in victimas seu hostias, immolationes et libamenta.— *Victimae* seu *hostiae* dicuntur sacrificia ex animalibus, utputa ovibus, capris aliisque, non tamen quibuscumque, sed iis lege veteri præscriptis. — *Immolationes* (a mola seu molendo) vocantur sacrificia ex rebus inanimis, sed solidis, ut ex farina, pane, sale, thure ; quamvis usu tum sacro tum profano vocabulum illud ad omne genus sacrificii derivatum sit.— *Libamenta* vero dicuntur sacrificia rerum liquidarum, ut vini et aquæ.

3° Ratione actionis vel *formae* partitur sacrificium in holocausta, hostias pro peccato et hostias pacificas.— *Holocausta*, utpote specialiter oblata in reverentiam divinæ majestatis, tota cremabantur ac, in fumum resoluta, ascendebant ad Deum ; unde conveniebant *statui perfectionis* in impletione consiliorum.— *Hostiae pro peccato*, diversæ pro diversis ad expiandum peccatum immolatæ, partim cremabantur, partim manducabantur a sacerdotibus, quorum ministerium propitiabile hac participatione significabatur[1]; et conveniebant *statui poenitentium* in satisfactione peccatorum.— *Hostiae pacificae*, oblatæ Deo vel pro beneficio *accepto*, vel pro beneficio *accipiendo*, dividebantur in tres partes, quarum una incendebatur ad honorem Dei, altera cedebat in usum sacerdotum, tertia vero in usum offerentium, ad significandum quod salus hominis procedit a Deo mediante ministrorum directione et salvandorum cooperatione : conveniebant illæ hostiæ *statui proficientium* in impletione mandatorum[2].

4° Ex parte *modi* distinguitur sacrificium in *cruentum* et *incruentum* : — illud involvit effusionem sanguinis, sicut quando pecora in V. L. occidebantur et agnus mysticus N. L. in cruce immolatus est ; istud sine cruore fieri oportet, quod olim in fructibus terræ offerendis habebatur modoque contingit in sacrificio eucharistico.

[1] — Exceptio erat, « quando offerebatur sacrificium pro peccato totius populi vel specialiter pro peccato sacerdotis ; tunc enim totum comburebatur » (I-IIæ, Q. CII, a. 3 ad 8).

[2] — Inter illa sacrificia primum gradum tenebat *holocaustum*, secundum *hostia pro peccato*, tertium hostia *pro gratiarum actione*, quartum hostia *pro petendo beneficio* ; nam, ut ait *S. Th.* (*ibid.* ad 10), « maxime obligatur homo Deo propter ejus majestatem, secundo propter offensam commissam, tertio propter beneficia jam suscepta, quarto propter beneficia sperata ».

5° Ex parte *efficaciae* altera subit partitio, quatenus sacrificia V. L. (præter legalem effectum) nihil sorticbantur nisi *ex opere operantis ;* sacrificium autem N. L. effectum sortitur etiam ex se seu *ex opere operato.*

6° Tandem ratione *effectus* vel *finis* sacrificium dispertitur in *latreuticum*, *propitiatorium*, *eucharisticum* et *impetratorium.* Quamvis enim nullum sit verum sacrificium cui hæc omnia, aliqualiter saltem, conjunctim non competant, prout tamen una ratio vel significatio aliis prævalet, merito sacrificium huic divisioni subjicitur, quæ respondet divisioni mox datæ in holocaustum, hostiam pro peccato, et hostiam pacificam sive ex debito beneficii accepti sive ex voto beneficii accipiendi oblatam.

3ª *Pars* concl. effert, sacrificium in communi esse *de jure naturae ;* de quo admonet *Cajetanus* (in II-IIæ, Q. LXXXV, a. 1) naturale heic sumi non quod statim vel fere statim absque disquisitione comperitur, sed quod ex naturali principio seu *virtute naturalis luminis*, citra divinam vel positivam legem, ratiocinando dignoscitur.— Præterea agitur non de interiori tantum, sed et de *exteriori* sacrificio.

Prob : — 1° ex *facto.* In qualibet ætate, et apud quaslibet nationes vel etiam quælibet hominum genera, semper efflоruit cultus aliquis sacrificalis, prouti testatur historia tum sacra tum profana. Atqui quod ubique est apud omnes tum bonos tum malos, tum litteris excultos, tum barbaros, id ex natura ipsa, scil. ex lumine quod Deus naturæ inseruit, prodire necesse est. Ergo.

2° Ex *rei natura :* quod argumentum sic evolvit *Angelicus* (II-IIæ, *Q.* et *a. cit.*): « Naturalis ratio dictat homini quod alicui superiori subdatur, propter defectus quos in seipso sentit, in quibus ab aliquo superiori eget adjuvari et dirigi ; et quidquid illud sit, hoc est quod apud omnes dicitur Deus. Sicut autem in rebus naturalibus naturaliter inferiora superioribus subduntur, ita etiam naturalis ratio dictat homini secundum naturalem inclinationem ut ei quod est supra hominem, subjectionem et honorem exhibeat secundum suum modum. Est autem modus conveniens homini ut sensibilibus signis utatur ad aliqua exprimenda, quia ex sensibilibus cognitionem accipit. Et ideo ex naturali ratione procedit quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in signum debitæ subjectionis et honoris, secundum similitudinem eorum qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominii. Hoc autem pertinet ad rationem sacrificii. Et ideo oblatio sacrificii pertinet ad *jus naturale* ».

In concl. dixi sacrificium *in communi* : — enimvero « aliqua in communi sunt de jure naturali, quorum determinationes sunt de jure positivo ; sicut quod malefactores puniantur, habet lex naturalis, sed quod tali pœna vel tali puniantur, est ex constitutione divina vel humana. Similiter etiam oblatio sacrificii *in communi* est de lege naturali, et ideo in hoc omnes conveniunt ; sed *determinatio* sacrificiorum est ex institutione humana vel divina, et ideo in hoc differunt » (*ibid.* ad 1).

Solv. obj. (cont. 1am p. concl.).— Obj. 1.— *S. Augustinus* (de Civ. Dei, l. X, c. 6) sic definit sacrificium : « Verum sacrificium est omne opus quod agitur, ut sancta societate inhæreamus Deo ». Ergo.

Resp. *D. antec* :... et illud sacrificium *verum* vocat Augustinus, quasi sit idem ac sacrificium *proprie dictum*, *N* ; ibi respicit sacrificium *internum* quocumque opere significatum vel enatum, quod quia per se nos Deo conjungit seu inhærere facit, præstantius est sacrificio externo et proprie dicto, *C.— Neg. conseq.*

Obj. 2.— In *S. Scripturis* nomen sacrificii tribuitur plerisque actibus virtutum vel internis vel externis, in honorem Dei relatis. Ergo.

Resp. *D. antec* :... simpliciter et univoce, *N* ; secundum quid et analogice, *C.— Neg. conseq.*

1° Scriptura liquido opponit opera multarum virtutum sacrificiis *simpliciter* dictis, v. g. (Os. VI, 6) : *Misericordiam volui, et non sacrificium* ; et (1 Reg. XV, 22) : *Melior est obedientia quam victimae.*— 2° Ubi actus vel internos vel externos virtutis sacrificium nominat, id secundum quid et *analogice* tantum accipiendum esse facile colligitur : *a*) vel ex aliqua oppositione, v. g. (Ps. L, 18-19) : *Si voluisses sacrificium, dedissem utique ; holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus; b*) vel ex aliqua additione restrictiva, utputa (Ps. XLIX, 14) : *Immola Deo sacrificium laudis ; c*) vel ex meræ comparationis similitudine, v. g. (Rom. XII, 1): *Ut exhibeatis corpora vestra* (veluti) *hostiam viventem.*

Obj. 3.— Sacrificium consistere videtur in sola oblatione Deo facta ; legitur enim (Gen. XIV, 18) Melchisedech sacrificasse, quatenus obtulit panem et vinum. Ergo.

Resp. *N. antec.— D. prob* :... quatenus obtulit panem et vinum *simplici* oblatione, *N* ; oblatione *sacrificali*, *C.— Neg. conseq.*

ARTICULUS II.

De veritate seu existentia sacrificii eucharistici.

(Q. LXXXIII, a. 1)

In celebrando Eucharistiæ mysterio verum Deo offerri proprieque dictum sacrificium (quod Missæ sacrificium nuncupatur), inficiati sunt hæresiarchæ sæc. XVI *Lutherus* et *Calvinus*, quibus consensit Ecclesia *anglicana* et *episcopaliana*[1].— *Hodge* (Syst. theol. P. III, ch. 20) missæ sacrificium a Protestantibus repudiari declarat[2], maxime quia destitutum est omni fundamento scripturali, in doctrina transsubstantiationis fundatur et efficaciæ sacrificii Crucis derogat.— Operæ pretium erit doctrinam catholicam plenioris demonstrationis fulcimine, in re tam gravi, communire.

Conclusio.— SACRIFICIUM EUCHARISTICUM SEU MISSA EST VERUM AC PROPRIE DICTUM SACRIFICIUM.— Id definivit *Conc. Trid.* (Sess. XXII, can. 1) : « Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo *verum* et *proprium* sacrificium ; aut quod offerri non sit aliud quam nobis Christum ad manducandum dari ; A. S.».— Argumenta validissima ducuntur ex solitis theologiæ fontibus.

Arg. *ex Scriptura :* — scil. ex *figuris*, ex *prophetiis*, ex *verbis institutionis* Eucharistiae *aliisque locis* subsidiariis.

1° Ex *figuris.*— 1ª *figura* habetur (Gen. XIV, 18-19) : *Melchisedech rex Salem, praeferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi, benedixit ei* (sc'l. Abraham); quo ex loco ita argumentum construimus : Melchisedech verum Deo obtulit in pane et vino sacrificium. Atqui in illa cæremonia vetus patriarcha manifesta fuit figura Christi mysterium Eucharistiæ instituentis sub specie panis et vini adeo ut unum alteri respondeat : ergo.— *Maj. prob : a) Primo*, cum Scriptura pluries describat sacerdotium Melchisedech, pronum erat ut et sacrificium, eidem sacerdotio connexum, alicubi traderet. Nusquam autem fit mentio sacrificii quod obtulerit Melchisedech, nisi citato loco. Igitur etc. Sane *b) secundo*, juxta Geneseos verba, Melchisedech *protulit* panem et vinum. Jamvero, licet ex se vocabulum istud nihil

[1] — Schaff, *The Creeds of Christendom*, vol. III (ed. 4), p. 507.— Sunt tamen Anglicani recentiores qui *aliquod* missæ sacrificium admittunt.

[2] — Scribere non dubitat : « No doctrine of the Church of Rome is more portentous or more fruitful of evil consequences than this doctrine of the mass ».

aliud significet nisi in medium producere, tamen pro loci exigentia sæpe usu biblico adhibetur ut exprimat adductionem hostiæ ad immolationem (Bellarm. l. V, c. 6). Ergo verisimile est ut in præsentiarum hanc significationem præ se ferat. Eo maxime *c*) *tertio*, quia verba sequentia talem sensum exigunt ; quippe subditur : *erat enim sacerdos Dei altissimi*. Ubi (quidquid effutiant Protestantes) particula *enim* causalis est et connexiva præcedenti sententiæ, non autem alteri subsequenti : *causalis* est, inquam, nam licet in hebræo sit tantum particula conjunctiva, tamen frequentissima exempla ostendunt apud Hebræos conjunctivam supplere vicem causalis et verti debere per *enim ;* annectitur vero *praecedenti sententiae*, non subsequenti *benedixit ei*, tum propter interpunctionem, tum quia sacerdotis est offerre magis quam benedicere. Cum ergo ex sacerdotio petatur ratio cur Melchisedech panem et vinum obtulerit, planum est sermonem ibi esse de oblatione vere sacrificali. *d*) *Quarto* huc accedit traditio tum christiana tum quoque hebraica (ap. Bellarm. *l. cit.*) : hinc Ecclesia in canone Missæ commemorat sacrificium « quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech sanctum sacrificium ».— *Min. ostend.* Nam *a*) *primo* ex parte *rei oblatae* patet correspondentia (saltem quoad exterius symbolum) inter oblationem factam a Melchisedech et oblationem factam a Christo ejusque ministris. *b*) *Secundo*, ex parte *sacerdotis* idem convincitur : fide enim constat (Ps. CIX, 4; Heb. VI-VII) Christum esse sacerdotem *in aeternum* secundum *ordinem Melchisedech*, non vero Aaronicum. Igitur oportet Christum ita convenire in sacerdotio cum Melchisedech ut aliquid Deo præcipua oblatione rituque incruento et perenni offerat. Atqui nihil aliud præter corporis et sanguinis Domini oblationem sub speciebus panis et vini, quæ quotidie jugiterque auctore Christo in Ecclesia celebratur, adduci potest in quo præfatæ conditiones reperiantur ; sacrificium enim crucis cruentum fuit et una vice completum. Ergo recte *Conc. Trid.* (Sess. XXII, cap. 1) de Salvatore docet quod « sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit ». *c*) *Tertio* consonant omnes *Patres* cum græci tum latini, quorum testimonia viginti et amplius profert Bellarminus (*l. cit.*) ; inquit *August.* (Ep. 177 ad Innoc. P. n. 12) : « Melchisedech prolato sacramento mensæ dominicæ, novit æternum ejus sacerdotium figurare ». Quibus verbis aperte docet oblationem Melchisedech figuram fuisse Eucharistiæ, et in ea offerenda maxime consistere æternitatem sacerdotii Christi.

2ª Figura est *agnus paschalis*, de quo agitur (Ex. XII) et similibus locis ; unde argumentum : in celebratione agni paschalis immolabatur victima Deo oblata. Atqui vetus illa celebratio figura erat expressa celebrationis Eucharistiæ. Ergo, ut figuratum figuræ respondeat, celebratio Eucharistiæ debet esse etiam immolaticia seu sacrifica.— *Maj.* parvo negotio comprobatur. *a*) Agnus enim paschalis præcipitur *immolari* (Ex. XII, 21 ; cf. Marc. XIV, 12), vocatur *victima transitus Domini* (*ibid.* v. 27), quæ *in sacrificium* Deo *offertur* (Num. IX, 7 et 13). *b*) Præterea, ut docet B. Paulus, *Pascha nostrum immolatus est Christus* (1 Cor. V, 7); Apostolus autem sacrificium Christi emortui paschæ immolationem non appellaret, si agni paschalis immolatio non fuisset verum sacrificium. *c*) Neque obstat (*Bellarm.* l. V, c. 7) quod non offerebatur a solis sacerdotibus : hoc enim sacrificium institutum fuit antequam familia Aaron determinaretur ad sacerdotium, ideoque quantum ad hoc mansit patribus familias antiquum privilegium sacrificandi.— *Min. decl. a*) *Primo* ex *conformitate* inter celebrationem paschalem et celebrationem eucharisticam[1]. Etenim agnus paschalis immolabatur in *memoriam* transitus Domini et liberationis populi de Ægypto ; Eucharistia celebratur in memoriam transitus Christi ex hoc mundo et nostræ liberationis de potestate Satanæ (*C. Trid.* Sess. XXII, cap. 1). Agnus immolabatur ut manducaretur, quasi *viaticum*, a Judæis specie peregrinantium indutis ; Eucharistia quid est aliud nisi viaticum gradientium ad cœlestem patriam? Agnus non poterat manducari nisi a *circumcisis* et mundis et in Jerusalem ; ita Eucharistia non potest sumi nisi a baptizatis et puris et in Ecclesia catholica. Tandem pascha celebranda erat *certa* die ; quo ipso tempore Christus Eucharistiam instituit. Unde recte concluditur immolationem paschalem, etsi præfiguraret passionem dominicam, principaliter tamen fuisse figuram Eucharistiæ. *b*) *Secundo* id confirmatur communi *Patrum* consensu ; e quibus ita *S. Hieronymus* (in cap. 26 Matth.) : « Postquam *typicum* pascha fuerat impletum et agni carnes cum apostolis comederat, assumit panem qui confortat cor hominis, et ad *verum* pascha transgreditur sacramentum ». *c*) *Tertio* tamen, cum Eucharistia non a solo agno paschali, sed ab aliis etiam antiquis sacrificiis, præsertim a sacrificio Melchisedech, figurata fuerit, non omnia quæ in celebratione paschali fiebant ad figurandam Eucharistiam pertinent, sed illa tantum quæ non pugnant cum impletione aliarum figurarum : cujusmodi est

[1] — Cf. I-IIæ, Q. CII, a. 5 ad 2.

agni oblatio et manducatio, vere ac præstantius repræsentata in Eucharistia, sed modo incruento, sub specie panis et vini, ut locum habeat alia figura sacrificii Melchisedech[1].

2° Ex *prophetiis*. — Quoniam sacrificium Eucharistiae « non solum evangelicis, verum etiam propheticis litteris demonstratur » (*August.* ep. 102, n.21), solent controversistæ arguere ex diversis vaticiniis, puta Is. XIX, 21, Jerem. XXXIII, 17-18, Dan. XII, 11 ; quæ, interpretibus præsertim SS. Patribus, haud spernenda rationum momenta suppeditant.

Omnium tamen vaticiniorum veluti caput et summa continetur in illo insigni testimonio (Malach. I, 10-11) : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus ; et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* His ex verbis quibus Deus, reprobatis sacrificiis leviticis, novum eis substituendum sacrificium prænuntiat, dupliciter colligere possumus veritatem sacrificii eucharistici, scil. tum *extrinsece* tum *intrinsece*.

Extrinsece quidem.— *Veteres* (apud Bellarm. l. V, c. 10) a Justino M. et Irenæo usque ad Damascenum magna consensione locum illum interpretantur de purissimo Eucharistiæ sacrificio ubique nunc oblato ; audiatur, speciminis gratia, *S. Augustinus* de Eucharistia loquens (de Civ. dei, l. XVIII, c. 35) : « Hoc sacrificium, inquit, per sacerdotium Christi secundum Melchisedech, cum in omni loco a solis ortu usque ad occasum Deo jam videamus offerri, sacrificium Judæorum, quibus dictum est : *Non est mihi voluntas in vobis, nec accipiam de manibus vestris munus*, cessare negare non possunt ; quid adhuc expectant alium Christum ? »— Fatear ex *Tertulliano* aliisque forte veteribus obvia quædam haberi, unde textus Malachiæ ad sacrificium orationis et laudis (ut Protestantes volunt) spectare prima fronte videatur. At melius consideranti apparet, ideo sacrificium a Malachia prædictum dici penes quosdam sacrificium *orationis* et sacrificium *spirituale*, quia et inter orationes Deo gratas celebratur et constat (secus ac antiqua sacrificia) non terrena sed cœlesti victima, nec carnali sed spirituali modo sacrificata.— Cæterum *C. Trid.* (Sess. XXII,

[1] — Silentio præterimus reliquas figuras sacrificales V. L., quas ad Eucharistiam esse referendas evincit *Bellarminus* (l. V, c. 8), ac diserte docet *Conc. Trid.* (Sess. XXII, cap. 1) his verbis : « Illa est quæ per varias sacrificiorum, naturæ et legis tempore, similitudines figurabatur ; utpote quæ bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consummatio et perfectio complectitur »

cap. 1) explicite de Eucharistia pronuntiat: «Hæc illa munda oblatio est quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest ; quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit ».

Intrinsece nunc arguitur : — Citatis verbis prædicit Malachias novum cultum vere proprieque sacrificalem in locum cultus degeneris subrogandum. Atqui characteres, quibus hoc novum sacrificium describitur, soli Eucharistiæ convenire possunt. Ergo.— *Maj. ostend : a*) *primo* ex *vocibus* (*mincha* aliisque) a propheta adhibitis, quæ usu frequentissimo in ss. Litteris generatim significant sacrificium proprie dictum, speciatim vero sacrificium incruentum (cf. Sasse, de Euch. th. XX). *b*) *Secundo* ex *oppositione sacrificiorum ;* cultui enim primævo, qui facile polluebatur et in contemptum divini nominis vergebat, successurum prædicit Malachias cultum novum qui nec in se pollui nec Deum inhonorare valeat. Atqui primus cultus vere sacrificus erat : ergo multo magis cultus a vate sacro prænuntiatus. *c*) *Tertio* ex *antithesi sacerdotum ;* opponit enim Malachias sacerdotibus antiquis, quos Dominus manifeste alloquitur (cf. v. 6 : *ad vos, o sacerdotes* etc.), non quoscumque pios, sed certos homines in locum illorum sufficiendos : quod patet ex cap. III, v. 3-4, ubi ministros novi cultus *filios Levi*, scil. sacerdotes, appellat. Atqui sacerdotium et sacrificium proprie dictum duo sunt correlativa se mutuo involventia. Ergo.— *Min.* restat declaranda ; quod ita præstabimus. Characteres, quibus novum sacrificium delineatur, sunt *universalitas* non solum relativa sed et *absoluta*, *objectiva mundities* et *insignis praestantia*, quibus addi potest ratio offerendi *incruenta:* universalitas, inquam, absoluta, quia sacrificium illud offerendum est *in omni loco* seu *ab ortu solis usque ad occasum ;* objectiva mundities, quia *oblatio munda* simpliciter asseritur clareque opponitur hostiis legaliter immundis impie tunc oblatis (v. 7-8) ; insignis præstantia, quia Malachias emphatica repetitione verborum *magnum est nomen meum in gentibus*, demonstrat quanta Dei glorificatio ex cultu novo consecutura sit ; tandem ratio offerendi incruenta, prout eruditi ex *hebraico* textu conjectantur. Jamvero hi characteres adamussim congruunt celebrationi Eucharistiæ, nequaquam vero, saltem collective, aliis sacrificiis : scil. neque sacrificio Crucis, quod cruentum fuit semelque tantum uno in loco oblatum; neque novo sacrificio Judaico, utpote quod limitibus gentis hebraicæ contineretur ; neque etiam nobiliori sacrificio piorum gentilium, quippe qui paucissimi erant. Ergo.

3° Ex *verbis institutionis* Eucharistiae (Matth. XXVI ; Marc. XIV ; Luc. XXII ; 1 Cor. XI).— En argumentum :

Christus in ultima cœna seipsum victimam sub specie panis et vini Deo Patri obtulit, idque ipsum jussit fieri ab Apostolis et eorum successoribus usque ad mundi consummationem. Atqui hoc est sacrificium vere ac proprie dictum obtulisse et offerendum instituisse : ergo. *Min.* perspicua est ; *Maj.* quoque quoad secundam partem satis elucet ex præcepto Christi (Luc. XXII, 19) : *Hoc facite in meam commemorationem ;* prima pars vero probari debet, quod efficiemus triplici ex medio : — *a*) *Primo* ex *ipsis verbis.* Sane verba Christi sunt : *Corpus meum quod pro vobis datur* (Luc. XXII), *quod pro vobis tradetur*, græce *frangitur* (1 Cor. XI) ; *sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur* vel *effunditur in remissionem peccatorum* (Matth. XXVI) ; *calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur* græce *funditur* (Luc. XXII). Illis autem locutionibus declarari verum ac proprie dictum Christi sacrificium, patet, tum quia Christum *dari pro* nobis in locis biblicis parallelis sensum sacrificalem præ se fert[1], tum quia pariter in Scripturis *sanguinem effundi in remissionem* semper dicitur ratione oblationis sanguinis Deo factæ[2], tum denique quia Christus, ex analogia cum sanguine sacrificali quo vetus Testamentum dedicatum fuit, sanguinem suum velut Novi Testamenti sigillum exhibet[3].— *b*) *Secundo* ex *statu Christi in sacramento :* nam ideo in cœna *seorsim* consecratur corpus et seorsim sanguis, ut intelligamus præsentiam corporis et sanguinis sub speciebus esse ad modum occisi corporis et *victimae.* Præterea, Christus in instituenda Eucharistia corpus et sanguinem suum ceu *cibum* et *potum* exhibuit. At caro et sanguis non sunt apta ad cibum, nisi prius animal moriatur ; Christus autem non moritur nisi per immolationem. Ergo etc. (ita Bellarm., l. V, c. 12).— *c*) *Tertio* ex *Patrum interpretatione ;* quorum unum audire sufficiat, scil. *Greg. Nyss.* (Orat. 1 in Ch. Resurr.) : « Seipsum, inquit, pro nobis hostiam offert et victimam immolat, sacerdos simul existens et agnus Dei... Quando id præstitit ? cum corpus suum discipulis congregatis edendum et sanguinem bibendum præbuit ».

4° Ex *tribus aliis eloquiis N. T.*— *a*) Primus locus est (Joan. IV), ubi inducitur mulier samaritana loquens de *adoratione* a Samaritanis quidem in monte Garizim, a Judæis autem Jerosolymis facta. Cui respondit Christus (v. 21-23) : *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosoly-*

[1] — Knabenbauer, *Comm.* in Luc. XXII, p. 572.
[2] — Id., *Comm.* in Matth. XXVI, p. 434.
[3] — *Ibid.*, p. 435.

mis adorabitis Patrem... Venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Porro Samaritanam intellexisse non qualemcumque adorationem, sed publicam maximeque *sacrificalem*, ex eo comperitur quod quæstio tunc erat Judæos inter et Samaritanos agitata, *ubi* sacrificandum foret. Christus igitur, ad mentem mulieris respondens, censendus est opponere veteri adorationi per sacrificia localia, carnalia et figuralia, *novam* adorationem utique stabilem per sacrificium quoddam *universale*, *spirituale* ac *figuras adimplens*, i. e. per sacrificium eucharisticum.—*b*) Secundus locus habetur (Act. XII, 2), ubi S. Lucas refert ordinationem Pauli et Barnabæ : *Ministrantibus illis Domino et jejunantibus, dixit Sp. Sanctus : Segregate mihi Saulum et Barnabam* etc. Significari autem illa voce *ministrantibus* sacrificium proprie dictum seu eucharisticum, non autem ministerium verbi vel sacramentorum (ut Protestantes contendunt), eruitur ex duobus : *primo* ex voce græca correspondente « *liturgiam* facientibus », quæ usu biblico absolute ponitur pro ministerio sacrificii (Bellarm. l. V, c. 13) ; *secundo* ex voce adjecta *Domino*, quandoquidem ministrare Deo proprie est ministerium sacrificale Deo exhibere.— *c*) Tertius locus offertur (1 Cor. X, 20) : *Quae immolant gentes daemoniis immolant, et non Deo. Nolo autem vos socios fieri daemoniorum : non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum; non potestis mensae Domini participes esse, et mensae daemoniorum.* Quibus verbis Apostolus, ut averteret fideles a conviviis sacrificalibus paganorum, eos monet quanta oppositio sit inter celebrationem Eucharistiæ et sacrificia gentilium, inter mensam Domini et gentilium mensam. Porro hæc oppositio aperte subindicat Eucharistiæ insitam esse rationem sacrificii, et *mensam*[1] Domini esse altare in quo sacrificium illud Deo exhibetur : ergo.

Arg. ex *traditione ecclesiastica ;* — quæ tum per *Patrum* sententias, tum per *liturgiarum* formulas, tum denique per antiqua *concilia* innotescit.

1° *Patrum* consensio tanta est totque locupletissimis testimoniis fulcita ut Lutherus eam negare non sit ausus, sed maluerit illis valedicere quasi christianæ veritatis corruptoribus.[2]— Ex pluribus autem capitibus (præter ea quæ jam

[1] — De sensu sacrificali vocis *mensa* cf. Cornely, *Curs. Script. sac., Comm.* in h. l.

[2] — Inquit impudentissimus hæresiarcha (l. *de Miss. priv.*, ap. Bellarm. l. V, c. 15) : « Hic non moramur, si clamitent Papistæ : Ecclesia, Patres, Patres ; quia, ut dixi, hominum dicta aut facta nihil in tam magnis causis curamus. Scimus enim ipsos prophetas lapsos esse, adeoque apostolos ; verbo Christi judicamus Ecclesiam, apostolos, adeoque ipsos Angelos ».

hactenus protulimus) comprobatur illa consensio : *a*) *primo* ex vocibus *sacrificii*, *hostiae*, *immolationis*, etc., quibus Patres utuntur cum de celebratione cœnæ Domini verba faciunt. Passim enim, ultro fatentibus adversariis, tum Græci tum Latini non solum vocant Eucharistiam sacrificium seu oblationem, sed eam dicunt offerri Deo, immolari, sacrificari. Porro hæc omnia manifeste præferunt sensum sacrificii *proprie* dicti, præsertim si advertamus Patrum sententiam esse quod *solis sacerdotibus* licitum sit sacrificium illud Deo offerre.— *b*) *Secundo*, ex *ritu altarium* quem Patres commemorant : altaria non consuevisse erigi nisi ad sacrificia proprie dicta, protestantes haud inficiantur ; nec certe alia de causa Novatores ea ubique in templis demoliti sunt, substitutis mensis convivialibus, nisi quod intelligerent sacrificalem illis inesse significationem. Jamvero plerique Patres in suis sive epistolis sive homeliis sive tractationibus disertam mentionem faciunt de altaribus in Dei cultum et honorem erectis. Ergo.— *c*) *Tertio*, ex nomine *sacerdotis* apud veteres frequentissimo : licet enim Apostoli, Deo inspirante et ne Judæorum sacrificia adhuc vigentia confirmare putarentur, a nominandis sacerdotibus, sicut et altaribus, templis, etc., in Scriptura abstinuerint, paulo post tamen, everso templo hierosolymitano, libere cœperunt antiquissimi Patres ministros Ecclesiæ sacerdotes appellare. Mimine vero ea voce usi essent, si verum sacrificium, ad quod offerendum ordinantur sacerdotes, defuisset.

2° *Liturgiæ* suam quoque attestationem suppeditant ; — de quibus ita *Bellarminus* (l. V, c. 18) : « Ex omnibus antiquis liturgiis quæ extant, Jacobi, Clementis, Basilii, Chrysostomi, et ex lib. 5 et 6 de sacramentis Ambrosii et ex Catech. 4 et 5 mystag. Cyrilli Hier., quæ magnam partem liturgiæ exponunt, clarissime patet veteres Patres eo ritu celebrasse mysterium Eucharistiæ, ut nihil dubitaverint eam esse verissimum sacrificium ; plena sunt enim nominum oblationis, sacrificii, victimæ, signorum, benedictionum, elevationum, aliorumque ejusmodi rituum[1] ».

3° *Concilia* multa tum generalia tum particularia possent etiam afferri, puta *Nicænum I*, *Ephesinum*, *Chalcedonense*, *Carthaginense III*, *Toletanum X*, *Trullanum*, *Lateran. IV*, quorum declarationibus vel implicite vel explicite veritas sacrificii eucharistici asseritur : brevitatis gratia, recitandis textibus[2] supersedemus.

[1] — Vid. plura ap. Sasse, th. XXIV.

[2] — Cf. Knoll, *de Euch.*, Diss. III, a. 2.

Arg. ex *rationibus theologicis ;* — quæ triplici præsertim ex capite duci possunt.

1ª ratio ex *nexu inter religionem et sacrificium* vigente (quasi ex jure naturali).— Tanta conjunctio est inter religionem seu cultûs legem et sacrificium externum ac proprie dictum ut omnino necesse sit in Christi Ecclesia aut illam deesse, aut istud reperiri. Atqui nullum aderit sacrificium veri nominis, si missam tollas : ergo. *Majoris* veritas clare emergit ex superius dictis (art. 1) ; honor enim soli Deo debitus propriissime in sacrificio consistit. *Min.* evincitur ex eo quod, sublato missæ sacrificio, nullum aliud superest præter sacrificium crucis. Porro, hoc sacrificium, quamvis verissimum fuerit, semel tantum peractum est, nec proprie præsentis est œconomiæ, sed magis in confinio utriusque legis, antiquæ et novæ, Mosaicæ et Christianæ, eminere conspicitur. Ne igitur Deus cultu sacrificali, supremæ majestati debito, in præsentiarum careat, admittamus oportet missam esse sacrificium proprie dictum.

2ª ratio ex *comparatione legis Christianæ ad Mosaicam* (quasi ex jure positivo).— Impellente quidem natura, sed Deo legibus ac præceptis determinante, fuerunt in populo judaico sacrificia proprie dicta. Atqui Christus non omnino sustulit ea quæ veteris legis erant, sed aut perfecit aut implevit atque in meliora mutavit. Ergo legitime existimatur præstantius quoddam sacrificium populo christiano suppetere[1].— Eo magis, quia *ex parte ipsius populi* eædem sunt ac apud Hebræos sacrificandi causæ et necessitates ; *ex parte Dei* autem cultu sacrifico honorandi, urgentior adhuc habetur sacrificii ratio et necessitas pro excellentiori christianæ religionis dignitate.

3ª ratio ex *differentia inter sacramentum et sacrificium* (quasi ex jure sacramentali).— Commune est omnibus sacramentis ut ab alio dentur, ab alio accipiantur ; ut in actione aliqua consistant ; et per hanc actionem quasi per instrumentum gratiam sanctificationis conferant : sola Eucharistia in his tribus differt, quatenus et participatur a consecrante, et reponitur in re permanente, utpote continens ipsum corpus Christi pro nobis in cruce oblatum. Atqui tria ista pertinent ad rationem sacrificii. Ergo[2].

[1] — Excellentiam sacrificii eucharistici præ veteribus sacrificiis describit *S. Thomas*, Opusc. LVII, cap. 4.

[2] — Cf. Bellarminum, l. V, cc. 20-22 ; ubi tres illas rationes prolixius evolvit.

Solv. obj.— Obj. 1.— Eatenus Eucharistia verum esset sacrificium, quatenus, præter Christum, alii essent sacerdotes offerentes. Atqui unus nunc est sacerdos Christus, ut pate ex Heb. (VII, 23-24) : *Alii plures facti sunt sacerdotes idcirco quod morte prohiberentur permanere ; hic autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.* Ergo. (Ita Calvinus).

Resp. *D. M* :... quatenus alii essent sacerdotes principaliter offerentes, *N ;* ministerialiter, *C.*— *C. d. m :* unus est sacerdos principalis, Christus, *C ;* ad exclusionem sacerdotum inferiorum, *N.*— *Neg. conseq.*

1° Sacerdotes V. L. plures erant, quia mortales subindeque successione indigentes ; in hoc autem præcellit Christi sacerdotium, quod æternum est et in suo ordine unum.— 2° Verumtamen huic unitati et æternitati nullatenus repugnat multiplicatio sacerdotum *inferiorum* sub Christo *principaliter* offerente sacrificantium, sicut nec unitas supremi Christi magisterii excludit doctores secundarios. Hoc sensu ait *S. Thomas* (Comm. in Heb. VII) : « Solus Christus est verus sacerdos, alii autem ministri ejus ; (1 Cor. IV, 1) *sic nos existimet homo ut ministros Christi* ».

Obj. 2.— Consummatio salutis per unum sacrificium non relinquit locum alteri sacrificio. Atqui Christus in cruce immolatus *una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos* (Heb. X, 14). Ergo. (Ita rursus Calvinus).

Resp. *D. M* :... non relinquit locum alteri sacrificio penitus diverso, *C ;* sacrificio identico ex parte victimæ, et diverso tantum quoad offerendi modum, *N.*— *D. m* :... per modum causæ universalis, *C ;* et huic generali oblationi non potest sacrificium altaris particulariter influens subordinari, *N.*— *Neg. conseq.*

1° Sacrificium crucis in ordine *causæ universalis* ita sufficiens fuit ut salutem nostram omnino consummaverit, virtute attingens omnia tempora, omnes homines, omnemque sacrificalem effectum.— Verum 2° hæc sufficientia et perfectio non prohibet quominus utilitas habeatur alicujus sacrificii particularis, *subordinati*, reque ipsa identici, quo et memoria sacrificii generalis recolatur et fructus ejus nobis singulis applicentur : nonne in V. L. vera extitere sacrificia, sacrificii crucis præfigurativa, quin tamen universalem Christi influxum offenderent ?

Obj. 3.— Cœna Domini seu Eucharistia est testamentum, ut ipse nos docet Christus (Matth. XXVI ; Luc. XXII). Atqui ratio testamenti, quod ad nos a Deo devenit, pugnat cum ratione sacrificii, quod a nobis ad Deum ascendit. Ergo. (Ita Lutherus).

RESP. *C. M.*— *D. m* :... sub eodem respectu *formali*, *C* ; quasi non possint duæ illæ rationes *materialiter* ad eamdem rem pertinere, *N.*— *Neg. conseq.*

Verissimum est Eucharistiæ competere rationem testamenti, non solum quia Novum Fœdus sanguine eucharistico sigillatum est, verum etiam quia eâ continetur instrumentum publicum et authenticum divinæ erga nos voluntatis et liberalitatis, imo ipsius divinæ præsentiæ hæreditas.— Age vero : quid vetat sub alio respectu formali Eucharistiam esse sacrificium ? Profecto, quemadmodum hostiæ V. L. veris in sacrificiis Deo offerebantur, licet ab Ipso omnium auctore primitus processissent, ita dubium non est quin sacratissimum Christi corpus nobis testamenti ad instar concessum, Deo offerri seu sacrificari proprie valeat[1].

ARTICULUS III.

De habitudine sacrificii Eucharistiae ad sacrificium Crucis.

Stabilita sacrificii eucharistici existentia, proximum est ut ad ejus *naturam* indagandam deveniamus. Id autem ut rectius faciliusque peragi queat, opportunum ducimus prævia disquisitione determinare qua ratione se habeat sacrificium eucharisticum ad sacrificium Crucis (de quo plura suo loco, tract. *de Incarn.*, disseruimus) : hac enim perspecta *habitudine*, jam quid in se sit sacrificium Eucharistiæ proniori discursu comperietur.— Dicenda sub hoc articulo unius propositionis finibus claudemus.

Conclusio.— SACRIFICIUM EUCHARISTICUM ITA AD SACRIFICIUM CRUCIS REFERTUR UT SIT REALIS EJUSDEM COMMEMORATIO, QUATENUS ET SUBSTANTIÆ IDENTITATE ILLUD PERPETUAT, ET MODO ACCIDENTALIS DIFFERENTIÆ ILLUD REPRÆSENTAT.— Tres distingue partes.

1ª *Pars* generalis sibi vult sacrificium eucharisticum esse *commemorativum* sacrificii Crucis, non solum secundum subjectivam hominis recordationem vel externam Dei institutionem, sed *objective* et *intrinsece*.— Huc spectant verba *Conc. Trid.* (Sess. XXII, cap. 1) quibus decernitur Christum in cœna instituisse visibile sacrificium « quo cruentum illud, semel in cruce peragendum, *repraesentaretur*, ejusque *memoria* in finem usque sæculi permaneret ».

[1] — Plura adversariorum argumenta soluta reperies penes Bellarminum (l. V, cc. 24-26), Drouyn (l. V, Q. 4) ; etc., etc.

1° Commemorativam illam habitudinem *Scriptura Sacra* demonstrat tum implicite tum explicite : — *a*) *Implicite* quidem ; nam Christus in instituendo Eucharistiæ sacrificio, licet in præsenti loquatur de corpore suo *dato* et sanguine *effuso*, manifeste tamen his vocibus alludit ad sacrificium cruentum quo vere Domini corpus mactatum ac sanguis effusus est, adeo ut in Vulgata S. Hieronymus futuro tempore, *tradetur*, *effundetur*, directe hunc sensum significaverit.— *b*) *Explicite* vero ; quandoquidem Christus, post institutum sacrificium eucharisticum, edixit (Luc. XXII, 19) : *Hoc facite in meam commemorationem ;* quod præceptum explicans Ap. ait (1 Cor. XI, 26) : *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.*

2° *Traditio* ex Patrum Doctorumque sententiis luculentum offert argumentum.— Sane *Patres* frequenter docent Eucharistiam respondere passioni veluti *symbolum*, *imaginem*, *recordationem* (S. Cyprian., S. Ambros., S. Chrysost., S. August.), unde verba consecrationis *gladio* comparant (S. Greg. Naz.) Audiatur *S. Greg. M.* (Dialog. IV, c. 58) : « Hæc singulariter victima ab æterno interitu animam salvat, quæ illam nobis *mortem Unigeniti per mysterium reparat*... Pensemus quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra *passionem unigeniti Filii semper imitatur* ».— Inter Doctores sic loquitur *S. Thomas* (III, Q. LXXXIII, a. 1) : « Sicut dicit August. ad Simplic. (l. II, q. 3), solent imagines earum rerum nominibus appellari quarum imagines sunt ; sicut cum intuentes tabulam aut parietem pictum dicimus : Ille Cicero est, et ille Sallustius. Celebratio autem hujus sacramenti, sicut supra dictum est (Q. LXXVI, a. 2 ad 1 ; Q. LXXIX, a. 1), imago quædam est repræsentativa passionis Christi quæ est vera ejus immolatio. Et ideo celebratio hujus sacramenti dicitur Christi immolatio[1].»

3° Accedunt verba Pii X nuperius prolata :[2] « Maxime ut ministri Christi in præcellentissimo *sacrificio*, *quod perenni virtute pro mundi vita innovatur*, debemus *ea animi conformatione uti, qua ille ad aram crucis* scipsum obtulit hostiam immaculatam Deo.»

2ª *Pars* in eo est, quod sacrificium Eucharistiæ perpetuat sacrificium crucis « substantiæ identitate ».— Non desunt quidem post Suarezium *theologi* specificam seu substantialem differentiam ponentes inter utrumque sacrificium ; *alii* ta-

[1] — (*Ibid.* ad 2) S. Doctor ait : « Sicut celebratio hujus sacramenti est imago repræsentativa passionis Christi, ita altare est repræsentativum *crucis* ipsius, in qua Christus in propria specie immolatus est ».

[2] — Exhort. ad clerum catholicum (4 aug. 1908).

men, multoque verius, substantialem identitatem propugnant : quod et auctoritate et ratione confirmabitur.

1° *Auctoritate.*

a) Occurrit in primis *Conc. Trid.* dicens (Sess. XXII, cap. 2) : « Una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa ». Porro his verbis significari identitatem specificam, ex duobus colligimus : *primo* ex particula *sola*, quæ sensum evidenter restringit ad differentiam modicam proptereaque accidentalem in modo offerendi ; *secundo* ex *Catech. Trid.*, Concilii optimo interprete, ubi legitur (P. II, de Euch. n. 82) : « *Unum* et *idem*[1] sacrificium esse fatemur et haberi debet, quod in missa peragitur et quod in cruce oblatum est » ; quemadmodum est una tantum hostia « cujus sacrificium in Eucharistia quotidie *instauratur* ».— E *Patribus* referre libet *S. Joan Chrysost.* (in Heb. hom. 17, n. 3) : « An non, inquit, nos quotidie offerimus ? Offerimus quidem, sed ejus mortem revocamus in memoriam, et ipsa una est, non multæ. Quomodo una est, non multæ ? Quoniam semel fuit oblata... Eumdem semper offerimus, hoc est, non nunc aliam, cras aliam ovem, sed semper eamdem. Quamobrem *unum* est sacrificium... Quoniam multis in locis offertur, multine sunt Christi ? Nequaquam, sed unus ubique Christus... Ut ergo multis in locis oblatus, unum est corpus, et non multa corpora ; ita etiam unum est sacrificium[2]».

b) Planius adhuc suppetit *D. Thomae* suffragium qui absolute docet (III, Q. XXII, a. 3 ad 2) : « Sacrificium quod quotidie in Ecclesia offertur, *non est aliud* a sacrificio quod ipse Christus obtulit, sed ejus commemoratio ». Unde (Q. LXXXIII, a. 1 ad 1) declarans verba Ap. (Heb. X, 14) : *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*, eamdem hostiæ et sacrificii unitatem ex S. Ambrosio reaffirmat.— Huic doctrinæ consentit præclarus D. Thomæ sectator *Cajetanus* inquiens (Opusc. t. II, tract. 2 de Euch., c. 9) : « Circa hoc caput adverte errari in hoc quod existimatur sacrificium altaris esse diversum sacrificium a sacrificio quod obtulit Christus in cruce ; quum tamen *in veritate sit illudmet* sicut est illudmet corpus Christi, et illemet sanguis Christi in al-

[1] — Nota hoc affirmari *sine addito* seu simpliciter ; quod manifeste subaudit identitatem substantialem.

[2] — In hanc sententiam convenire *S. Augustinum* bene arguit Dr Alex. MacDonald (ex Nova Scotia), in period. *The American eccl. Review*, dec. 1900.— Vide plura tum veterum tum recentiorum testimonia apud eumdem auctorem in opere *The sacrifice of the Mass*, 1905.— Cf. quoque *Catéchisme* de la Vén. Mère Marie de l'Incarnation (3e éd., p. 323), ubi asseritur missam non esse solum repræsentationem sacrificii crucis, sed " rem ipsam ".

tari, et in cruce, et in cœlo modo. Differentia autem est in modo offerendi ». Et ne quis ex hac differentia decipiatur, subdit (t. III, tract. 10 de Missæ, sac. c. 6) : « Ex parte modi offerendi licet sit diversitas, quia tamen iste modus, scil. incruente immolare, non est secundum seipsum tanquam disparatus modus immolandi institutus, sed duntaxat ut refertur ad cruentam in cruce hostiam, consequens est apud sapientes et penetrantes quod *ubi unum nonnisi propter alterum, ibi unum duntaxat est*, consequens, inquam, est non posse affirmari, proprie loquendo, duo sacrificia aut duas oblationes, immolationes, et quovis nomine appelles, esse in N. T. ex hoc quod est in eo hostia cruenta, Christus in cruce, et hostia incruenta, Christus in altari ».— Addantur verba Card. *Bona* (De sacrificio missæ, cap. I) : « Missa... applicat omnibus, pro quibus offertur, vim et virtutem sacrificii crucis ; imo est *idem sacrificium quoad substantiam*, eadem hostia, idem principalis offerens, licet diverso modo offeratur ».

2° *Ratione.*— Sacrificium ex tribus præsertim consurgit, scil. ex sacerdote offerente, ex victima oblata, et ex ipsa immolaticia oblatione. Atqui tria hæc sunt substantialiter eadem in utroque sacrificio, crucis et altaris : ergo. *Min. decl.* per partes.

a) *Sacerdos offerens* in Eucharistia, licet *ministerialiter* sit homo, *principaliter* tamen est ipse Christus, ut *Concilia* (Flor., Trid.) et *Patres* tradunt. « Unus atque idem sacerdos, ait *Catech. Trid.* (*l. cit.* n. 83), est Christus Dominus ; nam ministri qui sacrificium faciunt, non suam, sed Christi personam suscipiunt, cum ejus corpus et sanguinem conficiunt, id quod et ipsius consecrationis verbis ostenditur, neque enim sacerdos inquit : Hoc est corpus *Christi*, sed, Hoc est corpus *meum :* personam videl. Christi Domini gerens, panis et vini substantiam in veram ejus corporis et sanguinis substantiam convertit ».— Hoc autem accipiendum est, non tantum quia Salvator instituit sacrificium illud eique vim fructiferam ex passione sua indidit, sed maxime proprieque quia constituit sacerdotes qui *nomine* et *virtute* (S. Th. III, Q. LXXXIII, a. 1 ad 3) Christi principaliter agentis cœlestem victimam Deo offerunt. Sicut enim Christus per suam humanitatem concurrere censetur ad omnia supernaturalia opera[1], ita ceu supremus perennisque sacerdos merito existimatur voluntate sua in actionem sacrificam sacerdotum suorum præsentialiter influere.

b) *Victima oblata* in sacrificio Euch., attestantibus verbis institutionis omnibusque documentis huc spectantibus, ea

[1] — Cf. *de Incarnatione*, Disp. III, Q. V.

ipsa est quæ in cruce fuit Deo immolata ; Christus enim « corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit » (*Conc. Trid.* Sess. XXII, cap. 1).— Ex quo deprehenditur erroneum prorsus esse quod nonnulli sentiunt (cum *Suarezio*, Disp. XXV, s. 1, n. 9), scil.ipsas *species* eucharisticas intrinsece pertinere ad rem oblatam : aliud enim est corpus Christi offerri *sub* speciebus seu signis visibilibus, quod fides edocet ; aliud longe est, offerri corpus *cum* speciebus. Mixtio hæc et Ecclesiæ contradicit definienti unam eamdemque esse hostiam crucis et altaris, et præcellentem sacrificii eucharistici dignitatem, qualem christiani omnes intelligunt, offendit.— Cæterum non diffitemur ipsum panem et vinum pertinere ab oblationem sacrificalem, non quidem ut rem proprie oblatam, sed ut materiam *ex qua* res proprie offerenda consecratur.

c) *Oblatio sacrifica, substantialiter* sumpta seu seclusa differentia in modo offerendi, eadem quoque convenit sacrificio crucis et sacrificio altaris : siquidem quæ in cruce olim facta est, ministerio sacerdotum nunc perseverat, quatenus nos ipsi (ut apparet ex duplici consecratione) corpus Christi *ut* mactatum et sanguinem Christi *ut* effusum Deo offerimus (cf. dicenda in art. seq.) — Idcirco *Concilium* et *Catech. Trid.* simpliciter docent hostiam, immolatam in cruce, eamdem reperiri in sacrificio altaris ; *hostia* autem constituitur *formaliter* talis per oblationem vere immolaticiam. — Accedunt verba *Cajetani* (*cit.* tr. 10, c. 6) : « In Novo Testamento non repetitur sacrificium seu *oblatio*, sed perseverat immolatitio modo unicum sacrificium semel oblatum ».

3ª *Pars* minimo negotio absolvetur.

Patet enim diversitas utique accidentalis[1] duplici præsertim ex capite : *primo* ex parte *modi* oblationis ; nam « in divino hoc sacrificio, quod in missa peragitur, idem ille Christus continetur, et *incruente* immolatur, qui in ara crucis semel seipsum *cruente* obtulit » (*Conc. Trid.* Sess. XXII, cap. 2). *Secundo* ex parte *effectuum ;* per sacrificium enim eucharisticum *applicantur* fidelibus fructus quos in generali seu per modum causæ universalis sacrificium crucis progenuit (cf.

[1] — Notandum occurrit quasdam quoque differentias accidentales intercedere sacrificium *nostrum* inter et sacrificium *Coenae*, quatenus in ultima cœna Christus, sine *sacerdotum ministerio*, seipsum obtulit *mortalem* victimam, in *proximae* passionis significationem, secus ac in sacrificio præsenti quo ministri Christi sacerdotis Christum jam passum et immortalem offerunt. — Hæc autem cœnæ oblatio non videtur habuisse rationem sacrificii proprie dicti nisi secundum quod conjungitur cum ea, quæ mox contigit, vera Christi immolatione in cruce, cujus essentiam ingredi censenda est (cf. *de Incarn. Verbi*, Disp. IX, Q. III, art. 3, et infra, pag. 408-409, in nota).

C. Trid. Sess. XXII, cap. 1). Jamvero sub utroque respectu habetur in Eucharistia *repraesentatio* dominicæ passionis : — *a*) Quoad *modum offerendi ;* etenim « quamvis, ait *S. Thomas* (III, Q. LXXVI, a. 2 ad 1), totus Christus sit sub utraque specie, non tamen frustra ; nam primo hoc valet ad repræsentandam passionem Christi, in qua seorsum fuit sanguis a corpore separatus ; unde et in forma consecrationis sanguinis fit mentio de ejus effusione ». Et (*ibid.* ad 2) : « In passione Christi, cujus hoc sacramentum est memoriale, non fuerunt aliæ partes corporis ab invicem separatæ, sicut sanguis, sed corpus indissolutum permansit, secundum quod legitur (Exod. XII, 46) : *Nec os illius confringetis.* Et ideo in hoc sacramento seorsum consecratur sanguis a corpore, non autem aliqua alia pars ab alia ». *b*) Quoad *effectus*, uti per se elucet ; unde idem *Angelicus* (Q. LXXXIII, a. 2 ad 1) : « In hoc sacramento recolitur passio Christi, secundum quod ejus effectus ad fideles derivatur ».

ARTICULUS IV.

De natura propria sacrificii eucharistici.

Cum Eucharistia sit verum ac proprie dictum sacrificium, quæstio sponte exsurgit *in qua actione* ponenda sit essentia illius sacrificii ; et supposito (quod verum est) actionem istam esse consecrationem, rursus dubitatur *quo pacto* queat consecrationi competere ratio vere sacrificalis.

Circa 1um diversæ recitantur theologorum *opiniones*, prouti contendant ad essentiam hujus sacrificii pertinere vel oblationem, vel consecrationem, vel fractionem et mixtionem specierum, vel communionem sacerdotis et distributionem fidelibus factam.— Circa 2um rursus controversia inter theologos agitur, nec minus quam quinque sententiæ recenseri possunt : *a*) *Vasquez* enim posuit sacrificium missæ in eo formaliter consistere quod per consecrationem repræsentat sacrificium crucis, quasi repræsentatio illa *per se* sufficiat ad salvandam rationem veri sacrificii seu dominii divini, sacrificio absoluto jam declarati, recognitionem. *b*) *Suarez* distinguens a sacrificiis ordinariis sacrificium eucharisticum tanquam singularissimum, ejusdem rationem formalem explicat per hoc solum quod ex actione consecrativa in honorem Dei præsens in altari sistatur res nobilissima Deoque acceptissima, Christus. *c*) Tertia *Lessii*, ab aliis bene multis propugnata, sententia est, ideo missam verum esse sacrificium, quia *vi verborum* consecrationis gladii ad instar agentium seorsum in

altari ponitur corpus a sanguine, licet *per accidens* seu propter concomitantiam partium vera separatio non sit. Hanc sententiam corrigendam esse contendit *Billot*, quatenus separatio illa sacramentalis seu mystica corporis a sanguine censeatur Christum constituere in *externo* quodam *habitu mortis* et destructionis proprio rei *sub aliena specie* mactatæ. *d*) Altera succedit sententia *Lugonis* hodie prævalens, qua formalis ratio sacrificii eucharistici reponitur in statu *decliviori* seu *exinanitionis* quem Christi humanitas ex consecratione induit, in quantum fit *cibus* et *potus* proindeque æquivalenter destruitur. *e*) Quinta tandem existit sententia *Cajetano* aliisque præsertim veteribus probata, scil. quod sacrificium altaris, utpote substantialiter idem cum sacrificio crucis, eamdem quoque habet rationem sacrificalem, licet hæc ratio sub diverso modo accidentali exhibeatur.— Quid, in tanta opinionum varietate, verius nobis Doctorique Angelico conformius videatur, jamjam duabus in conclusionibus aperiemus.

Conclusio 1ª.— Essentia sacrificii Eucharistiæ ponenda est in consecratione, et quidem (probabilius) utriusque speciei, cum habitudine tamen ad sumptionem tanquam ad partem integrantem.— Ita communius.

1ª *Pars* ostend :

1° *Auctoritate.*— *a*) In promptu est testimonium *S. J. Chrys.* (Hom. de Prod. Judæ, n. 6), ubi ait : « Vox hæc (hoc est corpus meum) *semel prolata* in ecclesiis ad unamquamque mensam, ab illo ad hodiernum usque tempus et usque ad adventum ejus, sacrificium perfectum efficit ».— *b*) *S. Thomae* sententia manifeste emergit ex sequentibus verbis (III, Q. LXXXII, a. 4 ad 1) : « Consecratio chrismatis vel cujuscumque alterius materiæ non est sacrificium, sicut consecratio Eucharistiæ ». Et (*ibid.* a. 10 ad 1) : « Hoc sacramentum perficitur in consecratione Eucharistiæ, in qua sacrificium Deo offertur ». — *c*) Neque *Tridentini Patres* distinguentes (Sess. XXIII, cap. 1 et can. 1) potestatem *consecrandi* et *offerendi* huic doctrinæ repugnant : nam, præterquam quod una ab alia formaliter secernitur, causa eis fuit hanc distinctionem faciendi contradictio Lutheranorum admittentium quidem potestatem consecrandi, sacrificandi vero potestatem denegantium.

2° *Ratione.*

Ut patet ex hactenus dictis de sacrificio eucharistico, in ea actione consistere dicenda est essentia hujus sacrificii quæ, ab ipso Christo adhibita, in ejusdem Christi persona perficitur, ejusque passionem ritu sacrificali repræsentat. Atqui hæ conditiones adamussim conveniunt consecrationi, non vero

reliquis actionibus saltem collective : ergo. *Min. decl. a*) Etenim de fide est Christum consecrasse ; quod vero se ipsum communicaverit, quamvis sit probabilius, non tamen omnimoda certitudine constat. *b*) Præterea, nihil sacerdos tam directe tamque perspicue facit in persona Christi quam consecrationem, in qua dicit : « Hoc est corpus *meum* ». *c*) Amplius, manifestum est sola consecratione, qua corpus et sanguis mystice separantur, repræsentari mortem dominicam. *d*) Denique, ac ea ipsa de causa, sola consecratio continet modum sacrificalem Eucharistiæ convenientem, quo nempe Christi corpus mactatum ejusque sanguis effusus quadamtenus exhibeatur : neque in hac actione consecrativa deest oblatio ad sacrificium requisita, quæ etsi non verbis et in actu signato (ut aiunt), re tamen et *in actu exercito* per positionem sacræ victimæ in altari sufficienter promitur.

2ª *Pars* exigit probabilius consecrationem *utriusque speciei*[1]; licet enim *sacramentum* una tantummodo specie constare absolute valeat, aliud tamen sentiendum videtur de *sacrificio*, prouti demonstrat *Billuart* (Diss. VIII, a. 2) : « Hoc sacrificium, inquit, est essentialiter repræsentativum passionis Christi et secundum ordinem Melchisedech : atqui neutrum esse potest sine consecratione utriusque speciei. Non primum : quia in cruce non fuit solum corpus aut solus sanguis, sed corpus et sanguis seorsum ; in consecratione autem unius speciei tantum, non repræsentatur ista separatio corporis a sanguine. Non secundum ; quia sacrificium Melchisedech fuit in pane et vino ».

3ª *Pars* fundatur : — 1° in ratione *communi* sacrificii. Nam, ut ait *S. Thomas* (III, Q. LXXXII, a. 4), « quicumque sacrificium offert, debet sacrificii fieri particeps, quia exterius sacrificium, quod offertur, signum est interioris sacrificii, quo quis seipsum offert Deo, ut August. dicit, X de Civ. Dei, cap. 5. Unde per hoc quod participat sacrificio, ostendit ad se sacrificium interius pertinere ».— 2° In ratione *propria* sacrificii eucharistici : hoc enim sacrificium ita passionem Domini commemorat ut divinam victimam nobis præsentet sub ratione cibi et potus. Atqui cibus et potus ordinantur ad sumptionem. Ergo sumptio, etsi non essentialis huic sacrificio, ejus tamen est pars integrans et complens.

Conclusio 2ª.— EXPENSIS VARIIS SENTENTIIS DE RATIONE PROPRIA SACRIFICII MISSÆ, EA SUSTINENDA ELIGITUR QUÆ

[1] — Sententiam hanc amplexati sunt theologi romani e Cœtu S. Pauli apud S. Apollinarem ad solvendos casus morales congregati (*Analecta S. Sedis*, dec. 1895).

TENET RATIONEM ILLAM SIMPLICITER ET SPECIFICE EAMDEM ESSE AC SACRIFICII CRUCIS, SECUNDUM QUID TAMEN SEU QUOAD MODUM CONSISTERE IN MACTATIONE MYSTICA.— Duæ partes seorsim declarandæ proponuntur.

1ª *Pars* eo tendit ut expendantur variæ theologorum sententiæ de ratione propria seu constitutiva sacrificii missæ.

1° Sententia *Vasquezii* rejicitur.— Etenim sacrificium quodcumque, proinde sive absolutum sive commemorativum, veram sacrificii rationem non habet nisi secundum quod in eo reperiatur nota specifica omnis sacrificii. Atqui nota specifica sacrificii proprie dicti est significatio supremi Dei dominii per *realem* hostiæ oblatæ destructionem seu immutationem ; quo charactere certe caret *pura* repræsentatio, qua talis, veri sacrificii. Ergo.— Recitatæ opinioni periculum immi et incidendi in censuram *Conc. Trid.* a quo (Sess. XXII, can. 3) fulminatum est anathema contra dicentes « Missæ sacrificium esse nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti ».

2° Sententia *Suarezii* pariter improbatur.— Sane, juxta hunc auctorem, consecratio foret sacrificalis per hoc tantum quod, facta conversione panis et vini, præsens in altari sistitur tanquam oblationis terminus res Deo gratissima atque perhonorifica, Homo-Deus. Atqui communis est theologorum, quin imo omnium populorum, sensus, sacrificium proprie dictum non esse quamlibet cultus formam ad honorandum Deum conferentem, sed illam, eamque solam, in qua *rei ipsius principaliter oblatae* destructio vel immutatio fiat ad significandum summam Dei potestatem in vitam et mortem. Ergo.— Cæterum opinio eximii theologi paucos admodum defensores nacta est.

3° Sententia *Lessii* improbabilis est.— Docet enim ille auctor, ideo missam verum esse sacrificium, quia vi verborum velut spirituali gladio seorsum ponitur in altari corpus Christi sub specie panis et sanguis sub specie vini. Atqui hæc victimæ mactatio seu immolatio realis non est, sed mystica tantum ; neque satis est respondere, consecrationem ex se veram mortem afferre, sed per naturalem concomitantiam prohiberi ne mors sequatur : non enim quæ haberi posset, sed quae *revera habetur* destructio seu immutatio, *actualis* sacrificii significationem implet.— Equidem Emus *Billot* propugnando sufficientiam mactationis mysticæ, non simpliciter, sed *pro vivente sub aliena specie immolato*, præfatam sententiam melioravit, non tamen adeo perfecit ut amplectenda videatur : manet enim mactationem, qua sacrificium Eucharistiæ constare asseritur, mysticam duntaxat esse ; quod fun-

damentum nimis exile est, neque satis dignum tanto illo N. L. sacrificio ab antiquorum sacrificiorum veris immolationibus præfigurato.

4° Sententia *Lugonis* et ipsa non satisfacit.— *a*) Nam, ut bene advertit prælaudatus *Billot* (de Euch. p. 574), « constitutio rei *in statu cibi* non habet proportionem ullam cum significatione sacrificali ; sic enim res accommodatur in hominis usum potius quam Deo offeratur »: ergo exinanitio sub specie cibi et potus *per se* salvare nequit formalem sacrificii eucharistici rationem.— *b*) Neque rem conficiunt textus *Patrum* et *liturgiarum* a patronis illius sententiæ (Franzelin, Sasse) allati : his enim in textibus aperte distinguitur immolatio a sumptione, ex quo colligere fas est rationem cibi et potus *consequenter* tantum se habere ad formam sacrificii constitutivam.

5° Superest *veterum* sententia ex altiori principio petita, quam jam innuimus, quæque in altera conclusionis parte adstruenda suscipitur : quod enim clarissimi theologi moderni non sine magno ingenii labore multoque frontis sudore tot disparatas, imo conflictantes inter se, sententias pepererint, argumentum est problematis solutionem aliunde esse derivandam.

2ª *Pars* itaque instituitur probanda sequentibus argumentis.

1° Ex doctrina præc. articuli habemus, non differre substantialiter sacrificium altaris a sacrificio crucis, quanquam offerendi modus diversus existat. Atqui sacrificia substantialiter identica eadem ratione formali seu sacrificii constitutiva constent necesse est : contrarium enim implicat. Ergo. — Hoc argumento interimuntur omnes modernorum sententiæ petentes formalem sacrificii eucharistici rationem, non ex immolatione semel facta in cruce, sed ex immolatione nova vel quacumque alia sacrificii forma.

2° Inter *Patres* dignus est qui referatur *S. Cyprianus* (Ep. 63, ad Cæcil. n. 17) : « Quia, inquit, passionis ejus mentionem in sacrificiis omnibus facimus, *passio est* enim *Domini sacrificium quod offerimus*, nihil aliud, quam quod ille fecit, facere debemus ». Item audiamus *S. Joan. Chrysost.* (Hom. de Prodit. Judæ, n. 6) : « Revereare hujus oblationis argumentum ; *occisus* jacet Christus. Cujus vero causa et quare occisus est ? Ut cœlestibus simul et terrenis pacem afferret » etc. Ubi S. Doctor sat clare enunciat Christum, ut occisum passionis gladio, in altaribus nostris offerri.— Huc etiam spectat quod legitur (Secret. Dom. IX post. Pentec.) : « Quoties hujus hostiæ commemoratio celebratur, *opus nostrae redemptionis exercetur* ».

3° *B. Alb. Magnus* (4 S. D. XIII, art. 23) ex eo repetit veritatem sacrificii eucharistici quod Christum semel occisum Deo Patri offerimus ; ait enim : « Immolatio nostra non tantum est repræsentatio, sed immolatio vera, id est, rei immolatæ oblatio per manus sacerdotum ; unde duo dicit, scil. rem occisam et oblationem ; quia immolatio proprie est *oblatio occisi* ad cultum Dei ».— Attendatur etiam *S. Bonaventura* dicens (Brevil. P. VI, c. 9) : « Quoniam tempus gratiæ revelatæ requirit, quod jam non offeratur oblatio qualiscumque, sed pura, placida et plenaria ; et *nulla alia oblatio est talis, nisi illa quae in cruce fuit oblata*, scil. Christi corpus et sanguis ; hinc est quod necessario oportet in hoc sacramento non tantum figurative, verum etiam veraciter corpus Christi, tanquam oblationem huic tempori debitam, contineri ».— Quod *D. Thomas* nobis faveat, ex duobus evincitur : *primo* ex eo quod agnoscit identitatem substantialem inter sacrificium altaris et sacrificium crucis (cf. art. præc.) ; *secundo* ex iis quæ habet (III, Q. LXXXIII, a. 1), ubi distinguit duplicem immolationis modum Christi in sacramento, unum communem huic sacramento et figuris Veteris Legis, alterum Eucharistiæ proprium. Atqui immolatio communis est quatenus mystica seu repræsentativa : ergo immolatio Eucharistiæ propria, ad mentem S. Doctoris, debet esse realis. Porro non alibi quam in cruce Christus realiter immolatus est. Superest igitur ut dicamus eamdem immolationem pertinere, quasi sacrificalem formam, ad sacrificium missæ.

4° E D. Thomæ discipulis diserte suffragantur *Cajetanus* et *Melch. Canus*.— *a*) *Primus* quidem, postquam asseruerat non differre simpliciter sacrificium altaris a sacrificio crucis, sed solum quoad modum perseverandi istius, apposite docet (t. III, tr. 10, c. 6) : « In modo perseverandi intervenit repetitio, non in ipsa re oblata, *nec* etiam *ipse qui repetitur modus concurrit ad sacrificium propter se*, sed propter oblationem in cruce commemorandam incruente ;» seu, aliis verbis, modus, quo sacrificium crucis in Eucharistia perseverat, non ipse formalem sacrificii rationem efficit, sed solum Domini passionem, qua ratio illa sacrifica proprie ac essentialiter continetur, incruente commemorat.— *b*) *Melch. Canus* (Loc. theol., l. 12) hæc ad rem scribit : « Etsi Christi corpus in Eucharistia vivum est, ac sanguis in corpore, non tamen a nobis aut corpus offertur quia vivum est, aut sanguis quia est in corpore : sed *illud quia mactatum, hic quia effusus in cruce*... Si eadem externa crucis hostia in conspectu nostro æterna permaneret, nullo exemplari et imagine hostiæ illius indigeremus. Quia vero, licet oblatio illa et mactatio externa

transierit, sic tamen coram Deo constat acceptabilis et perpetua virtute consistit, ut non minus hodie in conspectu Patris illa sit efficax quam eo die quo de saucio latere sanguis exivit, ideo *vere nunc offerimus eamdem crucis hostiam* cum Christo perinde atque illi qui erant juxta crucem, quamvis illi nullo posito sub oculis simulacro, quia nullo tunc opus erat » etc.

5° Revera, formalis ratio sacrificii in viventibus constituitur per immolationem a qua oblatio rei immolatæ veluti specificatur. Atqui quamvis in Eucharistia numerice repetatur oblatio corporis et sanguinis Christi, per ipsam tamen immolationem semel in cruce factam quasi per *formam* sacrificii hæc oblatio specificatur : ergo. *Min. prob.* Sane (ut scite advertit *Habert*,[1] Th. dog.n., de Euch. P. II, c. 6) ad essentiam sacrificii non requiritur ut oblatio et immolatio physice conjungantur, sed sufficit unio quædam *moralis*, prouti cernere est in sacrificiis V. L. in quibus mactatio interdum præcedebat oblationem. Porro, in Eucharistia, prædicta unio moralis reapse efficitur : quod exsurgit tum ex intentione offerentis, tum ex unitate victimæ, tum ex sensibili repræsentatione qua sub separatis speciebus panis et vini effusio et separatio sanguinis a corpore Christi commemoratur. Unde licet repræsentatio ista immolaticia seu mactatio mystica (secus ae plures cum *Lessio* contendunt) sacrificium eucharisticum formaliter constituere non valeat (est enim immolatio *secundum quid*, ut ait *Cajet.*, l. cit.), in ea tamen habetur necessaria conditio per quam victima sacra, *qua immolata* in cruce, sub visibili specie præsens ritualiter reddatur.

Hac ratione (ni fallor) optime in sacrificio missæ salvatur et quod est repræsentativum et quod est absolutum, meliusque intelligitur quantopere congruat perfectioni N. L. augustissima illa oblatio qua Redemptionis nostræ opus seu sacrificium Crucis continuatur, perpetuatur, multilocatur, omnibus applicatur.[2]

[1] — Hic theologus Sorbonicus, nec solus in suo tempore, nostram sententiam tuetur.— Eamdem sententiam nuper egregie propugnavit Dr Alex. MacDonald in period. jam cit. *American eccl. Review*, nov. 1900, necnon in opere *The sacrifice of the Mass*, quod lectori specialiter commendamus ; item, Illmus A.-M. Lépicier, *de Sacros. sacrif. euchar.*, Q. II, art. 3-5.

[2] — Inter scripta moderna de hoc argumento gravioris momenti commendatissimum volumus amplum et valde eruditum opus, sub titulo *Mysterium Fidei*, editum (an. 1921) a Rev. P. Mauritio de la Taille, S.J., prof. in Universitate Gregoriana ; qui (præsertim Elucid. IX et Elucid. XIX-XXIV) demonstrat maxima testimoniorum copia et rationum firma vi quod nos ipsi contendimus, videlicet sacratissimam victimam, quæ est Christus pro nobis immolatus, secundum unum idemque substantiale sacrificium, sub

QUÆSTIO SECUNDA

DE EFFECTU VEL FRUCTU SACRIFICII EUCHARISTICI

Quatuor sub hoc capite determinanda se præbent, videlicet : *quis* sit sacrificii missæ effectus (art. 1) ; *quantus* seu quanti valoris existat (art. 2) ; *quo modo* seu qua efficacitatis ratione producatur (art. 3) ; tandem *quibus* prodesse valeat (art. 4).

ARTICULUS I.

De variis effectibus sacrificii missae.

Memoretur distinctio superius tradita (Q. I, art. 1) in sacrificium *latreuticum*, *propitiatorium*, *eucharisticum* et *impetratorium*.— *Protestantes* (teste *Bellarmino*, l. VI, cap. 1) facile concedunt missam esse sacrificium *latreuticum* et *eucharisticum*, non quidem quod velint esse sacrificium proprie dictum, sed improprie et largo modo ; at esse sacrificium *propitiatorium* et *impetratorium*, præsertim aliis quam ipsis sumentibus, nulla ratione admittunt nec possunt admittere, nisi fateantur Eucharistiam non solum esse sacramentum, sed etiam sacrificium proprie dictum — Multum interest hac super re, in qua veteribus sacrificiis magnopere præstat sacrificium N. L., catholicam vindicare doctrinam.

Conclusio.— SACRIFICIUM EUCHARISTICUM NON SOLUM EST SACRIFICIUM ADORATIONIS ET GRATIARUM ACTIONIS, SED ETIAM PROPITIATORIUM ET IMPETRATORIUM.— Hæc fere ad verbum definivit *Conc. Trid.* (Sess. XXII, cap. 2 et can. 3.)

Concl. probatur tum *generaliter* tum *specialiter*.

Prob. *generaliter*.— Res est ex Scripturis manifesta quod erant in V. L. sacrificia latreutica, propitiatoria, eucharistica, et impetratoria ; quæ ideo vocabantur *holocausta*, *hostiae pro peccato*, *hostiae pacificae* (Lev. I sqq.). Præterea, ut docet *S. Thomas* (I-IIæ, Q. CII, a. 3), « potissimum sacrificium est, quo ipse

diversa tantum modalitate, oblatam habendam esse in cruce, in cœna et in missa. Immo auctor ille, ex habitudine sacrificii cœnæ ad sacrificium crucis, infert (Elucid. IX) unum fuisse etiam *numero* cœnae et crucis sacrificium, quatenus, secundum moralem unitatem qua elementa sacrificalia associantur, inceptum in coena fuerit rituali oblatione præsentis victimæ sacrificium mox in cruce reali mactatione complendum.—Hinc a vero traditionis tramite plures theologos posterioris ætatis in ea re deflexisse, certior fit nobis ex illius operis lectione persuasio.

Christus *seipsum obtulit Deo in odorem suavitatis*, ut dicitur ad Eph. V, 2, et propter hoc omnia alia sacrificia offerebantur in veteri lege ut hoc unum singulare et præcipuum sacrificium figuraretur, tanquam perfectum per imperfecta. Unde Ap. dicit ad Heb. X, 11-12 quod *sacerdos veteris legis easdem saepe offerebat hostias, quae numquam possunt auferre peccata ; Christus autem pro peccatis obtulit unam in sempiternum* ». Jamvero sacrificium missæ substantialiter non differt a sacrificio crucis. Ergo.

Prob. *specialiter.*

Dico 1° sacrificium missæ esse *latreuticum* seu adorationis.— *a*) Sane proprium est omnis sacrificii, utpote ad supremum Dei dominium recognoscendum ordinati, ut in Divinitatis laudem, honorem et adorationem vergat.— *b*) Id autem specialiter competere, præ ceteris omnibus sacrificiis, sacrificio missæ evincit tum *prophetia Malachiæ* vaticinantis insignem fore per hanc oblationem mundam divini nominis glorificationem, tum intrinseca ac vere singularis ejusdem *oblationis excellentia.*

Dico 2° sacrificium missæ esse *eucharisticum :* quo nomine veluti antonomastice appellatur.— *a*) Hoc imprimis eruitur ex verbis institutionis : in eo enim instituendo sacrificio legitur quod Christus *accepit panem et gratias agens fregit*, etc. (1 Cor. XII, 24) et *accipiens calicem gratias egit et dedit illis* etc. (Matth. XXVI, 27).— *b*) Inde est quod Ecclesia in *Praefatione* liturgiæ romanæ canit : « Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere... per Christum Dominum nostrum.»— *c*) *Ratio* est, quia sacrificium est præc arus religionis actus, quo nos omniaque nostra a Deo tanquam a primo principio dependere declaramus. Atqui huic ideæ intime associatur gratiarum actio pro beneficiis a divina bonitate et potestate acceptis (II-IIæ, Q CVI, a. 1 ad 1). Ergo.

Dico 3° sacrificium missæ esse *propitiatorium.*— *a*) In promptu est *arg. biblicum* ex verbis Christi, *Hic est sanguis qui pro vobis funditur in remissionem peccatorum :* quibus apertissime ostenditur Christum obtulisse in cœna sacrificium pro peccatis apostolorum. Idem autem est essentialiter sacrificium nostrum cum illo quod in cœna oblatum fuit ; jussit enim Dominus apostolis ut idem postea frequentarent.— Præterea, juxta Ap. (Heb. V, 1), *omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis ;* ubi videmus præcipuum munus sacerdotis cujuslibet esse offerre pro peccato. Atqui ex superius disputatis compertum est,

haberi in Ecclesia sacerdotium et sacrificium proprie dictum : ergo.

b) *Patrum* quoque luculenta est sententia : ita ex Graecis *S. Cyr. Hier.* (Catech. Mystag. 5, n. 8) Eucharistiam vocat « propitiationis hostiam », et subdit (n. 10) : « Christum mactatum pro peccatis nostris offerimus, clementem Deum cum pro illis (defunctis) tum pro nobis demereri et propitiare satagentes ». Ex Latinis *S. Augustinus* inquit (in Lev. Q. 57) : « Illis (V. T.) sacrificiis unum hoc sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum ; a cujus tamen sacrificii sanguine in alimentum sumendo non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur qui volunt habere vitam ».— Consentiunt veteres liturgiæ (vid. Sasse, th. XXIII).

c) *Ratio* hujus veritatis est, quia Deus placatur hoc sacrificio nostro quod « secundum se acceptum est... Malach. III : *Placebit Deo sacrificium Juda*, id est, Christi justi regis. Sacrificium Juda Domino placet, quia corpus Christi oblatum Deus Pater approbat, in quo scil. se maxime humiliavit usque ad mortem Patri obediendo, de diabolo triumphando, et genus humanum redimendo. Eccli. XXXV : *Sacrificium justi acceptum est, et odor suavitatis in conspectu Altissimi* » (*S. Thom.* Opusc. LVII, cap. 4).

Dico 4° sacrificium missæ esse *impetratorium*.— *a*) Etenim (ut observat *Bellarm.* l. VI,cap. 3)quod scribit Ap. 1 Cor. II, faciendas in Ecclesia *obsecrationes, orationes, postulationes et gratiarum actiones* pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus, exponunt SS. Patres (Ambr., Chrys., August.) de publicis precibus quæ fiunt in missa, et volunt Apostolum hoc præcepisse ut sacrificium etiam offerretur pro temporali Ecclesiæ pace.

b) *Veteres* idem passim attestantur ; v. g. *Tertullianus* (l. ad Scapulam, cap. 2) : « Sacrificamus, inquit, pro salute imperatoris ». Et *S. Cyrill. Hier.* (Catech. Myst. 5, n. 8) : « Postquam perfectum est spirituale sacrificium, incruentus cultus, super illam propitiationis hostiam obsecramus Deum pro communi Ecclesiæ pace, pro recta mundi compositione, pro imperatoribus, pro militibus et sociis, pro iis qui infirmitatibus laborant, pro his qui afflictionibus premuntur ; et universim pro omnibus qui opis indigent precamur nos omnes et hanc victimam offerimus ».— *Liturgiae* omnes, Jacobi, Clementis, Basilii, Chrys., non semel inter offerendum preces pro variis necessitatibus etiam temporalibus præscribunt.

c) *Ratio* ipsa (ait iterum Bellarm. *l. cit.*) hoc docet : « nam si oblatio Euch. pro peccatis dimittendis valet, certe etiam

pro aliis necessitatibus, quæ ex peccato ortæ sunt, valere debet. Et si Deus hoc sacrificio placatus in gratiam cum inimicis suis redit, quanto facilius ob idem sacrificium adduceturut amicis et reconciliatis bona temporalia tribuat, si id eis utile fuerit ?»

ARTICULUS II.

De magnitudine valoris sacrificii missae.

1° *Quantus* sit sacrificii eucharistici effectus seu valor, ex duobus perpendi potest, scil. vel ex parte hominum *offerentium* sacrificium vel ex parte *ipsius sacrificii* oblati : quæstio præsens, utpote *formaliter* de sacrificio proposita, sub secundo respectu solvi debet.— Valor autem sacrificii in se spectati rursus duplici considerationi subest, quatenus sacrificium inspiciatur vel radicaliter seu quoad sufficientiam et *in actu primo*, vel proxime seu quoad efficaciam et *in actu secundo*.

2° *a*) *Nonnulli* referuntur theologi qui valorem sacrificii, *radicaliter* sumpti, infinitum esse inficiati sunt ; at forte (ut notat *Sasse*, th. XXXV) magis ad valorem in actu secundo respiciebant.— *Alii*, concedentes infinitatem illam radicalem, eam tamen solum *ex institutione* derivandam voluerunt ; e quibus fuit *Vasquez*.— Quoad valorem sacrificii *in actu secundo*, communis est theologorum sententia quod sit simpliciter seu actu finitus. Circa *causam* tamen hujus limitationis controversia non parva existit : *alii* enim eam repetunt ex sola Dei voluntate pro lubitu taxante seu limitante effectum producibilem ; *alii* ex quantitate devotionis offerentium vel eorum pro quibus offertur.

b) Præterea, sunt (ait *Sasse*, l. cit.) theologi, ut *Catharinus*, *Thalhofer*, *Oswald*, qui sacrificio eucharistico adscribunt causalitatem quamdam *directe universalem*, qua nempe ex se concurrat ad omnes, etiam sacramentales, effectus gratiæ producendos.— Quid de hac sententia judicandum sit, post absolutam primam disceptationis partem, breviter aperiemus.

Conclusio 1ª.— SACRIFICIUM MISSÆ, QUANTUM AD SUFFICIENTIAM SEU IN ACTU PRIMO, INFINITI VALORIS SECUNDUM SE ÆSTIMANDUM EST.— Dico *secundum se* contra eos qui tenent valorem illum ex sola Christi institutione proficisci ; *institutio* enim divina per se nequaquam sufficit ad communicandum rei valoris intrinsece finiti pretium infinitum.

Prob. concl.— Valor sacrificii in actu primo seu quantum ad sufficientiam pensandus est tum ex dignitate *principalis*

offerentis, tum ex pretio *victimae oblatae*. Atqui in sacrificio eucharistico principalis offerens et victima oblata infinitæ dignitatis existunt ; quippe sunt ipse Christus. Ergo.— *Arg. conf.* ex eo quod sacrificium missæ idem est substantialiter cum *sacrificio crucis*, cui certe competebat valor infinitus.

Conclusio 2ª.— VALOR MISSÆ IN ACTU SECUNDO (PROBABILIUS) DEPENDET A QUANTITATE DEVOTIONIS OFFERENTIUM VEL EORUM PRO QUIBUS OFFERTUR, ITA UT, LICET ACTU SIT FINITUS, INDEFINITIS TAMEN HOMINIBUS PRO DEVOTIONIS GRADU OBVENIRE POSSIT ; NEQUE HUIC ASSERTO ECCLESIÆ PRAXIS ULLO MODO REFRAGATUR.— *Praeadvertatur* velim *a*) *primum* quod hic non agitur de valore sacrificii in quantum est *latreuticum* et *eucharisticum* seu in ordine ad Deum : sub hoc enim respectu infiniti valoris est etiam in actu secundo, quatenus est Deo infinite acceptabile ; sed agitur de valore *propitiatorio* seu satisfactivo et *impetratorio*.— *b*) *Alterum* prænotandum est, quod conclusio asseritur secundum *probabiliorem* sententiam a *Cajetano*, *Joan. a S. Thoma* aliisque defensatam ; nolumus tamen adversæ sententiæ, ab eximiis quoque theologis propugnatæ, omnem probabilitatem denegare. — *c*) Thesis nostra, claritudinis gratia, in *tres partes* dispescetur.

1ª *Pars* ostend :

Et 1° sacrificium eucharisticum secundum se concipi debet per modum causæ universalis et indeterminatæ. Atqui, juxta suavem Providentiæ cursum, causa universalis determinatur per causas particulares ejus influxui subjectas ; hic autem causa particularis, qua homo subjicitur influxui sacrificali, est devotio offerentium vel eorum pro quibus offertur. Ergo ex hujus devotionis conditione valor sacrificii in actu secundo pendere dicendus est. Notandum tamen quod *Cajetanus* admonet (t. II, tract. 3 de Miss. celeb. q. 2) : « Devotio *quantificans* effectum sacrificii non se tenet ex parte accipientium effectum, quamvis indispositio talium ad impediendam receptionem talis effectus sufficiat : sacrificium enim non operatur per modum agentis ut sacramenta, sed per modum oblationis ; sed tenet se ex parte *concurrentium ad tale sacrificium* causaliter, quomodolibet sit causalitas ista, puta petendo, ministrando, consulendo, adjuvando, favendo, etc.».— Ratio *intimior* est quam tradit *Cajetanus* (*l. cit.*), quia nempe « in sacrificiis et oblationibus quantitas devotionis magis pensatur quam quantitas rei oblatæ, ut patet de vetulæ oblatione (Luc. XXI) et ex auctoritate *Greg.* (in

Hom. *Ambulans Jesus*, etc.) dicentis : Non perpendit Deus quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto proferatur ».

2° Hæc plane consonant verbis *S. Thomae* (III, Q. LXXIX, a. 5), ubi de Eucharistia dicit : « In quantum est sacrificium, habet vim satisfactivam. Sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis quam quantitas oblationis. Unde et Dominus dicit Luc. XXI, de vidua quæ obtulit duo æra, quod *plus omnibus misit*. Quamvis ergo hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen fit satisfactoria illis pro quibus offertur vel etiam offerentibus *secundum quantitatem suae devotionis*, et non pro tota pœna ».

2ª *Pars* id habet, nempe quod, licet valor sacrificii missæ sit *actu* finitus, *indefinitis* tamen hominibus pro devotionis gradu prodesse possit.

1° Valorem missæ esse actu *finitum*, ex eo apparet quod devotio cui valor ille proportionatur, quantumvis magna ac augmentabilis in infinitum, semper tamen de facto certis limitibus clauditur, sicuti semper limitatus est eorum numerus quibus reapse obtingit.

2° Attamen « quoniam ex parte rei oblatæ est infinitas in hoc sacrificio et per unicam devotionem non exhauritur nec minuitur, consequens est ut non solum pluribus, sed *infinitis* devotionibus unicum sacrificium sufficienter respondeat, cuilibet certam pariendo satisfactionem. Nihil igitur adimitur alicui facienti pro se offerri hoc sacrificium ex quantitate effectus hujus sacrificii secundum se et applicati ad ipsum, ex hoc quod alter procurat idem pro se dici, nec e converso : sed unicuique respondet tantumdem, quantum si pro se solo diceretur, quia unicuique sufficienter et efficienter juxta quantitatem devotionis suæ » (*Cajet.* l. cit.).— « *Conf.* hoc ex ipso *canone missae*, in quo non solum generaliter pro Ecclesia, pro principibus et omnibus christianis, sed specialiter pro his qui in Memento cogitantur et omnibus circumstantibus offerri dicitur hoc sacrificium. Constat namque quod non est determinatus numerus cogitandorum in Memento et multo minus determinatus est numerus circumstantium et quod nullus ex alterius consortio minus habet de effectu missæ » (*ibid.*).

3ª *Pars* subjicitur, qua occurramus objectionibus, speciatim ei quæ petitur ex *Ecclesiae praxi ;* quisque enim novit consuetum esse in Ecclesia ut *pro paucis* tantum vel *pro uno* speciali sacerdotis intentione missa offeratur : ex quo adversarii inferunt ita fructum sacrificii fuisse a Christo limitatum ut non possit pluribus indefinite prodesse. Et ad hoc invocant auctoritatem *S. Thomae* (4 S. D. XLV, Q. II, a. 4, qu. 2).— Hæc replicabimus :

1° Tametsi devotio sit quæ quantificat effectum sacrificii eucharistici, intentio tamen fructum finitæ alicujus devotioni correspondentem diversimode applicat et *dividere* potest ; v. g. « si ego offerens hoc sacrificium, habeo devotionem tantam quod ei respondet in hoc sacrificio satisfactio unius anni, et intendo celebrare pro satisfactione unius, ille relevabitur satisfactione unius anni. Si autem intendo satisfacere pro duobus æqualiter, quilibet relevabitur pro medio anno tantum ; si pro tribus, pro tertia parte anni, et sic de singulis » (*Cajet.*, l. cit.) Et hoc modo « verificatur theologorum sententia dicentium effectum hujus sacrificii finitum et divisum minorari in eis quibus applicatur » (*id.*).

2° *Specialium missarum*, quas usus commendat, ratio obvia suppetit : siquidem, ex una parte, rogantium devotio magis excitatur intuitu proprii boni sibi particulatim propositi quam boni communis ; ex altera parte, pronum est ut sacerdos de propria devotione offerat pro particularibus a quibus suscepit eleemosynas vel in quos afficitur.

3° « Canon missæ testatur missas ita ab Ecclesia ordinatas pro particularibus ut tamen semper pro omnibus vivis et defunctis explicite celebrentur, ut patet intuenti. Unde provida simul et pia Mater voluit ut ex devotione *sua omnibus* sacrificium prodesset et specialiter capitibus, et ex devotionibus *privatis his* vel *illis* prodesset : et sic sine fraude et sine cujuscumque damno excitat privatas devotiones pro se vel aliis, ut juxta eorum devotiones fructus referant *speciales* » (*Cajet.*, l. cit.).

4° *Defunctis* et *remotis* fidelibus, qui forte nihil sciunt de missa pro omnibus oblata, prodesse sacrificium censeri potest non solum secundum devotionem immediate offerentium, sed etiam juxta propriam illorum devotionem, non qua percipiunt fructum sacrificii (ut supra nos monuit *Cajetanus*), sed quam habuerunt vel habent saltem in communibus Ecclesiæ orationibus et sacrificiis : hoc enim pacto quilibet fidelis, quatenus Ecclesiæ membrum, per sacerdotem in persona Ecclesiæ orantem et offerentem causaliter quodammodo concurrit ad sacrificium, hujusque fructuum pro sua devotione fit particeps.

5° Juxta expositam doctrinam potest sacerdos per unum sacrum satisfacere pluribus missis *gratuito* et sine conditione promissis ; non potest tamen pro una et eadem missa accipere plura *stipendia*, ut constat ex prop. 10ª damnata ab *Alex. VII* : « Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere et sacrificium unum offerre ». *Ratio*

est, quia stipendium datur pro sustentatione, ideoque quoties ministro sua tribuitur per unum stipendium sustentatio, deficit titulus ad aliud.

Conclusio 3ª.— LICET SACRIFICIO MISSÆ COMPETAT QUÆDAM EFFICACIÆ UNIVERSALITAS, HÆC TAMEN NON EST NECESSARIO ET DIRECTE EXTENDENDA AD OMNES EFFECTUS GRATIÆ ETIAM PER SACRAMENTA PRODUCENDOS.

1ª *Pars* concedit sacrificio eucharistico quamdam causalitatis universalitatem, quatenus nempe *de se* ad *omnem gratiam* impetrandam valeat. In hunc sensum scribit *S. Thomas* (in Joan. VI, lect. 6) : « In immolatione hujus sacramenti est universalis effectus ; quia non solum sacerdos effectum consequitur, sed etiam illi pro quibus orat, et Ecclesia tota tam vivorum quam mortuorum. Cujus ratio est, quia continetur in ipso ipsa causa universalis omnium sacramentorum, scil. Christus ».

2ª *Pars* tamen negat hanc universalitatem hujusmodi esse, a qua *directe* et *necessario* pendeat omnis gratiæ præsertim sacramentalis collatio. Ad rem *Suarez* (Disp. LXXIX, s. 1, n. 9) : « Sacramenta solum nituntur in merito et satisfactione Christi ; ergo solum nituntur in illo sacrificio, in quo Christus suum meritum et satisfactionem consummavit. Hoc autem fuit solum sacrificium Crucis :... ergo in illo solo nituntur, et non proprie ac *formaliter* in sacrificio Eucharistiæ, prout ab illo distinguitur. Nam seclusis ab hoc sacrificio novo merito et satisfactione, nulla ratio excogitari potest, ob quam sacramenta dicuntur suos effectus conferre in virtute hujus sacrificii."

ARTICULUS III.

De efficacia propria sacrificii missae.

Duo sub hoc titulo determinanda proponuntur, *unum* de *modo* quo sacrificium eucharisticum agit, *alterum* de *iis* ad quæ *in specie* efficacia illa se extendit : — materia offertur duarum conclusionum.

Conclusio 1ª.— SACRIFICIUM MISSÆ AGIT NON SOLUM EX OPERE OPERANTIS, VERUM ETIAM EX OPERE OPERATO (LICET MORALITER TANTUM).

1ª *Pars* declaratione magis quam probatione indiget.

Itaque observandum est in sacrificio eucharistico, præter principalem offerentem seu *Christum*, spectari posse *sacerdotem* qui proprie offert tanquam Christi minister, *Ecclesiam*

quoque sacerdotis operâ offerentem (*C. Trid.* Sess. XXII, cap. 1), tandem *fideles* qualitercumque ad oblationem eucharisticam concurrentes.— Jamvero *a*) ex parte ipsius *sacerdotis* minime dubitatur quin oblatio sacrifica, utpote excellentissimus religionis actus a fide imperatus, necnon orationes inter sacrificandum prolatæ vim multiplicem habeant *ex opere operantis*, speciatim *satisfactionis*, *meriti* et *impetrationis*, tamen juxta conditiones generatim requisitas. Qua de causa *S. Thomas* ait de oratione quæ fit in missa (III, Q. LXXXII, a. 6) : « Inquantum habet efficaciam ex devotione sacerdotis orantis, non est dubium quod missa melioris sacerdotis magis est fructuosa ». *b*) Idem judicandum est de *aliis fidelibus* qui quacumque causalitatis vel participationis ratione, sive sacrificium petendo et stipendium largiendo, sive ministerium aliquod præbendo, sive assistendo tantum et sacerdotem affectu comitando, ad oblationem sacrificalem concurrunt[1]. *c*) Quantum ad *Ecclesiam*, cujus deputatione et nomine offert sacerdos, quia est persona dumtaxat moralis, non potest ut talis vim offerendo vindicare neque *meritoriam* neque *satisfactoriam*, quippe hæc duo personæ physicæ seu reali competunt ; attamen cum sit dilectissima ac sanctissima Christi sponsa, ejus oblationi et orationi per sacerdotem factæ tribuendus est maximus valor *impetratorius* etiam independenter a sacerdotis dignitate, dummodo hic non sit excommunicatus[2]. Potest (inquit *S. Thomas*, l. cit.) oratio in missa considerari quatenus profertur « in persona totius Ecclesiæ, cujus sacerdos est minister ; quod quidem ministerium etiam in peccatoribus manet, sicut dictum est de ministerio Christi. Unde etiam quantum ad hoc est fructuosa non solum oratio sacerdotis peccatoris in missa, sed etiam omnes ejus orationes quas facit in ecclesiasticis officiis, in quibus gerit personam Ecclesiæ ; licet orationes ejus privatæ non sint fructuosæ secundum illud (Prov. XXVIII, 9) : *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis* ». Illa Ecclesiæ impetrandi ratio, licet respectu Ecclesiæ ipsius vim sortiatur *ex opere operantis*, secundum quod tamen a sacerdotis bonitate non dependet, dici potest valere *ex opere operato*.

[1] — Doctrina hæc, optimorum fructuum fecunda, nunquam satis populo inculcabitur.

[2] — « Sacerdos in missa in orationibus quidem loquitur in persona *Ecclesiae*, in cujus unitate consistit ; sed in consecratione sacramenti loquitur in persona *Christi*, cujus vicem in hoc gerit per ordinis potestatem. Et ideo si sacerdos ab unitate Ecclesiæ præcisus missam celebret, quia potestatem ordinis non amittit, consecrat verum corpus et sanguinem Christi ; sed *quia est* ab Ecclesiæ *unitate separatus*, orationes ejus efficaciam non habent » (S. Th. Q. *cit.*, a. 7 ad 3).

2ª *Pars* de efficacia *ex opere operato* generalius adstruitur : — illud sacrificium effectum habet *ex opere operato*, quod vi propria rei oblatæ et principalis offerentis, independenter a ministri bonitate vel merito, effectum illum consequitur. Atqui hujusmodi est sacrificium missæ ex Christo victima simul et principali offerente constans ; quo (docente *C. Tridentino*, Sess. XXII, cap. 1) ejusdem Christi « salutaris virtus » in remissionem peccatorum « applicatur », et quod « nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest ». Ergo.— Notandum tamen est cum *Bellarmino* et *Billuart* duplicem esse modum causandi *ex opere operato*, scil. efficienter seu *physice* et *moraliter* tantum : *primus* modus, verior, proprius est sacramentorum N. L.; *secundus* modus solus tribuitur sacrificio Eucharistiæ, propterea quod cujusque sacrificii est, supplicationis ad instar, Deum moraliter movere ad sua beneficia hominibus impertienda.

Conclusio 2ª.— Ex iis quæ sacrificium missæ vi operis operati producit, quædam immediate, quædam mediate tantum operatur, quædam infallibiliter, quædam vero fallibiliter.— Duæ partes sponte distinguuntur.

1ª *Pars* ostend.— Sane plura sunt ad quæ se extendit efficacia sacrificii missæ : quatenus enim *propitiatorium* est, valet tum ad delenda *peccata* sive mortalia sive venialia, tum ad relaxandas *poenas* pro peccatis debitas (quo in casu propitiatio dicitur *satisfactiva*) ; quatenus autem *impetratorium*, ordinatur ad obtinenda *omnia bona* non solum supernaturalia, sed et naturalia quæ ad æternam salutem conducant. Porro inductio demonstrat diversorum illorum effectuum quosdam quidem *immediate*, alios *mediate* tantum produci :

1° *a*) Sacrificium eucharisticum *relaxare poenas pro peccatis jam remissis debitas* definivit *Conc. Trid.* (Sess. XXII, cap. 2 et can. 3), ubi statuitur missam offerri « pro pœnis et satisfactionibus ».— Id autem, consentientibus theologis, efficit missa *immediate*, præbendo videlicet veluti pretii solutionem ; audiatur *S. Thomas* (4 S. D. XII, Q. II, a. 2, sol. 3) : « Eucharistia, in quantum est *sacramentum*, pro principali effectu habet unionem hominis ad Christum ; et ideo per modum sacramenti non aufert nisi ea quæ in habente vitam huic unioni opposita invenit. Pœna autem peccato mortali debita, quod jam deletum est, non est hujusmodi ; ideo, in quantum est sacramentum, non habet effectum pœnæ mortalis dimissionem. Sed in quantum est *sacrificium*, accipit *rationem satisfactionis* ; et secundum hoc in parte vel in toto pœnam tollit, sicut et aliæ satisfactiones, secundum mensu-

ram pœnæ debitæ pro peccato et *devotionis* qua sacramentum offertur ».— Quibus ex verbis colligitur, ad mentem *S. Doctoris* et secundum veriorem sententiam, pœnæ remissæ gradum non *proportionari* dispositioni actuali vel habituali ejus pro quo sacrificium offertur (cf. III, Q. LXXIX, a. 7 ad 2) nisi juxta sensum supra explicatum (art. 2, concl. 2) seu quatenus ille consideratur ut offerens magis quam recipiens.

b) Quod ad *gratias actuales bonaque temporalia* æternæ saluti utilia pertinet, theologorum sensus est ea a *Patribus Tridentinis* intendi quando Concilium decrevit (*l. cit.*) missam offerri etiam pro « aliis necessitatibus ».— Porro nihil obstat quominus hæc quoque, sicut relaxatio pœnarum, *immediato* sacrificii influxu obtineantur, cum et per orationem bonaque opera immediate comparari valeant.

2° *a*) Sacrificium eucharisticum, quatenus propitiatorium, maxime valet ad *delenda peccata ;* est enim continuativum et applicativum sacrificii crucis. Unde *C. Trid.* (Sess. XXII, cap. 2) : « Docet S. Synodus sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri ut, si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione *placatus* Dominus, gratiam et *donum poenitentiae concedens*, crimina et peccata etiam ingentia dimittit ». — Ex hoc Concilii decreto duo inferre licet : *primum* est, differentiam vigere inter propitiatorium et impetratorium sacrificium non solum ex parte *objecti* (quod constat), sed etiam ex parte *modi*, quatenus propitiatio Deum ad remittenda peccata movet *placando. Secundum* est, quod actio illa propitiatoria non immediate, sed *mediate tantum* seu placando Deum ab eoque pœnitentiæ donum impetrando effectum consequitur. Ad rem *D. Thomas* (4 S. D. XII, Q. II, a. 2, qu. 2 ad 4) : « In quantum est sacrificium (Eucharistia)... peccata *mortalia* in eis delet, *non sicut causa proxima*, sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat ». *Ratio* idem convincit triplici ex medio[1]: *primo* quia, si sacrificium missæ immediate justificaret, *praeviam dispositionem* ad justificationis opus necessariam in subjecto requireret, nec offerri posset pro peccatoribus obstinatis et impœnitentibus, quod falsum est ; *secundo* quia non pollet majori efficacia quam *sacrificium crucis*, a quo mediate tantum, seu mediante impetratione donorum gratiæ et pœnitentiæ, homines justificantur[2]; *tertio* quia ad

[1] — Bellarm., l. VI, cap. 4.

[2] — « Sicut *passio Christi* prodest quidem omnibus, quantum ad *sufficientiam*, ad remissionem culpæ et adeptionem gratiæ et gloriæ, sed effectum

peccatum immediate tollendum instituta sunt *sacramenta* Baptismi et Pœnitentiæ, nec credibile est sacrificium, primario ad Dei cultum ordinatum et secundario ad justificationem, vi illa sacramentali gaudere.

b) Quod diximus de culpis mortalibus, idem de *venialibus* plerique theologi (Billuart, S. Alph. de Lig. etc.) dicendum pronuntiant ; siquidem in adultis nullum peccatum, etsi veniale, remittitur sine pio aliquo animi motu, quem motum gratia actuali perfectum sacrificium missæ immediate obtinet.— Demum *augmentum gratiae*, haud secus ac prima gratia peccati remissiva, mediate etiam per sacrificium Eucharisticum gignitur, scil. mediantibus actibus ad quos eliciendos sacra illa oblatio auxilium impetrat : alias (bene notant theologi) puerulus, pro quo celebrarentur missæ, magis magisque sanctificaretur, quod communi Ecclesiæ sensui repugnat.

2ª *Pars* concl. sic a cl. *Billuart* (Diss. VIII, a. 3) declaratur : « Inter effectus hujus sacrificii, gratiæ *sufficientes* ad remissionem peccatorum tam mortalium quam venialium, ad augmentum gratiæ habitualis, ad donum perseverantiæ et ad virtutes, *infallibiliter* conferuntur per hoc sacrificium ; quia cum Deus nemini deneget gratias sufficientes, non est dubium quin maxime intuitu hujus sacrificii, in quo dilectissimi Filii passio repræsentatur, eas conferat. At vero ipsa remissio peccatorum, gratiæ augmentum, donum perseverantiæ et virtutes *non* causantur *infallibiliter* propter obicem ex parte subjecti. Remissio aliqua pœnæ in justis tam vivis quam defunctis causatur *infallibiliter*, quia nullus in ipsis ad hunc effectum est obex. Tandem bona temporalia *non* causantur *infallibiliter*, quia non semper expediunt ad salutem ». — Fallibilis autem ratio causandi minime obstat efficaciæ *ex opere operato*, quandoquidem non dependet ex defectu operis sacrifici, sed vel ex indispositione hominum, vel ex superiori Dei consilio.

ARTICULUS IV.

De subjecto fructuum sacrificii missae.

Fructus nominamus non eos effectus qui ad Deum spectant, sed illos quos homines ex missæ sacrificio percipiunt.— Quæstio præsens dupliciter considerari potest, vel secundum

non habet nisi in illis qui passioni Christi conjunguntur per fidem et charitatem, ita et hoc *sacrificium*, quod est memoriale dominicæ passionis, non habet effectum nisi in illis qui conjunguntur huic sacramento per fidem et charitatem » (III, Q. LXXIX, a. 7 ad 2).

distributionem fructuum in subjecto, vel secundum *subjecti determinationem :* sub primo respectu solet distingui (cum S. Alph. de Lig. aliisque) fructus *generalis*, *specialis* et *specialissimus ;* sub altero respectu definiendum venit *quibusnam* in specie, sive *vivis*, sive *defunctis*, fructus sacrificalis obtingat.— Rem enucleabimus in tribus conclusionibus.

Conclusio 1ª.— RECTE DIVIDITUR FRUCTUS MISSÆ IN GENERALEM, SPECIALEM ET SPECIALISSIMUM.— Ita communiter.

Et sane, participatio fructuum in sacrificio ex duobus dependet, scil. tum ex ratione seu conditione offerentium sacrificium, tum ex applicatione ad eos pro quibus offertur. Atqui secundum hæc duo triplex fructus sacrificalis accipitur : *a*) si enim sacerdos spectetur ut nomine proprio celebrans, fieri non potest quin fructus proprius ei adjudicetur ; est fructus *specialissimus. b*) Si autem spectetur ut celebrans pro certis personis et nomine assistentium vel concurrentium ad sacrificium, alter fructus iis omnibus adveniens admittendus est ; est fructus *specialis. c*) Si tandem spectetur ut celebrans nomine totius Ecclesiæ, fructus correspondens poni debet ; est fructus *generalis.*— Distinctio hæc optime quadrat cum verbis sacerdotis offerentis hostiam : « Hanc immaculatam hostiam offero tibi... pro innumerabilibus peccatis *meis*, et pro omnibus *circumstantibus*, sed et pro *omnibus fidelibus* etc.».

Conclusio 2ª.— SACRIFICIUM MISSÆ OMNIBUS VIVENTIBUS APPLICARI ET PRODESSE POTEST, LICET NON EADEM RATIONE; MAXIME AUTEM CONGRUUM ET EFFICAX EST AD BONAM MORTEM POENARUMQUE EXPIATIONEM OFFERRI ILLUD PRO SE CURANTIBUS COMPARANDAM.

1ª *Pars* evincitur ex eo quod sacrificium altaris non est nisi continuatio quædam ac repræsentatio sacrificii Crucis quod in omnium gratiam oblatum est.— Vetustioris Ecclesiæ suffragium præbet *S. J. Chrysostomus* dicens (De sacerd. VI, n. 4) sacerdotem sacrificantem « pro universa terra oratorem agere Deoque supplicare, ut *omnium* peccatis sit propitius ».

2ª *Pars* declaranda succedit.

1° Missa secundum *omnem fructus sacrifici rationem* applicari non potest nisi viventibus *baptizatis* et *adultis.*— *a*) Dico *baptizatis ;* nam baptismus est janua, per quam homo Ecclesiam ingrediens, ad Ecclesiæ sacra, sive sacramenti, sive sacrificii ope, suscipienda, mediante characteris potestate deputatur.— *b*) Dico *adultis ;* manifestum enim est bap-

tizatis pueris, qui nondum culpæ actualis pœnæque reatum contraxerunt, competere non posse propitiationem pro peccatis vel satisfactionem pro pœnis.

2° Quamvis ex natura rei missæ sacrificium offerri valeat pro *haereticis*, *schismaticis* et *excommunicatis*, tamen in illorum hominum pœnam, erroris odium superbiæque dejectionem, vetat Ecclesia ne suffragium eucharisticum pro eis *publice* applicetur[1]; *privatim* vero seu secreta intentione missam applicari posse saltem *ad impetrandam eorum conversionem*, recepta est sententia quam *Benedictus XIV* sua ipsiusque *S. Thomae* auctoritate confirmat. Ait enim *Angelicus* (4 S. D. XVIII, Q. II, a. 1 ad 1) : « Pro excommunicatis orari potest, quamvis non inter orationes quæ pro membris Ecclesiæ fiunt[2]».

3° Amplius, pro *infidelibus* seu non baptizatis missa, remoto scandalo ac modo sine superstitione optatas preces postulent, applicari potest non solum *indirecte* quatenus offeratur sacrificium pro Ecclesiæ prosperitate et pace, sed etiam *directe* quatenus *impetretur* infidelium conversio omneque bonum honestum eorum saluti utcumque expediens.[3] Huc faciunt verba Ap. (1 Tim. II, 1-2), ubi vult *fieri obsecrationes . . . pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt ;* id enim plures Patres Græci et Latini intelligunt de obsecrationibus per missæ sacrificium. Porro reges ac plerique homines tunc temporis erant infideles. In idem quoque conveniunt verba *S. Thomae* (4 S. D. XII, Q. II, a. 2, qu. 2 ad 4), ubi dicit de sacrificio missæ quod « habet effectum etiam in aliis, pro quibus offertur, in quibus non præexigit vitam spiritualem in actu, sed *in potentia* tantum ; et ideo, si eos dispositos inveniat, eis gratiam obtinet virtute illius veri sacrificii a quo omnis gratia in nos defluxit ». Unde sententiam *S. Augustini* quod non offertur « nisi pro membris Christi », verificari subjungit, si offeramus pro aliquibus *ut sint* membra Christi. — Multo magis missa applicari poterit pro *catechumenis* qui jam ad Ecclesiæ animam, uti aiunt, pertinent, et ideo etiam publicæ preces in ecclesiastica liturgia pro eis habentur (*Gasparri*, l. cit.).

3ª *Pars* ostenditur ex præclaris verbis Benedicti XV : « Ad gratiam pie moriendi assequendam cum preces eo plus valeant quo excellentiores sunt, liquet, quas Christus ipse, mediator ac sacerdos, in augusto Missæ sacrificio, Patri obsecra-

[1] — « In canone missæ non oratur pro his qui sunt extra Ecclesiam » (III, Q. LXXIX, a. 7 ad 2).

[2] — Vid. Gasparri, *Tract. can. de SS. Euch.*, vol. I, pp. 343 sqq.

[3] — Cf. resp. C. S. Off., 12 jul. 1865, ap. Gasparri, *l. cit.*

tiones adhibet, eas esse prorsus perfectas et gratas, ideoque omnium efficacissimas. Fideles igitur, qui pretiosum sibi spondere decessum tutumque reddere velint, quidni Sacrum ad hanc mentem fieri jubeant, cum in altari Christus sit *semper vivens ad interpellandum pro nobis*, ibique *thronum gratiæ* constituerit, ad quem *adeamus cum fiducia ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in tempore opportuno*? Præterquam enim quod ut Trid. verbis utamur, sacrificii oblatione placatus Dominus, gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit, poenasque culpæ expiandæ debitas condonat, solutionis pretium ex immenso satisfactionum Christi cumulo depromens, per ipsam præterea sacri litationem subsidia ea omnia impetrare licet necessaria atque opportuna, quibus non modo maculas devitemus conceptasque eluamus, sed etiam in Dei gratia amicitiaque sic perstemus ut mortem justorum obeamus.

« In quo considerandum præcipue est, fructus, qui ex Sacro percipiuntur, hominibus *longe uberius vivis prodesse quam vita functis*, cum iis, bene animatis ac dispositis, *magis directo, certius* atque *abundantius*, quam his, applicentur ; unde efficitur ut, cum perseverantiæ dono, queamus nobis facultatem adhuc vivis comparare cum placandæ Dei justitiæ, tum pœnæ quæ nos in Purgatorio igni maneret, vel tollendæ omnino, vel valde saltem imminuendæ. Quod si satis multi obliviosi atque ingrati homines, id committere consueverunt, ut ad animas eorum piandas, quos habere carissimos videbantur, augustum offerri sacrificium negligant, sunt quidem majore numero qui, gravi cum spiritualium utilitatum jactura, illud ignorent, profuturum sibi multo magis Missæ sacrificium quod, se vivis, ipsimet, quam quod in ipsorum levamen defunctorum hæredes, propinqui vel amici perlitari jusserint.»[1]

Conclusio 3ª. — MISSA, NON PRO DAMNATIS QUIDEM, SED PRO ANIMABUS PURGATORII LEGITIME OFFERTUR, RECTEQUE PRO SANCTIS CELEBRATUR.

1ª *Pars* (contra falsam opinionem *de mitigatione poenarum* inferni) pro *certa* habenda est.

Nam 1° planus est *Ecclesiae sensus* quæ ab omni oratione pro damnatis prorsus abstinet ; « tutius est, inquit *S. Thomas* (4 S. D. XLV, Q. II, a. 2), simpliciter dicere quod suffragia non prosunt damnatis, nec pro eis Ecclesia orare intendit, sicut ex auctoritatibus inductis apparet ». — 2° Opposita opinio, juxta S. Doctorem (*ibid.*), est « præsumptuosa, utpote sanctorum dictis contraria ; et vana, nulla auctoritate fulta ;

[1] — Litt. apost. *Sodalitatem nostræ Dominæ a Bona Morte* (31 maii 1921).

et nihilominus *irrationalis :* tum quia damnati in inferno sunt *extra vinculum caritatis*, secundum quam opera vivorum continuantur defunctis ; tum quia totaliter *ad viae terminum* pervenerunt recipientes ultimam pro meritis retributionem[1]».— 3°Objicienti quod *S. Augustinus* habet (Enchirid. c. 110), sacrificium altaris defunctis prodesse « ut tolerabilior fiat ipsa *damnatio* », respondet *Angelicus* (*ibid.* ad 2) : « Damnatio in verbis illis *large* accipitur pro quacumque punitione, ut sic includat et pœnam purgatorii ; quæ quandoque totaliter per suffragia expiatur, quandoque autem non, sed diminuitur ». Patet hujus solutionis veritas ex contextu.

2ª *Pars*, cui adversantur *Novatores*, definita est a *Conc. Trid.* (Sess. XXII, cap. 2) asserente quod missæ sacrificium « pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite, juxta Apostolorum traditionem, offertur ». Immo docet *Concilium* (Sess. XXV, dec. de Purg.), animas illas « potissimum acceptabili Altaris sacrificio juvari ».

1° Revera plura argumenta hanc veritatem persuadent.— *a*) Judas Machabæus (2 Mach. XII, 43) jussit offerri sacrificium pro peccatis mortuorum, quod factum Scriptura laudat et commentatur, dicens (v. 46) : *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* — *b*) Veterem *Ecclesiae consuetudinem* hac in re attestantur tum omnes *liturgiae* tum *concilia* omnium provinciarum, in quibus fit mentio sacrificii pro defunctis, tanquam recepti et usitati (ap. *Bellarm.*, l. VI, cap. 7).— *c*) *Patrum* Latinorum et Græcorum inde a Tertulliano et Cypriano unanimis est consensus. Sic *Augustinus* (Conf. l. IX, c. 13), imis animi gemitibus Deum orans pro matre defuncta, exclamat : « Quotquot hæc legerint, meminerint ad *altare* tuum, Monicæ famulæ tuæ ».— *d*) Quocirca iidem Patres, utputa *Greg. Nyss.*, *Joan. Chrysost.* etc., ritum illum sacrificandi pro mortuis *ab Apostolis* ipsis derivatum tradunt (*Bellarm.* l. cit.).— *e*) *Ratio* hujus ritus ultro profertur : nam « suffragia vivorum prosunt defunctis secundum quod uniuntur viventibus caritate » (4 S. D. XLV, Q. II, a. 3) : cum ergo Eucharistia sit « quasi quædam caritatis origo sive vinculum » (*ibid.*), pronum est ut sacrificium eucharisticum valeat, maximeque, mortuis subsidiari.

2° *a*) Quæstio est, num vel quomodo defuncti in statu gratiæ, sed *non baptizati*, eo sacrificio juvari possint. Communiter (ait *Sasse*, th. XXXVI) theologi negant fructum *satisfactorium* posse eis immediate applicari ; siquidem, cum non sint per baptismum in visibilem Ecclesiam recepti, apti non

[1] —Idem sane dicendum est de *infantibus* in limbo reclusis.

sunt ad fructum ex visibilibus Ecclesiæ mysteriis, sive sacrificiis, sive sacramentis, immediate percipiendi m. *b*) *Mediate* tamen juvari possunt missæ sacrificio, quatenus hac oblatione vivis *impetrentur* novæ gratiæ quibus moveantur ad satisfaciendum pro illis defunctis. Idcirco, eoque sensu, permittitur sacrificium offerre pro *catechumenis* inculpabiliter sine baptismo mortuis : quod colligimus tum ex *Innoc. III* (Decr. Greg. l. III, t. 43, de *presbyt. non bapt.*) ubi Pontifex jubet pro presbytero christiane defuncto, etsi non baptizato, hostias offerri, tum ex *S. Ambrosii* Orat. de obitu Valentiniani catechumeni pro quo id ipsum fiat hortatur.— *c*) Tandem haud possumus (i. e. publica oblatione) missam applicare pro *excommunicato*, *haeretico* vel *schismatico* qui ante mortem non dederit positiva ac sufficientia bonæ fidei vel resipiscentiæ signa, nec pro *infideli* de cujus conversione ante mortem signis positivis et particularibus non constet[1]. Hi enim privandi sunt sepultura ecclesiastica, ad quam suffragia publica quodammodo pertinent.

3ª *Pars* (contra *Protestantes*) sancita est canone *Trid.* (Sess. XXII, can. 5) : « Si quis dixerit, imposturam esse missas celebrare in honorem sanctorum et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit ; A. S.» — In hac re, duo declarare satis erit (ex Bellarm. l. VI, c. 8), videl. *quid non faciunt* catholici et *quid faciunt* in celebranda missa pro sanctis.

1° *a*) Sacrificium missæ non offertur *sanctis*[2], nec proinde *eis* altaria sacrificalia eriguntur, licet *in eorum memoriam* ista fiant ac fieri possint.— *b*) Item, missæ sacrificium non est *per se* institutum, tanquam ad finem *praecipuum*, ad sanctos honorandos vel invocandos ; hoc enim, in mente catholicorum, *secundario* tantum et consequenter ad missam pertinet.— *c*) Præterea, non ideo missa pro sanctis celebratur quod eis, sive ad *culpae* vel *poenae* remissionem, sive ad *gratiae* vel *gloriae essentialis* augmentum prodesse existimetur.

2° Sacrificium missæ pro sanctis celebramus triplici ratione : — *a*) *Primo*, in quantum est sacrificium *latreuticum* et *honorarium ;* Deus enim honoratur in sanctis quorum nomina Christo-victimæ sociata recitantur ipsorumque sanctorum memoria per hanc recordationem legitimo honore deco-

[1] — Gasparri, *op. cit.* n. 479.

[2] — Conc. Trid. (Sess. XXII, cap. 3) ait : « Quamvis in honorem et memoriam sanctorum nonnullas interdum missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed *Deo soli*, qui illos coronavit ; unde nec sacerdos dicere solet : Offero tibi sacrificium, Petre vel Paule ».

ratur.— *b*) *Secundo*, in quantum est sacrificium *eucharisticum*, quia nempe gratias Deo rependimus pro beneficiis quibus servos suos cumulavit.— *c*) *Tertio*, in quantum est sacrificium *impetratorium ;* a Deo enim petimus ut intercedentibus sanctis nos adjuvet[1], juxta doctrinam *S. Cyrill. Hier.* (Catech. Mystag. 5, n. 9) : « Postea recordamur eorum quoque qui obdormierunt, primum patriarcharum, prophetarum, Apostolorum, martyrum, ut Deus eorum precibus et legationibus orationem nostram suscipiat ».

QUÆSTIO TERTIA

DE RITU SACRIFICII EUCHARISTICI

Nomine ritus hic intelligitur « complexus regularum seu præscriptionum quibus celebratio sacrificii missæ regitur ». — Hæ quidem præscriptiones multipliciter spectari poterunt, nempe vel quoad celebrandi *tempus* (art. 1), vel quoad celebrationis *locum* (art. 2), vel quoad *dicendorum ordinem* in sacrificio (art. 3), vel quoad *agendorum congruentiam* (art. 4) ; ex quo sermo ducetur ad *missas* (ut aiunt) *privatas* (art. 5).— Breviter quinque illa (de quibus nostrum non est in particulari agere) coronidis ad instar attingemus.

ARTICULUS I.

De tempore celebrationis missae.

(Q. LXXXII, a. 10 ; Q. LXXXIII, a. 2)

Circa celebrandi tempus tria dubia solvenda occurrunt : *primo*, an sacerdos (vi solius sacerdotii) teneatur *aliquando* celebrare ; *secundo*, an possit vel debeat *quotidie* celebrare, imo pluries in die ; *tertio*, qua *hora* sit celebrandum.

Conclusio 1ª.— SUB GRAVI TENETUR SACERDOS PLURIES CELEBRARE.— Id manifeste colligitur ex Decr. Greg. (l. III, t. 41, c. 9) ubi reprehenduntur « qui missarum solemnia vix celebrant quater in anno », necnon ex *Conc. Trid.* (Sess. XXIII, c. 14) dicente : « Curet episcopus ut ii (sacerdotes) saltem diebus dominicis et festis solemnibus... missas celebrent.» Quæ præscriptio replicatur a *Codice* (can. 805).

[1] — Sacerdos « Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris » (C. Trid., *l. cit.*).

Sic discurrit *Auctor* (Q. LXXXII, a. 10) : « *Quidam* dixerunt quod sacerdos potest omnino a consecratione licite abstinere, nisi teneatur ex cura sibi commissa celebrare et populo sacramenta præbere.— Sed hoc *irrationabiliter* dicitur, quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum, secundum illud (2 Cor. VI, 1) : *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Opportunitas autem sacrificium offerendi non solum attenditur per comparationem ad fideles Christi quibus oportet sacramenta ministrari, sed *principaliter* per comparationem ad Deum, cui consecratione hujus sacramenti sacricium offertur. Unde sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare ; sed *saltem* videtur quod celebrare teneatur *in praecipuis festis*, et *maxime* in illis diebus in quibus fideles communicare consueverunt ».

Conclusio 2ª.— PER SE LOQUENDO, LICITUM AC LAUDABILE EST, ETSI NON OBLIGATORIUM, QUOTIDIE CELEBRARE, SED SEMEL TANTUM IN DIE.— Dico *per se* loquendo ; possunt enim dari circumstantiæ seu rationes extrinsecæ quae vel prohibeant a celebratione quotidiana (v. g. si sacerdos sit censura innodatus), vel ad quotidie celebrandum obligent (v. g. conditio beneficii), vel pluries in die celebrare suadeant (v. g. necessitas).

1ª *Pars*, quod nempe celebratio quotidiana sit licita ac laudabilis, evincitur : — 1° ex Ecclesiæ *generali usu*, *Patrum* sententiis subnixo ; ita *S. Cyprianus* scribit (Ep. 54, n. 3) : « Ut sacerdotes Dei, qui quotidie celebramus, hostias Deo et victimas præparemus ».— 2° Accedit *ratio :* nam in celebratione mysterii eucharistici attenditur repræsentatio dominicæ passionis et participatio ejus fructuum. Atqui secundum utrumque congruit celebratio quotidiana, tum nempe ut passio Christi jugiter commemoretur, tum ut fructus ejus per missam quotidianis nostris defectibus subveniant. Ergo.— 3° Tamen, in die quo ipsa passio Domini recolitur, prout realiter gesta est, scil. in *feria sexta* Majoris Hebdomadæ, nusquam mysterium passionis repræsentativum celebratur ; præsente enim veritate, locus figuræ seu repræsentationi non datur.

2ª *Pars*, vid. quod per se nemo *teneatur* ad quotidie celebrandum, sponte innotescit : nihil est enim, neque in jure naturali, neque in jure positivo, quod hanc obligationem veluti sacerdotio inhærentem demonstrare queat.

3ª *Pars* diserte continetur in decreto *Innocentii III* (Decr. Greg. l. III, t. 41, c. 3) : « Respondemus quod, excepto die Nati-

vitatis dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam missam solummodo celebrare ».— *Ratio* est quam tradit *Alex. II* (Decr. III, de Consec. d. I, c. 53) : « Sufficit sacerdoti unam missam in die una celebrare ; quia Christus semel passus est, et totum mundum redemit. Non modica res est unam missam facere, et valde felix est qui unam digne celebrare potest ».— Nihilominus « in die Nativitatis plures missæ celebrantur propter *triplicem Christi nativitatem*. Quarum una est *aeterna*, quæ quantum ad nos est occulta ; et ideo una missa cantatur in nocte, in cujus introitu dicitur : *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu ; ego hodie genui te.* Alia autem est *temporalis*, sed *spiritualis*, qua scil. Christus oritur tanquam *lucifer in cordibus nostris*, ut dicitur 2 Pet. I, et propter hoc cantatur missa in aurora, in cujus introitu dicitur : *Lux fulgebit hodie super nos.* Tertia est Christi nativitas *temporalis* et *corporalis*, secundum quam visibilis nobis processit ex utero virginali, carne indutus ; et ob hoc cantatur tertia missa in clara luce, in cujus introitu dicitur : *Puer natus est nobis* » (Q. LXXXIII, a. 2 ad 2).—Alia exceptio continetur in *Codice* (can. 806), scil. pro die Commemorationis omnium fidelium defunctorum qua facultas est ter celebrandi, ex speciali Romani Pontificis intentione.

Conclusio 3ª.— SECUNDUM PRÆSENTEM ET GENERALEM DISCIPLINAM, MISSA NEQUIT DICI NEQUE CITIUS QUAM UNA HORA ANTE AURORAM NEQUE SERIUS QUAM UNA HORA POST MERIDIEM. C. J. C. (can. 821, n. 1).— Dico *a*) secundum *praesentem* disciplinam ; quid enim temporum exigentiæ olim postulaverint, nostrum non est referre[1]. — *b*) Dico insuper secundum *generalem* disciplinam ; exceptiones namque habentur vel ex *jure* (puta in die Natalis Domini) vel ex *dispensatione* quam necessitas vel opportunitas suadeat. — Regula enunciata expresse continetur in *Rubr. Miss. romani.*

Regulæ autem *ratio* duplex est : *immediata* et *mediata* seu mystica.— *a*) *Immediate* quidem tempus illud assignatur, quia citius ante auroram homines communiter non sunt satis dispositi ad fructum divinorum mysteriorum devote percipiendum ; post meridiem vero si missa serius protraheretur, et jejunium requisitum longius foret, et mentis recollectio difficilior.— *b*) *Mediata* autem seu *mystica* ratio sumitur ex repræsentatione passionis Domini quæ, secundum diversas suas vicissitudines, locum habuit a tertia hora usque ad nonam.

[1] — Vid. Gasparri, *op. cit.* n. 98.

ARTICULUS II.

De loco celebrationis missae.

« Quatuor ob fines, ait *Bellarminus* (de Cult. sanct. l. III, c. 4), eriguntur sacræ ædes, unde etiam quatuor nomina sortiuntur : primo, ad sacrificandum Deo, et hinc dicuntur *templa ;* secundo, ad orandum, et hinc dicuntur *oratoria ;* tertio, ad martyrum reliquias honorifice conservandas, et hinc dicuntur *basilicae* seu memoriæ seu martyria ; quarto, ad populum verbo Dei et sacramentis pascendum, et hinc dicuntur *ecclesiae.* Ex his finibus solum quartum agnoscunt *Lutherani* et *Calvinistae ; Anabaptistae* autem et *Waldenses* ne illum quidem ».— Nonnulla igitur de ædibus sacris dicemus primum *in genere,* deinde *quoad dedicationem* quam Ecclesia sub consecrationis vel benedictionis specie præscribit ad legitimam missæ celebrationem.

Conclusio 1ª.— RECTE INSTITUUNTUR CERTA LOCA TUM AD PRÆDICANDUM ET MINISTRANDUM SACRAMENTA, TUM QUOQUE AD ORANDUM, AD SACRIFICANDUM DEO, AD SANCTOS HONORANDOS. — Quatuor theseos partes accipiantur, paucis singillatim declarandæ.

1ª *Pars* ostend : — 1° exemplo *Christi* et *Apostolorum* qui, etsi interdum data occasione extra ædes sacras verbum Dei seminarent, tamen ordinarie in templo vel synagogis id faciebant, ut constat v. g. ex Joan. XVIII, 20 et Act. V, 20-21 ; — 2° exemplo *primorum christianorum,* quos ecclesias a privatis domibus (saltem destinatione) distinctas habuisse testatur Ap. dicens (1 Cor. XI, 18) : *Convenientibus vobis in ecclesiam audio scissuras esse inter vos,* etc.; — 3° *ratione,* qua convincitur omnino expedire ut populus ad res sacras certis in locis conveniat, quemadmodum in civilibus mos est conveniendi ad diversa ministeria.

2ª *Pars* apparet : — 1° ex *Scripturae* testimoniis, quibus exhibetur Deus templum a Salomone extructum approbans his verbis (3 Reg. IX, 3) : *Erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus* ; — 2° ex diversis, quæ sive biblica sive ecclesiastica historia refert, exemplis sanctorum loca sacra petentium ad orandum ; — 3° *ratione,* siquidem in templo specialiter ad orandum erecto preces congruentius funduntur, fervidius excitantur, citius quoque a Deo (quod ipse Salomoni promisit) exaudiuntur.

3ª *Pars* sic a *S. Thoma* declaratur (art. 3 ad 1) : « Regulariter hoc sacramentum (Eucharistia) celebrari debet in domo

per quam significatur Ecclesia, secundum illud 1 Tim. III, 15 : *Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi.* Extra Ecclesiam enim non est locus veri sacrificii, ut August. dicit. Et quia Ecclesia non erat concludenda sub finibus gentis Judaicæ, sed erat in universo mundo fundanda, ideo passio Christi non est celebrata intra civitatem Judæorum, sed sub dio, ut sic totus mundus se haberet ad passionem Christi ut domus ». Igitur locus sacrificio eucharistico conveniens templum est ; quod et sensu *Patrum* templa ac altaria memorantium et usu ipsorum *paganorum* in templis sacrificantium confirmatur.

4ª *Pars* suadetur : — *a pari :* si enim (ut ex Scriptura accipimus) templum Salomonis non solum ad sacrificia et orationes, sed etiam ad conservandam arcam Domini erectum fuit, quidni nunc ad sanctorum sepulchra gestave honoranda exstruere templa licebit ? — Hunc morem celebrandi sanctorum memoriam esse *perantiquum*, certos nos faciunt *archaeologiae* monumenta, necnon *Patrum* ac historicorum scripta, quibus tam frequenter basilicæ martyrum vel templa commemorantur.— *Dupliciter* quidem intelligi potest ædes sacras in honorem sanctorum erigi : vel quatenus *Deo tantum* erigantur, ita ut tamen sancti, a quibus denominantur, speciali veneratione in eis colantur : vel quatenus *eis proprie* erigantur, non sub ratione templi ad sacrificium destinati (Deo enim soli sacrificamus), sed sub ratione ædificii commemorativi in quo Deum per ipsos intercessores oremus et Deo in eorum memoriam sacrificium offeramus[1].

Conclusio 2ª.— CONVENIENTER STATUTUM EST UT ORDINARIE MISSA NON CELEBRETUR NISI IN TEMPLO CONSECRATO VEL BENEDICTO, ET SUPER ALTARE LAPIDEUM ETIAM CONSECRATUM.— Cf. C. J. C. (can. 822).

1ª *Pars* ut declaretur, duo *praenotamus :* — primo, quod dicitur « *ordinarie* »; exceptio enim permitti potest ab auctoritate legitima.— Secundo, quod additur « in templo *consecrato* vel *benedicto* »; siquidem templi dedicatio duplex est, strictius dicta seu consecratio, et latius sumpta seu simplex benedictio[2], quæ tamen sufficit ad hoc ut ecclesia apta fiat celebrationi missæ.

1° Templum cultui sacro divinoque sacrificio deserviens per externum ritum dedicari seu a profanis usibus segregari Deoque reservari, adeo rationi consonum est ut in omni tem-

[1] — Plura de materia hujus concl. videri possunt penes Bellarm. (*l. cit.*).
[2] — Cf. cl. Gasparri, *op. cit.*, n. 149 sqq.

pore, scil. tum naturæ, tum legis, tum gratiæ, id peractum fuisse legatur.— In statu *naturae*, Jacob (Gen. XXXV, 14-15) refertur lapidem erexisse, eum inungendo consecrasse et libamina super eum libasse, vocans locum illum *Bethel*, i. e. domum Dei.— In statu *legis*, Moyses (Ex. XL) tabernaculum, altare et omnia vasa sacra oleo aliisque cæremoniis consecrasse asseritur.— In statu *gratiae*, idem ab initio utcumque observatum fuisse, scripta *Patrum* ac *Conciliorum* antiquorum decreta testantur (ap. Bellarm., *l. cit.* c. 5).

2° Quid congruentius ? — *a*) Etenim sacrificium eucharisticum considerari potest vel secundum repræsentationem eorum quæ dominicam passionem attinent, vel secundum veritatem Christi realiter in sacramento præsentis Deoque oblati. Jam vero utroque sub respectu convenientissime templum christianum ritu sacro dedicatur : tum scil. ad repræsentandam sanctificationem quam Ecclesia per Christi passionem consequitur, tum etiam in reverentiam divinæ victimæ sub sacramento oblatæ necnon ad significandam sanctitatem quæ requiritur ex parte suscipientium illud sacramentum.— *b*) Accedit *utilitas* quam Christifideles divinis officiis assistentes ex præfata dedicatione capiunt. « Ecclesia, et altare, et alia hujusmodi inanimata consecrantur, non quia sint gratiæ susceptiva, sed quia ex consecratione adipiscuntur *quamdam spiritualem virtutem*, per quam apta redduntur divino cultui, ut scil. homines devotionem quamdam exinde percipiant, ut sint *paratiores ad divina*, nisi hoc propter irreverentiam impediatur. Unde et 2 Mach. III, 38-39 dicitur : *Vere Dei virtus quaedam est in loco ; nam ipse, qui habet in coelis habitationem, visitator et adjutor est loci illius.* Et inde est quod hujusmodi ante consecrationem emundantur et exorcizantur, ut exinde virtus inimici pellatur... Unde et quidam probabiliter dicunt quod per ingressum ecclesiæ consecratæ homo consequitur remissionem peccatorum venialium, sicut et per aspersionem aquæ benedictæ » (heic, art. 3 ad 3).

2ª *Pars* de *altari* paucis absolvitur.

Et 1° quod debeat altare esse *lapideum*, sic declarat Auctor (*ibid.* ad 5) : « Sicut legitur (de Consec. dist. I, cap. 31), altaria, si non fuerint lapidea, chrismatis unctione non consecrentur. Quod quidem competit *significationi* hujus sacramenti : tum quia altare significat Christum ; dicitur autem 1 Cor. X, 4 : *Petra autem erat Christus ;* tum etiam quia corpus Christi in sepulcro lapideo fuit reconditum. Competit etiam quoad *usum* sacramenti : lapis enim et solidus est, et de facili potest inveniri ubique ».

2° Quantum ad *consecrationem* altaris, « est (inquit *Gasparri*, op. cit. n. 311) in jure canonico principium certissimum, nunquam posse sine peccato mortali, ne in casu quidem urgentis necessitatis, sacrum fieri extra altare aut petram consecratam ». *Ratio* est quam tradit *D. Thomas* (ad 2) ; quia nempe Christi, per altare consecratum significati, sanctitas fons est necessarius totius ecclesiasticæ sanctitatis. « Propter quod, subdit S. Doctor (*ibid.*), nunquam ecclesia sine altari consecratur. Tamen sine ecclesia quandoque consecratur altare cum reliquiis sanctorum, quorum vita *abscondita est cum Christo in Deo* (Coloss. III, 3)». Vide plura apud laudatum Gasparri.

ARTICULUS III.

De ordine eorum quae dicuntur in missa.

Quamvis non liquido constet quid Apostoli in sacrificio eucharistico offerendo recitandum præscripserint, id tamen certum ac exploratum est, jam ipso ævo apostolico Ecclesiam pro ea, qua gaudebat, potestate plures ritus pluresque missæ orationes determinasse ; quæ cum diversificarentur pro diversis regionibus, diversæ hinc liturgiæ cum diversis missalibus enatæ sunt.— Propositum articuli est demonstrare *quam convenienter* ordinata sint quæ in missa celebranda *dicuntur ;* quod quidem præstabimus transcribendo verba ipsa, veritatis simul ac pietatis plena, angelici nostri Præceptoris.

Conclusio.— CONVENIENTISSIMA EST DISPOSITIO EORUM QUÆ DICUNTUR IN SACRIFICIO MISSÆ.

« Quia, inquit *S. Thomas* (art. 4), in hoc sacramento totum mysterium nostræ salutis comprehenditur, ideo præ cæteris sacramentis cum majori solemnitate agitur. Et quia scriptum est (Eccle. IV, 17): *Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei*, et (Eccli. XVIII, 23) : *Ante orationem præpara animam tuam*, ideo ante celebrationem hujus mysterii *primo* quidem præmittitur *praeparatio* quædam ad digne agenda ea quæ sequuntur.— Cujus præparationis *prima pars* est laus divina, quæ fit in *introitu*, secundum illud (Ps. XLIX, 23) : *Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter quo ostendam illi salutare Dei ;* et sumitur hoc ut pluries de psalmis, vel saltem cum psalmo cantatur, quia, ut Dionysius dicit (cap. 3 eccl. Hier.), psalmi comprehendunt per modum laudis quidquid in S. Script. continetur.— *Secunda pars* continet commemorationem præsentis miseriæ, dum misericordia petitur, dicendo : *Kyrie*

eleison, ter quidem pro persona Patris, ter autem pro persona Filii, cum dicitur : *Christe eleison*, et ter pro persona Sp. Sancti, cum subditur : *Kyrie eleison*, contra triplicem miseriam, ignorantiæ, culpæ et pœnæ, vel ad significandum quod omnes personæ sunt in se invicem.— *Tertia* autem *pars* commemorat cœlestem gloriam ad quam tendimus post præsentem vitam et miseriam, dicendo : *Gloria in excelsis Deo ;* quod cantatur in festis in quibus commemoratur cœlestis gloria, intermittitur autem in officiis luctuosis quæ ad commemorationem miseriæ pertinent.— *Quarta* autem *pars* continet *orationem* quam sacerdos pro populo facit, ut digni habeantur tantis mysteriis.

« *Secundo* autem præmittitur *instructio* fidelis populi, quia hoc sacramentum est mysterium fidei, ut supra habitum est, qu. LXXVIII, a. 3.—Quæ quidem instructio *dispositive* quidem fit per *doctrinam prophetarum* et *apostolorum*, quæ in Ecclesia legitur per lectores et subdiaconos ; post quam lectionem cantatur a choro *graduale*, quod significat profectum vitæ, et *alleluia*, quod significat spiritualem exultationem, vel *tractus* in officiis luctuosis, qui significat spiritualem gemitum : hæc enim consequi debent in populo ex prædicta doctrina.— *Perfecte* autem populus instruitur per *doctrinam Christi* in Evangelio contentam, quæ a summis ministris legitur, scil. a diaconibus ; et quia Christo credimus tanquam divinæ veritati, secundum illud (Joan. VIII, 46) : *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi ?* lecto evangelio, *symbolum* fidei cantatur, in quo populus ostendit se per fidem Christi doctrinæ assentire. Cantatur autem hoc symbolum in festis de quibus fit aliqua mentio in symbolo, sicut in festis Christi, et B. Virginis, et Apostolorum qui hanc fidem fundaverunt, et aliis hujusmodi.

« Sic igitur populo præparato et instructo, consequenter acceditur ad *celebrationem* mysterii, quod quidem et offertur ut sacrificium, et consecratur et sumitur ut sacramentum. Unde primo peragitur oblatio ; secundo consecratio materiæ oblatæ ; tertio ejusdem perceptio.— Circa *oblationem* vero duo aguntur : scil. laus populi in cantu offertorii, per quod significatur lætitia offerentium, et oratio sacerdotis, qui petit ut oblatio populi sit Deo accepta. Unde et (1 Paralip. XXIX, 17) dixit David : *Ego in simplicitate cordis mei laetus obtuli universa haec, et populum tuum, qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria ;* et postea erat dicens : *Domine Deus. . . custodi hanc voluntatem.*

« Deinde circa *consecrationem*, quæ supernaturali virtute agitur, primo excitatur populus ad devotionem[1] in *praefa-*

[1] — Nam « in hoc sacramento et *maior* devotio requiritur quam in aliis

tione ; unde et monetur *sursum corda* habere ad Dominum, et ideo, finita præfatione, populus devote laudat divinitatem Christi, cum angelis dicens : *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* et humanitatem, cum pueris dicens : *Benedictus qui venit* etc. — Deinde sacerdos secreto commemorat, *primo* quidem pro quibus hoc sacrificium offertur, scil. pro universali Ecclesia, et pro his *qui in sublimitate sunt* constituti (1 Tim. II, 2), et specialiter quosdam qui offerunt vel pro quibus offertur. *Secundo* commemorat sanctos, quorum patrocinia implorat pro prædictis, cum dicit : *Communicantes et memoriam venerantes* etc. *Tertio* petitionem concludit, cum dicit : *Hanc igitur oblationem* etc.— Deinde accedit ad ipsam consecrationem, in qua *primo* petit consecrationis effectum[1], cum dicit : *Quam oblationem tu Deus* etc. *Secundo* consecrationem peragit per verba Salvatoris, cum dicit : *Qui pridie* etc. *Tertio* excusat præsumptionem per obedientiam ad mandatum Christi, cum dicit : *Unde et memores* etc. *Quarto* petit hoc sacrificium peractum esse Deo acceptum cum dicit : *Supra quae propitio* etc. *Quinto* petit hujus sacrificii et sacramenti effectum, primo quidem quantum ad ipsos sumentes, cum dicit : *Supplices te rogamus ;* secundo quantum ad mortuos qui jam sumere non possunt, cum dicit : *Memento etiam Domine* etc.; tertio specialiter quantum ad ipsos sacerdotes offerentes, cum dicit : *Nobis quoque peccatoribus* etc.

« Deinde agitur de *perceptione* sacramenti, et primo *praeparatur* populus ad percipiendum, *primo* quidem per orationem communem totius populi quæ est *oratio dominica,* in qua petimus panem quotidianum nobis dari, et etiam privatam, quam specialiter sacerdos pro populo offert, cum dicit : *Libera nos, quaesumus, Domine,* etc. *Secundo* præparatur populus per pacem, quæ datur dicendo : *Agnus Dei ;* est enim hoc sacramentum unitatis et pacis, ut supra dictum est, qu. LXXIII a. 4 et q. LXXIX, a. 1. In missis tamen defunctorum, in quibus sacrificium offertur, non pro pace præsenti, sed pro requie mortuorum, pax intermittitur.— Deinde sequitur *perceptio* sacramenti, primo percipiente sacerdote, et postmodum

sacramentis, propter hoc quod in hoc sacramento totus Christus continetur, et etiam *communior,* quia in hoc sacramento requiritur devotio totius populi christiani, pro quo sacrificium offertur, et non solum percipientium sacramentum, sicut in aliis sacramentis » (h. art., ad 5).

[1] — Etenim « efficacia verborum sacramentalium impediri potest per intentionem sacerdotis. Nec tamen est inconveniens quod a Deo petamus id quod certissime scimus ipsum facturum, sicut Christus (Joan. XVII, 5) petit suam clarificationem. Non tamen videtur ibi sacerdos orare ut consecratio impleatur, sed ut nobis fiat fructuosa, unde signanter dicit : *Ut nobis corpus et sanguis fiat* » (h. art., ad 7).

aliis dante, quia, ut Dionys. dicit (cap. 3 eccl. Hier.), ille qui aliis divina tradit, primo debet ipse particeps esse.

« Ultimo autem tota missæ celebratio in *gratiarum actione* terminatur, populo exultante pro sumptione mysterii (quod significat cantus post communionem), et sacerdote per orationem gratias offerente, sicut et Christus, celebratâ cœnâ cum discipulis, hymnum dixit, ut dicitur (Matth. XXVI, 30).»

ARTICULUS IV.

De congruentia eorum quae aguntur in celebratione missae.

Alia sunt quæ *dicuntur* in missa, alia quæ *aguntur :* absoluto itaque sermone de prioribus, S. Thomas procedit ad reliquorum considerationem.— Pauca cum ipso de convenientia actionum, quas Ecclesia secerdotibus in celebrando Eucharistiæ sacrificio exequendas injungit, solita brevitate eloquemur.

Conclusio.— CONVENIENTIA PRORSUS SUNT EA QUÆ IN CELEBRATIONE MISSÆ A SACERDOTIBUS AGUNTUR.

Id dupliciter declarari potest :

1° Ratione *generali :* — Cum in sacramentis ad majorem significandi vim verba simul et facta adhibeantur, proportio quædam inter duo illa significationis genera vigere debet. Atqui in celebratione Eucharistiæ verba proferuntur ad significandum et quædam pertinentia ad Domini passionem inibi representatam, et quædam pertinentia ad corpus Christi mysticum seu Ecclesiæ bonum, et quædam pertinentia ad devotum seu reverentem Eucharistiæ usum. Ergo facta seu gesta sacerdotis convenienter circa tria illa utcumque significanda versantur.

2° *Inductione ;* — qua considerabimus et manuum ablutionem, et crucesignationes, et gesticulationes, et specierum tractationem, et (in missis cantatis) thurificationem.

a) « *Ablutio manuum* fit in celebratione missæ propter reverentiam hujus sacramenti, et hoc dupliciter : *primo* quidem quia aliqua pretiosa tractare non consuevimus nisi manibus ablutis ; unde indecens videtur quod ad tantum sacramentum aliquis accedat manibus etiam corporaliter inquinatis. *Secundo* propter significationem, quia, ut Dionys. dicit (cap. 3 eccl. Hier.), extremitatum ablutio significat emundationem etiam a minimis peccatis, secundum illud (Joan. XIII, 10) : *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet.* Et talis emundatio requiritur ab eo qui accedit ad hoc sacra-

mentum ; quod etiam significatur per *confessionem*, quæ fit ante introitum missæ » (art. 5 ad 1).

b) De *crucesignatione* tria notare expedit : — *Primum* eâ in celebratione missæ utitur sacerdos ad exprimendam Christi passionem cruce completam et Eucharistia repræsentatam ; quod quidem signum pro diversis passionis gradibus diversa ratione symbolica multiplicatur[1].— *Secundo* etiam dici potest quod consecratio Eucharistiæ, hujusque sacrificii acceptatio, et ipsius fructus procedit ex virtute crucis Christi ; unde ubicumque de aliquo illorum fit mentio, sacerdos celebrans crucesignationem adhibet.— *Tertio* tamen, peracta consecratione qua Christus in altari sistitur, crucesignatio non fit ad benedicendum et consecrandum (sicut antea), sed solum ad commemorandum virtutem crucis et passionis dominicæ modum.

c) De *gesticulationibus* celebrantis hæc scribit *Auctor* (hic ad 5) : « Ea quæ sacerdos in missa facit, non sunt ridiculosæ gesticulationes : fiunt enim ad aliquid repræsentandum.— Quod enim sacerdos *brachia extendit* post consecrationem, significat extensionem brachiorum Christi in cruce.— *Levat* etiam *manus* orando, ad designandum quod oratio ejus dirigitur pro populo ad Deum, secundum illud (Thren. III, 41) : *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in coelos ;* et (Ex. XVII, 11) dicitur quod *cum levaret Moyses manus, vincebat Israel.*— Quod autem *manus* interdum *jungit* et *se inclinat*, est suppliciter et humiliter orantis, et designat humilitatem et obedientiam Christi ex qua passus est.— *Digitos* autem *jungit* post consecrationem, scil. pollicem cum indice, quibus corpus Christi consecratum tetigerat, ut si qua particula digitis adhæserit, non dispergatur ; quod pertinet ad reverentiam sacramenti ».

d) Quoad *specierum tractationem*, duo consideranda occurrunt.— Unum est *fractio hostiae* quæ, docente Auctore (hic ad 7), tria significat, nempe *primo* ipsam divisionem corporis Christi, quæ facta est in passione ; *secundo* distinctionem corporis ejus mystici secundum diversos status ; *tertio* distributionem gratiarum ex passione dominica procedentium.— Alterum est *immissio partis* consecratæ *in calicem ;* de qua hæc observat *S. Thomas* (ad 9) : « Per calicem, inquit, duo possunt significari : *uno modo* ipsa passio Christi quæ repræsentatur in hoc sacramento, et secundum hoc per partem in calicem missam significantur illi qui adhuc sunt participes passionum Christi ; *alio modo* potest significari fruitio beata,

[1] — Apud *Auctorem* (resp. ad 3) videre est quomodo variae crucesignationes symbolice respondeant variis passionis dominicae circumstantiis.

quæ etiam in hoc sacramento præfiguratur ; et ideo illi quorum corpora jam sunt in plena beatitudine, significantur per partem in calicem missam ».

e) Denique *thurificationis* ratio duplex ab Auctore assignatur (hic ad 2) ; hæc enim cæremonia « pertinet ad duo : *primo* quidem ad reverentiam hujus sacramenti, ut scil. per bonum odorem depellatur, si quid corporaliter pravi odoris in loco fuerit, quod posset provocare horrorem ; *secundo* pertinet ad repræsentandum effectum gratiæ qua, sicut bono odore, Christus plenus fuit, secundum illud (Gen. XXVII, 27) : *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni ;* et a Christo derivatur ad fideles officio ministrorum, secundum illud (2 Cor. II, 14) : *Odorem notitiae suae spargit per nos in omni loco ;* et ideo, undique thurificato altari, per quod Christus designatur, thurificantur omnes per ordinem ».

ARTICULUS V.

Do missis privatis.

Extremum est ut ritum eucharisticum expendamus quoad missas quas *privatas* nuncupant.

1° « Missa, proprie loquendo, numquam privata dicenda esset, cum publicum et commune semper sit sacrificium quod a publico ministro ad communem omnium fidelium utilitatem et salutem offertur ; invaluit tamen usus ut missæ inter *privatas* et *publicas* seu solemnes distinguerentur » (*de Augustinis*, de Euch. P. III, a. 7).— Privatæ igitur missæ nominantur multipliciter : scil. ratione *loci*, quia in oratorio privato ; ratione *altaris*, quia in minoribus altaribus ; ratione *temporis*, quia profestis diebus ; ratione *assistentium*, quia non coram populo ; ratione *finis*, quia pro particulari homine vel negotio celebrantur ; denique ratione *communionis*, quia in ea solus sacerdos communicat.

2° Missas privatas secundum priores modos esse legitimas facile evincitur ex consuetudine antiquitatis variisque factis quæ, v. g. tempore persecutionum, evenisse referuntur ; sic S. Lucianus in carcere sacrificavit, cumque onustus catenis jaceret, suo ipsius pectore pro altari usus est (ap. Bellarm. l. VI, c. 9).— Sed de missa privata ultimo sensu accepta major controversia est : *a*) illam enim *Novatores* quasi illicitam traduxerunt, Lutherusque librum edidit de abroganda missa privata. *b*) *Pistorienses* quoque in hoc Novatoribus consenserunt quod æstimarent missam, cui nemo adstaret vel adstantes nec sacramentaliter nec spiritualiter communica-

rent, esse reprobandam ; quam sententiam (prop. 28) Pius VI uti erroneam et de hæresi suspectam damnavit.

Conclusio. — MISSÆ, IN QUIBUS SOLUS SACERDOS SACRAMENTALITER COMMUNICAT, LICITÆ PROFECTO SUNT.— Id expresse definivit *Conc. Trid.* (Sess. XXII, can. 8 ; cf. *ibid.* cap. 6).

1° Eadem Tridentina Synodus (*cap. cit.*) rationem reddit quare præfatæ missæ commendari possint : « Siquidem illæ quoque missæ vere communes censeri debent, partim, quod in eis populus *spiritualiter* communicet[1]; partim vero, quod a publico Ecclesiæ ministro non pro se tantum, sed *pro omnibus* fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur ».

2° In missa non solum continetur sacramentum, verum etiam Deo offertur *sacrificium* (uti supra contra hæreticos demonstravimus). Atqui ad sacrificium, qua tale, nihil refert, si multi vel pauci vel nulli intersint aut communicent ; citra enim populi præsentiam vel communionem, sacrificium, ut patet, potest assequi finem sibi essentialem effectumque tum latreuticum tum eucharisticum tum propitiatorium tum impetratorium, per sacerdotem pro populo offerentem, operari. Ergo.

3° Traditionis argumentum expressum quidem desideratur, implicitum tamen aperte colligitur : — *a*) *primo* ex iis quæ supra (Q. II, a. 4) secundum Patrum sententias statuimus, videl. sacrificium missæ offerri posse pro absentibus sive vivis sive defunctis ; — *b*) *secundo* ex facultate primitus sacerdotibus concessa celebrandi in festo Nativitatis Domini tres missas, quibus nemo dixerit populum semper adfuisse ; — *c*) *tertio* ex magno presbyterorum numero qui jam olim (referentibus Patribus) quotidie celebrabant, etiam in locis ubi communicantes dari non possent, v. g. in carcere (uti diximus de S. Luciano) ; — *d*) *quarto* ex verbis plurium Patrum, puta *S. Joan. Chrys.* dicentis (Hom. 3 in ep. ad Eph. n. 4) : « Frustra est quotidianum sacrificium, frustra adstamus altari ; nemo est qui participet ». Ubi S. Doctor increpans, non quidem sacerdotes offerentes, sed laicos communionem negligentes, satis indicat sacrificium licite offerri, etsi nemo sit qui de eo participet.

4° Iis quæ adversarii *objiciunt* facile occurritur.— *a*) In primis per verba illa (Luc. XXII, 19), *Hoc facite in meam commemorationem*, jussit quidem Dominus fieri quod ipse

[1] — Populus etiam si desit, quodammodo repræsentatur per ministrum, juxta verba *D. Thomae* (art. 5 ad 12) : « In missis privatis sufficit unum habere ministrum, qui gerit personam totius populi catholici, ex cujus persona sacerdoti pluraliter respondet ».

fecit (consecrando distribuendoque sacramentum adstantibus), non tamen independenter a circumstantiis loci, temporis et personarum ; unde si de facto nulli sint qui velint aut possint communicare, non ideo a celebrando probibemur.— *b*) *Secundo*, licet in Scripturis Eucharistia exhibeatur tanquam *communicatio fractionis panis* (Act. II, 42) vel *participatio corporis Domini* (1 Cor. X, 16), perperam tamen quis inferret communionem adstantium ad sacrificii celebrationem omnino pertinere ; etenim (præterquam quod duplex illa denominatio salvatur in ipsius celebrantis communione) aliud est sacrificium *secundum se*, aliud secundum *conditiones* et *effectus* quibus communius, non autem necessario, connectitur : communio populi sæpius quidem comitatur sacrificium adeo ut istud ab illa denominari potuerit, non tamen est aliquid ab eo indissociabile.— *c*) *Tertio* tandem verba Ap. (1 Cor. XI, 20-21), *Convenientibus vobis in unum, jam non est dominicam coenam manducare ; unusquisque enim suam coenam praesumit ad manducandum*, immerito ab adversariis nobis opponuntur, quasi contineant cœnæ seu missæ privatæ damnationem. Vel enim (quod probabilius est) verba illa accipi debent de conviviis quæ in memoriam ultimæ cœnæ solebant olim, circiter communionis tempus, haberi, et tunc nulla difficultas ; vel de ipsa Eucharistiæ celebratione intelligenda sunt, et tunc respondemus B. Paulum reprehendisse cœnam privatam a qua excluduntur alii, non vero eam (qualis est missa privata catholicorum) cui omnes possunt, si velint, participando interesse[1].

APPENDIX DE MODERNISMO IN RE SACRAMENTARIA.

Pauca quantum ad rem sacramentariam spectat, subjicienda ducimus de nefando modernistarum systemate quod S. Sedes tanto tamque legitimo rigore nuper damnavit.

I. Origo sacramentorum.

1° Modernistæ « cultum ex duplici impulsione seu necessitate oriri perhibent ; omnia etenim in eorum systemate impulsionibus intimis seu necessitatibus gigni asseruntur. Altera est ad sensibile quiddam religioni tribuendum ; altera ad eam proferendam, quod fieri utique nequaquam possit

[1] — Haec aliave Novatorum argumenta fusius soluta reperies penes Bellarminum, Drouyn, etc.

sine forma quadam sensibili et consecrantibus actibus ; quae *sacramenta* dicimus » (Encycl. *Pascendi*, 8 sept. 1907).

2° Verum, inquiunt modernistæ, illa sacramenta credenda non sunt a Christo *immediate* instituta. « Cavet id *agnosticismus*, qui in Christo nil præter hominem novit, cujus conscientia religiosa, ut cæterorum hominum, sensim efformata est ; cavet *lex immanentiae*, quæ externas, ut aiunt, applicationes respuit ; cavet item *lex evolutionis*, quæ ut germina evolvantur tempus postulat et quamdam adjunctorum sibi succedentium seriem ; cavet demum *historia*, quæ talem reapse rei cursum ostendit » (Ibid.).

3° « Sacramenta *mediate* a Christo fuisse instituta retinendum est. Qui vero ? Conscientias christianas omnes in Christi conscientia virtute quodammodo inclusas affirmant, ut in semine planta. Quoniam autem germina vitam seminis vivunt, christiani omnes vitam Christi vivere dicendi sunt. Sed Christi vita, secundum fidem, divina est : ergo et christianorum vita. Si igitur hæc vita, decursu ætatum, sacramentis initium dedit, jure omnino dicetur initium hujusmodi esse a Christo ac divinum esse » (Ibid.).

II. Sacramentorum natura et vis.

« Sacramenta modernistis nuda sunt symbola seu signa ; quamvis non vi carentia. Quam vim ut indicent, exemplo ipsi utuntur verborum quorumdam ; quæ vulgo fortunam dicuntur sortita, eo quod virtutem conceperint ad notiones quasdam propagandas, robustas maximeque percellentes animos. Sicut ea verba ad notiones, sic sacramenta ad sensum religiosum ordinata sunt : nihil præterea. Clarius profecto dicerent, si sacramenta unice ad nutriendam fidem instituta affirmarent. Hoc tamen Tridentina Synodus damnavit[1]: *Si quis dixerit haec sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, Anathema sit* » (Ibid.).

III. Modernismi sacramentarii condemnatio.

1° Quæ de sacramentis sive in genere, sive in specie, modernistæ comminiscuntur, fundamentum habent, uti patet, in subjectivismo illo et evolutionismo rationalistico cui universum eorum systema innititur. Porro subjectivismus evolutionisticus, quem sequuntur, e diametro opponitur philosophiæ scholasticæ christianorum sæculorum traditione

[1] — Sess. VII, *de Sacr. in gen.*, can. 5.

probatæ ; consequentiarum autem hujus systematis, respectu rei sacramentariæ, falsitas facile deprehenditur ex doctrinis ipsis, tum auctoritate, tum ratione fultis, quas præsentis operis decursu exposuimus.

2° Igitur sat esto heic referre sequentes propositiones a S. Officio proscriptas (3 jul. 1907) în decreto *Lamentabili sane exitu.*

Prop. 39-41.— « Opiniones de origine sacramentorum, quibus Patres Tridentini imbuti erant quæque in eorum canones dogmaticos procul dubio influxum habuerunt, longe distant ab iis quæ nunc penes historicos rei christianae indagatores merito obtinent ».— « Sacramenta ortum habuerunt ex eo quod Apostoli eorumque successores ideam aliquam et intentionem Christi, suadentibus et moventibus circumstantiis et eventibus, interpretati sunt ».— « Sacramenta eo tantum spectant ut in mentem hominis revocent præsentiam Creatoris semper beneficam ».

Prop. 42-43.— « Communitas christiana necessitatem baptismi induxit, adoptans illum tanquam ritum necessarium, eique professionis christianæ obligationes adnectens ».— « Usus conferendi baptismum infantibus evolutio fuit disciplinaris, quæ una ex causis extitit ut sacramentum resolveretur in duo, in baptismum scil. et pœnitentiam ».

Prop. 44.— « Nihil probat ritum sacramenti confirmationis usurpatum fuisse ab Apostolis ; formalis autem distinctio duorum sacramentorum, baptismi scil. et confirmationis, haud spectat ad historiam christianismi primitivi ».

Prop. 45.— « Non omnia quæ narrat Paulus de institutione Eucharistiæ (1 Cor. XI, 23-25), historice sunt sumenda ».

Finem huic lucubrationi imponemus verbis Angelici Doctoris, ubi commentans propheticum eloquium (Ps. CX, 4-5) : *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus ; escam dedit timentibus se*, dicit (Opusc. LVIII, cap. 1 : « Esca ista non inconvenienter intelligitur esca sacramentalis, panis scil. vivus, qui de cœlo descendit, quem cum timore et reverentia sumunt quotidie in sancta Ecclesia servi Dei » ; in cujus dispositione « Deus tot et tanta mirabilia inclusit, quod in ipso videtur quasi omnium mirabilium, quæ ab initio mundi fecit, memoriam renovasse ».

TANTUM ERGO SACRAMENTUM
VENEREMUR CERNUI.

INDEX RERUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

DE SACRAMENTIS

(PRIMA PARS)

PAG.

Procœmium. 3

DISPUTATIO PRIMA

DE SACRAMENTIS IN GENERE

Quæstio I.— *De essentia sacramentorum*

ART. 1.— Quomodo definitur sacramentum. 7
ART. 2.— Utrum sacramentum componatur ex re sensibili et verbis veluti ex materia et forma. 14
ART. 3.— Utrum in sacramentis requirantur res et verba determinata. . . 19
ART. 4.— Utrum liceat aliquatenus mutare verba in quibus consistit forma sacramentalis. 24

Quæstio II.— *De necessitate sacramentorum*

ART. 1.— Utrum sacramenta sint necessaria ad humanam salutem 26
ART. 2.— Utrum etiam ante peccatum fuerint homini necessaria sacramenta 28
ART. 3.— Utrum post peccatum ante Christum sacramenta debuerint esse. 30
ART. 4.— Utrum post Christum debuerint esse aliqua sacramenta. 35

Quæstio III.— *De vi seu efficacia sacramentorum*

ART. 1.— Utrum sacramenta sint causa gratiæ ; — seu de efficacia sacramentorum N. L. contra hæreticos. 37
ART. 2.— Utrum in sacramentis sit aliqua virtus gratiæ causativa ; — seu de modo quo sacramenta N. L. conferunt gratiam 42
ART. 3.— Utrum sacramenta N. L. habeant virtutem ex passione Christi. 51
ART. 4.— Utrum sacramenta V. L. gratiam causarent. 53

Quæstio IV.— *De effectu sacramentorum*

PAG.

ART. 1.— Utrum gratia sacramentalis aliquid addat super gratiam virtutum et donorum : — de sacramentis vivorum et mortuorum... 57
ART. 2.— Utrum sacramentum imprimat aliquem characterem in anima. 60
ART. 3.— Utrum character sit spiritualis potestas..... 63
ART. 4.— Utrum character sacramentalis sit character Christi 66
ART. 5.— Utrum character sit in potentiis animæ sicut in subjecto 69
ART. 6.— Utrum character insit animæ indelebiliter..... 70
ART. 7.— Utrum per omnia sacramenta N. L. imprimatur character.... 72

Quæstio V.— *De causa sacramentorum*

ART. 1.— Utrum solus Deus sit auctor sacramentorum 74
ART. 2.— De potestate Christi-hominis et Ecclesiæ circa sacramenta.... 77
ART. 3.— Utrum per malos ministros sacramenta conferri possint 82
ART. 4.— Utrum Angeli possint sacramenta ministrare..... 84
ART. 5.— Utrum intentio ministri requiratur ad perfectionem sacramenti. 86
ART. 6.— Utrum intentio ministri debeat fide ac rectitudine vestiri 92

Quæstio VI.— *De numero sacramentorum*

ART. 1.— Utrum debeant esse septem sacramenta Ecclesiæ..... 95
ART. 2.— De ordine sacramentorum ad invicem..... 101

APPENDIX.— *De sacramentalibus* 105

DISPUTATIO SECUNDA

DE BAPTISMO

Quæstio I.— *De pertinentibus ad sacramentum Baptismi*

ART. 1.— De esse Baptismi in genere..... 110
ART. 2.— De materia propria Baptismi..... 113
ART. 3.— De forma Baptismi..... 117
ART. 4.— Utrum Baptismus sit conferendus immersione, infusione vel aspersione..... 122
ART. 5.— Utrum Baptismus possit iterari..... 126
ART. 6.— De tribus baptismis, scil. aquæ, flaminis et sanguinis..... 129

Quæstio II.— *De ministro Baptismi*

ART. 1.— Utrum ad officium diaconi vel sacerdotis pertineat baptizare.. 135

Pag.
Art. 2.— Utrum laicus, sive vir sive mulier, etiam non baptizatus possit baptizare 138
Art. 3.— Utrum plures possint simul unum baptizare 141
Art. 4.— Utrum in Baptismo requiratur aliquis qui baptizatum levet de sacro fonte 143

Quæstio III.— *De suscipientibus Baptismum*

Art. 1.— Utrum omnes teneantur ad susceptionem Baptismi. 146
Art. 2.— Utrum Baptismus sit differendus. 150
Art. 3.— Utrum et quomodo peccatores sint baptizandi 153
Art. 4.— Utrum intentio suscipiendi Baptismum, necnon fides requiratur ex parte baptizati. 156
Art. 5.— Utrum pueri necnon furiosi et amentes sint baptizandi. 159
Art. 6.— Utrum pueri Judæorum vel aliorum infidelium sint invitis parentibus baptizandi 165

Quæstio IV.— *De effectibus Baptismi*

Art. 1.— Utrum per Baptismum tollatur omne malum culpæ et pœnæ etiam præsentis vitæ 170
Art. 2.— Utrum Baptismus pro effectu habeat conferre gratiæ dona sive generalia sive specialia, et aperire januam regni cœlestis..... 174
Art. 3.— Utrum Baptismus habeat in omnibus æqualem effectum 176
Art. 4.— Utrum fictio impediat effectum Baptismi, adeo ut tamen ea recedente baptismus reviviscat. 178

Quæstio V.— *De ritibus ad Baptismum spectantibus...*

Art. 1.— De circumcisione quæ præcessit Baptismum. 182
Art. 2.— De cæremoniis ipsius Baptismi. 185

DISPUTATIO TERTIA

DE CONFIRMATIONE

Quæstio I.— *De sacramento confirmationis secundum se*

Art. 1.— Utrum Confirmatio sit sacramentum. 190
Art. 2.— Utrum chrisma, ab episcopo consecratum, sit conveniens materia Confirmationis 194
Art. 3.— Utrum hæc sit conveniens forma Confirmationis : « Signo te signo crucis » etc. 199

Pag.

Art. 4.— Utrum Confirmatio imprimat characterem, a præsupposito charactere baptismali distinctum. 201
Art. 5.— Utrum per sacramentum Confirmationis conferatur gratia gratum faciens. 204

Quæstio II.— *De pertinentibus ad dispensationem Confirmationis*

Art. 1.— Utrum hoc sacramentum sit omnibus exhibendum ; — qua ætate et necessitate. 206
Art. 2.— Utrum solus episcopus hoc sacramentum conferre possit 211
Art. 3.— Utrum ritus Confirmationis sit conveniens 214

DISPUTATIO QUARTA

Quæstio Unica.— *De Eucharistiae generica notione et existentia*

Art. 1.— Utrum Eucharistia sit sacramentum. 218
Art. 2.— Utrum hoc sacramentum sit unum vel plura. 224
Art. 3.— Utrum Eucharistia sit de necessitate salutis 226
Art. 4.— Utrum institutio hujus sacramenti fuerit conveniens. 229

DISPUTATIO QUINTA

DE PARTIBUS ESSENTIALIBUS SEU DE MATERIA ET FORMA EUCHARISTIÆ

Quæstio I.— *De materia Eucharistiae remota et quantum ad speciem*

Art. 1.— Utrum et in qua quantitate materia hujus sacramenti sit panis et vinum 234
Art. 2.— Utrum requiratur ad materiam hujus sacramenti quod sit panis triticeus necnon azymus. 237
Art. 3.— Utrum vinum vitis sit propria materia hujus sacramenti 241
Art. 4.— Utrum et quanta sit aqua vino permiscenda ; — in quid convertatur 243

Quæstio II.— *De conversione panis et vini in corpus et sanguinem Christi*

Art. 1.— Utrum in hoc sacramento sit corpus Christi secundum veritatem ; — seu de præsentia reali. 247
Art. 2.— Utrum in hoc sacramento remaneat substantia panis et vini post consecrationem. 261

Pag.
Art. 3.— Utrum substantia panis vel vini post consecrationem annihiletur ... 265
Art. 4.— Utrum panis possit converti in corpus Christi ; — scil. de transsubstantiatione ... 267
Art. 5.— Utrum in hoc sacramento remaneant accidentia panis et vini, vel etiam eorum formæ, post consecrationem ... 275
Art. 6.— Utrum ista conversio fiat in instanti ... 279
Art. 7.— De regulis loquendi circa hanc conversionem ... 280

Quæstio III.— *De modo essendi Christi in Eucharistia*

Art. 1.— Utrum totus Christus contineatur sub speciebus sacramentalibus ... 283
Art. 2.— Utrum sit totus Christus sub qualibet parte specierum panis vel vini ... 286
Art. 3.— Utrum tota quantitas dimensiva corporis Christi sit in hoc sacramento ... 291
Art. 4.— Utrum corpus Christi sit in hoc sacramento sicut in loco et mobiliter ; — de ratione ejus præsentiæ et activitatis sacramentalis ... 294
Art. 5.— De visibilitate corporis Christi, prout est in sacramento ... 299

Quæstio IV.— *De accidentibus remanentibus in sacramento Eucharistiæ*

Art. 1.— Utrum accidentia remaneant sine subjecto in hoc sacramento ... 303
Art. 2.— Utrum in hoc sacramento quantitas dimensiva panis vel vini sit aliorum accidentium subjectum ... 306
Art. 3.— Utrum species quæ remanent in hoc sacramento possint vel immutare aliquid vel immutari seu corrumpi ... 309
Art. 4.— Utrum ex speciebus sacramentalibus possit aliquid generari vel aliquis nutriri ... 311
Art. 5.— Utrum in Eucharistia species panis patiantur fractionem, et species vini alterius liquoris commixtionem ... 314

Quæstio V.— *De forma sacramenti Eucharistiæ*

Art. 1.— Utrum hæc sit forma Eucharistiæ : « Hoc est corpus meum » ; et : « Hic est calix sanguinis mei » ... 317
Art. 2.— Utrum hæc sit conveniens forma consecrationis panis : « Hoc est corpus meum » ... 321
Art. 3.— Utrum hæc sit conveniens forma consecrationis vini : « Hic est calix sanguinis mei » etc ... 323
Art. 4.— De efficacia formæ sacramenti Eucharistiæ ... 326

DISPUTATIO SEXTA

Quæstio unica.— *De effectibus sacramenti Eucharistiae*

Pag.
Art. 1.— Utrum per hoc sacramentum conferatur gratia. 331
Art. 2.— Utrum effectus hujus sacramenti sit adeptio gloriæ. 338
Art. 3.— Utrum effectus hujus sacramenti sit remissio peccati tum mortalis tum venialis, secundum reatum culpæ et pœnæ. 340
Art. 4.— Utrum per hoc sacramentum præservetur homo a peccatis futuris. 343
Art. 5.— Utrum hoc sacramentum prosit aliis quam sumentibus. 346
Art. 6.— Utrum per veniale peccatum impediatur effectus hujus sacramenti. 348

DISPUTATIO SEPTIMA

DE SUBJECTO VEL USU ET DE MINISTRO EUCHARISTIÆ

Quæstio I.— *De subjecto et usu Eucharistiae*

Art. 1.— De modis manducandi corpus Christi. 351
Art. 2.— De iis quibus convenit sumptio Eucharistiæ 353
Art. 3.— De impedimento peccati 355
Art. 4.— De impedimentis ex inconvenientia. 359
Art. 5.— De tempore sumendæ Eucharistiæ. 362
Art. 6.— De communione sub una vel utraque specie 366
Art. 7.— De modo quo Christus Eucharistiæ sacramento usus est 370

Quæstio II.— *De ministro sacramenti Eucharistiae*

Art. 1.— De ministro consecrationis ss. Eucharistiæ 373
Art. 2.— De ministro dispensationis Eucharistiæ 376
Art. 3.— De qualitate personæ consecrantis et dispensantis. 378

DISPUTATIO OCTAVA

DE SACRIFICIO EUCHARISTICO

Quæstio I.— *De esse sacrificii eucharistici*

Art. 1.— De sacrificio in genere. 382
Art. 2.— De veritate seu existentia sacrificii eucharistici. 387
Art. 3.— De habitudine sacrificii Eucharistiæ ad sacrificium Crucis 397
Art. 4.— De natura propria sacrificii eucharistici 402

Quæstio II.— *De effectu vel fructu sacrificii eucharistici*

PAG.

ART. 1.— De variis effectibus sacrificii missæ. 409
ART. 2.— De magnitudine valoris sacrificii missæ. 412
ART. 2.— De efficacia propria sacrificii missæ. 416
ART. 4.— De subjecto fructuum sacrificii missæ. 420

Quæstio III.— *De ritu sacrificii eucharistici*

ART. 1.— De tempore celebrationis missæ. 426
ART. 2.— De loco celebrationis missæ. 429
ART. 3.— De ordine eorum quæ dicuntur in missa. 432
ART. 4.— De congruentia eorum quæ aguntur in celebratione missæ. . . . 435
ART. 5.— De missis privatis. 437

APPENDIX.— *De modernismo in re sacramentaria* 439

DESCLÉE & C.
EDITORI PONTIFICI
PIAZZA GRAZIOLI N. 4
ROMA (117)

2943

236
P199

PAQUET, ALOYSIUS A.

AUTHOR

Commentari--de Sacramentis

TITLE Vol. I

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	[illegible] MAD 29	

2943